~~R-4320~~

Fondo Maternidad

R-4731

BIZKAIKO FORU ALDUNDIA
DIPUTACION FORAL DE VIZCAYA
BIBLIOTECA
Archivo y Biblioteca
Reg. N.º 3378/1985

HERMANNI BOERHAAVII

APHORISMI

DE COGNOSCENDIS,

ET CURANDIS MORBIS,

ET MATERIES MEDICA EJUSDEM SUIS LOCIS INTERPOSITA.

PARS II.

MORBI INTERNI

ACUTI, CHRONICI.

EDITIONEM ISTAM CURAVIT, ET AUXIT

JOANNES BAPTISTA SOLDEVILLA

MEDICINÆ DOCTOR : CENSOR : ARCHIATER.

SUPERIORI PERMISSIONE,

ET TOTIUS OPERIS PRIVILEGIO.

MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA VILLALPANDEA.

A. M. DCCC. I.



14. *Melior est pauper sanus, et fortis viribus, quam dives imbecillis, et flagellatus malitia,*
15. *Salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro, et argento, et corpus validum.*
16. *Non est census super censum salutis corporis; et non est oblectamentum super cordis gaudium.*

Eclesiast. Cap. XXX.

LECTORI EDITOR.

In isto Volumine quarto, et ultimo hujus absolutissimi totius veræ Medicinæ Compendii traduntur ex *BOERHAAVIO* eodem Morbi interni acuti, et chronici ad Medicos proprie, et ex instituto pertinentes, et hoc est, quod exactè MEDICINA nominatur. Hæc est velut *CIVITAS SUPERBA* arce multiplici munita, mœniis circumdata, vallis, fosis, dumetis . . custodita . . vastissima alias, intricatissima, quam vix adire, conscendere, expugnare valent ingenia acutissima, perspicacissima, licet tot clypeis quot Scientiis prælimináribus jam dictis armata, et quamvis his omnibus adjuta, atque tamquam calcaribus stimulata.

Humanum Corpus præcipuum Medicinæ objectum ita abstrusum, atque inextricabile ab adorando CREATORE constitutum fuit, ut sapientissimus, et expertissimus *Hallerus* ultro, aperteque fateatur, se . . . post quinqua-

ginta annorum anatomicos labores nondum centesimam partem cognovisse propriæ fabricæ, deque suo corpore non nisi Montes, et Maria nota habere, interioris fabricæ totum rudem. (*a*) Hæc ita candide de se ipso pronunciat Vir iste in cognitione Naturæ humanæ his nostris temporibus vere Princeps.

Si itaque hæc vera sunt de nostra fabrica, quæ pertinaci sensuum simplicium, et armatorum applicatione potest detegi, quid dicendum de functionibus ejusdem naturalibus, atque morbosis: de imperio aliquarum partium in alias: de Vi vitali: de mutationibus, quas Anima, ejusque pathemata in ea fovent, producunt, immutant? . . Cognoscenda ne ista per vanas speculationes, per imaginationis ludibria insana, per inania Systemata. . ab ingenio quantumvis perspicacissimo procedentia? Minime gentium. Alia via præferenda est. *Ariadnæ* filum solidum, simplex . . factorum patienter atque scientificè obser-

(*a*) Albert. Haller Elementa Physiologiæ Tom. VIII. Lib. XXIX. Sect. II. §. XX. pag. 134.

vatorum multitudine confectum ad rimanda ista absolutè necessarium.

Historia medica innumera Systemata nobis offert, ex quibus omnibus nihil fere solidum, utileque in Artem salutarem redundavit. *HIPPOCRATIS* ipsius Medicinæ Principis Opera systematica, si quæ illius Viri summi sunt, à cordatis Viris minus approbantur, et immane quantum distant ab Scriptis ipsius, in quibus *Observatio*, atque *Experientia* eminent, atque dominantur.

Hac igitur via *Experientia* nempe, atque *Observatione* aliquis patet initiatis additus in Templum Æsculapii: initiatis inquam: illis nempe, qui præliminares Scientias medullitùs degustarunt, imo cum debita sobrietate in succum, et sanguinem converterunt, et Natura, seu Ingenio peculiari aliunde perspicacissimo, judicio maximo, constantia tenacissima, Anima calculatoria, atque meditabunda . . . valde pollent.

Experientia certe, atque Observatio ab initiatis hujusmodi instituta progre-

sus in Scientia medica offerunt, atque efficient. Difficilima sane res est *observandi Ars*. Uratislavienses Medici utilissimum *de Experientia* Tractatum philosophico-medicum conscripserunt. (*Historia Morborum*, cui præfatus est Albert. Haller Pag. 389.) *Joannes Senebrier* observandi Artem duobus Voluminibus, quæ ad observandum methodice, et utiliter necesaria sunt comprehendit. *Zimmermanus* tribus voluminibus pro dignitate *de Experientia* agit. Boerhaavius sex brevissimis Aphorismis (ab 11, ad 16.) in compendium redegit omnia illa, quæ ad observationes in Medicina practica utiliter atque exacte conficiendas deservire valent. Ducibus istis ad recte experiendum se accingere poterit Medicinæ Tiro, et ad hujus fastigium contendere, atque pervenire. Ars ista absdubio inter alia effecit, ut utilissima, imo necesaria medendi Ars maxima cæperit incrementa *HIPPOCRATE DICTATORE.*

Post istum Virum summum aliqui veri hujus Discipuli easdem vias ingresi, atque calcantes multa certissima

huic Apollinis Arti compararunt. Majora alii Viri ingeniosissimi contulisent, si Systematum condendorum cacoethes non eos invios reddidisset. Alii Artium auxiliatricium fulgore, atque amænitate allecti, atque perculsi tempus observationi dandum inaniter impenderunt. Hinc Philosophia, Mathesis, Historia naturalis, Botanice, Chemia . . . ceteræque ipsius Medicinæ auxiliatrices Artes maximè nostro ævo profecerunt: Medicina vero *practica* præsertim, sive *clinice*, seu quæ juxta lectulos ægrotantium exercetur, quæ finis est, atque esse debet horum omnium ultimus, præcipuus, et optabilior inter omnes pari pasu minime processit . . quoniam neque amæna est, neque refulgens, sed ingrata, laboriosa, obscura, et quantumvis ad Divinitatem accedens ex Plinio, qui ait *Deus est mortali juvare mortalem* (*a*) minime reticendum *mutam* et *ingloriam* à VIRGILIO nominari. (*b*)

Revera, quælibet ex illis Scientiis

(*a*) Plin. Hist. nat. lib. II. cap. 7.
(*b*) Virgil. Æneid. lib. XII. vers. 397.

naturalibus suam utilitatem habet, quæ digna est, ut extollatur : sed inter præcipuas eminere debet symbola, sive tessera, quam singulæ ad perfectionem Medicinæ practicæ; atque hinc ad sanitatem hominum promovendam, atque conciliandam offerunt. Ægregiæ Artis salutaris ancillæ salutari gestiunt, atque ambiunt, ut de Chemia appositissime pronunciavit Boerhaavius. (*a*) Prudenti igitur sobrietate, atque moderatione eis omnibus incumbendum. Multa sunt in illis ad Medicinam non attinentia, quæ omnia à Medici studio, satis ex se longo, separanda, ni tempus in mediis absumatur cum finis ultimi infando nocumento. Maximilianus Stoll asserit, studium alicujus ex illis peculiare non semel seducere. Hinc vides, sequitur, illum non nisi *chemica* sibi adamata habere; alium vero mere *vegetabilia* prout vel Chemiam, vel Botanicam magis amat. (*b*) Eadem ipsa observandi Ars, quæ per Machinas, Instrumenta... exercetur modice etiam adipiscenda.

(*a*) Boerh. Prælect. in §. 17. Inst. Medic.
(*b*) Rat. med. Tom. IV. pag. 334.

Medici hispani in Scientiis Medicinæ auxiliatricibus adquirendis, qua late patent minus occupantur. Ipsis cordi est: *Non plus sapere, quam quod OPORTET sapere.* Itaque ex istis omnibus, quod re vera utile ad suum opus salutiferum assequendum hauriunt, et

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.
Lucret. De Rer. Nat. L. III. v. 11.

Medici inquam hispani oportune et sobrie in eis instructi, in lectione diurna atque nocturna Medicinæ Principum Hippocratis præsertim, Celsi, Aretei, Galeni.. aptiorum Neotericorum.. atque hispanorum eminentiorum.. tempus suum explent, in eis immorantur, impallescunt. Religionis suæ christianæ imperio; charitatis ardentissimæ suasu.. inexplebili discendi, atque experiundi desiderio ægrotantium levamini assiduo, impenseque intenti sunt; et quoniam ita ab eis exigunt ægrotantium ærumnæ, atque ipsius Populi hispani consuetudo, frequenter eos visitant bonis Proximo ægrotanti, Professorum honori oborienti-

bus consulentes, quæ omnia ad Medicos practicos perfectos, atque consummatos efficiundos, quibus HISPANIA nostra abundat, conferunt, adigunt, impellunt.. ut cuicumque serio cogitanti palam fiet. Sed è diverticulo in viam.

Supposita inquam in Scientiis auxiliaribus instructione supradicta Medici sciunt *observationem* de qua hic esse *perceptionem effectuum spontaneorum; sive sanitatis, sive morbi per sensus factam*, ad quorum fallacias evitandas Logices studium errores sensuum declarantis necessarium: *Experimentum* esse: perceptionem ipsam effectuum Naturæ sanæ, vel ægrotantis, qui ab Arte producuntur ope machinarum, instrumentorum; vel eliciuntur seu admittuntur ex calculis ab Arithmetica, Algebra.. directis, quæ fallaciora sunt, cum Naturam violenter agant, urgeant.. atque *Experientiam* esse cognitionem altiorem, sublimiorem, exactiorem.. de Re percepta per repetita experimenta, vel observationes iteratas; vel utrasque severo judicio, et ordine factas, atque examinatas; ita ut *Observationes* præcedant,

emineant . . *Experimenta* in observationum auxilium , quando id necesarium sit , cautissime adhibeantur.

Experimenta certè gratiora , expeditiora . . . sunt ; sed fallacia , infida . . admodum : *Observationes* tædiosæ , laboriosæ . . . sed fallaces minus: *Experientia* juxta severas critices regulas adquisita licet operosa , annosa . . præciosa tamen , fructuosa . . constans, indubitata , axiomatibus condendis apta judicanda. Huic totis viribus incumbendum. Huic tota vita quantumvis longæva : totum ingenium , quantumvis perspicax : totum studium quantumvis improbum . . concedenda ; atque sacranda. Ardua sane res est. Ægrotantes morosi , impacientes , horridi . . dehortantur : Munus , vincula . . virtus , proximi infirmi levandi charitas , officium . . , movent , alliciunt , obligant.

Præter supra memorata pro difficili humanæ fabricæ atque Naturæ humanæ cognitione demonstranda dificultatem hac in re immaniter augent morborum internorum , abstrusorum inquisitio , at-

que perscrutatio. Tamquam arcana isti olim judicabantur, ad quæ percipienda sagacitas exigebatur. Qui apte intelligit energiam, extensionem, fœcunditatem, epiteta . . harum vocum: ARCANA atque SAGACITAS percipiet etiam veritatem horum versiculorum QUINTI CALABRI Homerici Poematis additionatoris, qui dividens Artem Medicam inter *PODALIRIUM*, atque *MACHAONEM*, istum externa sive chirurgica, illum interiora sive vere medica mala pertractantes ita ait:

. . . . . aliumque alio præcellere jussit.
Huic agiles dedit esse manus, si quando sagittas
Extrahere hærentes opus, vel abscindere ferro,
Altaque vel peterent medicatum vulnera succum:
Ast alius melior, morborum ARCANA SAGACI
Indagare animo, placidamque afferre medelam. (*a*)

(*a*) Vid. Meibomii Commentarium in Hippocratis *Jusjurandum*. pag. 156. ubi hi extant.

Arcana ista , latentia , recondita, abstrusa , nemorosa . . per sagacitatem, subtilitatem , dexteritatem, prudentiam, sollicitudinem , discretionem , vigilias indefessas Magistrorum , quibus Scholæ nostræ hispanæ ornantur . . abibunt, emergent , extricabuntur. Isti sciunt se Deo , Regi , Populo , conscientiæ, honori , et discipulis ipsis pro dignitate professoria honorifica , et quæsita ad id adstrictos esse ; etiamque sciunt quod saltem *magnum satis ipsa sibi VIRTUS est præmium* ; et etiam quod *bonorum operum fructus uberrimus est fecisse atque in silentio meminisse.* (*a*) His ducibus , his institutoribus alacriter , atque confidenter procedendum.

Macte igitur animi estote Tirones optimi! Vos , qui Studiis humanioribus hispanis , latinis , græcis imbuti , quæ magnas in Scientiis promovendis suppetias conferunt , uti demonstrat eruditissimus Trium viratus tamquam ex tripode id pronuncians *Resnelius* , *Bitauvius* ,

(a) Fr. Petrarcha *De Remediis utriusque fortunæ.* Dialogo *LXXXI. De insigni Discipulo.*

et *Naucejus* (*a*) Vos, qui in Philosophicis, Logica critica, Metaphysica reali, et vera, minime fucata, nec abstracta: Ethica christiana; Physica experimentali Geometria, Arihtmetica, et Algebra adjuta exercitati, et quorum omnium sufficientem saltim instructionem per repetita in singulis examina severissima ostendistis: Vos, qui ita in inferioribus præpparati ad Medicinam iter, Natura absdubio præeunte, fecistis: Vos, qui transactis alacriter, et impense primo, atque secundo hujus Scientiæ salutiferæ curriculo, in quibus Theoria; et tertio, in quo Prolegomena toti Arti Podaliriæ, atque Machaoniæ communia traduntur ista omnia prius scitu necesaria penetrastis: Vos, qui Anatomiam, Botanicen, Chemiam perlustrastis uberrimos in Medicina fructus, facilitate quadam istis inducta, atque proportionata colligetis.

Ad ista omnia eminenter assequenda conducet Chirurgia boerhaavia-

(*a*) Horum Scripta extant in Actis Academiæ Regiæ Scientiarum Berolin. An. 1769. Pag. 470. et Tom. XIII. Pag. 372.

na de cujus sublimitate, atque præeminentia cum assertione loquitur Medicinæ Doctor monspeliensis botanices, anatomiæ et chirurgiæ Profesor *J. C. Gilibert* asserens Auctorem istum, ejusque commentatorem van-Swietenium audacter (ont ose) condidise *Chirurgiam phtlosophicam*, cum ante Viros istos celeberrimos non nisi Facta et Observata reperirentur. Addit ulterius, totum Boerhaavii Genium necessarium fuisse ad adducendam Artis sanandi partem istam ad principia vera exactæ Physices (*a*) de cujus Artis chirurgicæ solitariæ utilitate, atque præstantia in Præfatione tertii hujus Operis Boerhaaviani voluminis disserui, et asseveravi. Omnia inquam ista magnos in morbis interioribus absdubio difficilimis, et fere inextricabilibus percipiendis, fructus producent, et istud confidenter expectate.

Ad id verificandum Examina, inquam, severissima, *quorum insuficientia ab imperitis Medicina pertractatur*

(*a*) L' Anarchie medicinal, . Trois Volum. in 8. Neuchatel An. 1772. Tom. I. Pag. 237.

ex Maximiliano Stollio (*a*) frequenter iterata necessario deservient: studium repetitum curriculi litterarii non bene probati, ad quod exequendum Gymnasiorum horæ commode destinandæ: dispensationum in numero, atque duratione academicorum cursuum absoluta denegatio, nec pro aptioribus, et eminentioribus, ut in Statutis Universitatis Conimbricensis sapientissime, atque severisisime decernitur; ut ita isti optimi fiant, et horum exemplo nullus audeat similia petere (*b*) et in Universitate Sertoriana, quæ in Theologiæ, et Jurisprudentiæ studiis aliquam admittit; in Medicina omnino negat (*c*)... omnem paginam adimplebunt. Discipuli ipsi, qui alacriter, ac impensè dispensationes, indulgentias, et saltim brevitatem cursuum expetunt, atque suscipiunt, Magistris ipsis suis conniventibus, oscitantiæ pos-

(*a*) Max. Stoll. part. VII. Rat. med. Sect. III. Pag. 244.

(*b*) Estatutos da Universidade de Coimbra do anno 1772. Lib. III. Primeira parte tit. II. cap. I. pag. 23. num. 3.

(*c*) Estatutos de la Universidad y Estudio general de la Ciudad de Huesca año 1723. tit. XIII. §. I. pag. 41.

tea siqua ipsis apparuerit modeste, et fortasse immerito conquæruntur; dum simul sollicitis Præceptoribus, omnem reverentiam, gratitudinem . . . cum SENECA (*a*) offerunt, et impertiuntur.

Macte inquam animi estote Tirones fausti, qui ita optime ad ulteriora peragenda præparati estis. Dimidium cœpti, qui bene cœpit habet. Non obstupescant vos tot morborum internorum clades, atque phalanges, difficilium, rebellium, ferocium, simulatorum, Naturam humanam imbellem dolosè, palàm, immaniter. . minitantium, obruentium, pessumdantium! Virginum, gravidarum, enixarum, lactantium, puerorum Morbi, quoniam obscurissimi, complicatissimi, innumeri difficultatem augent, sed vos ita bene præparatos minime deterreant.

(*a*) Seneca Lib. VI. *de Beneficiis* Cap. XVI. ubi agitur de Præceptoribus, et Medicis: et utinam ab istis frequenter legeretur cum Comment. à Th. de *Iuges* I. V. D. Tomis III. in fol. additis et collectis quibus, textu emmendato, evincitur Medico raptim ægros visitanti quemlibet posse dicere: *nihil ei amplius debeo: quia me non tamquam amicus vidit; sed tamquam Imperator.*

Ludovicus Mercatus, Joannes Astruc, Rosenstein, Underwoodius..ore Magistrorum vobis alloquentes, sternent viam. Epidemica, Pestilentialia, Contagiosa.. Mala, vix in initio præsertim comprehensibilia, et postea ferocissima : incoercibilia.. Vos non arceant, eis sedulo incumbite. Omnia vincit studium improbum, sagacitas operosa, indefesa sedulitas. Hippocrates, Vallesius, Sidenhamus, Fornesius, Palmarius, Lepecus.. Vobis à Præceptoribus instillati, immisi lucem in his dabunt, facem accendent. Medicina, quæ Theologiam, Forum, Mores.. spectat : quæ Togatos, Militares, Clasiarios, Artifices.. attinet, Directoribus iisdem non erit vobis ardua, non erit inaccesa. Lardizabalius, Rupius, Pringlius, Ramacinus, Plemplius, Zaquias... vobis pariter eam per viam eandem docebunt, illustrabunt.

Si in tota celeberrimi HERMAN. BOERHAAVII doctrina, quæ instar Synopsis totius Sapientiæ medicæ veteris, totiusque novæ considerari meretur, debetque versati, instructi, innutriti estis, facile in istas Varietates

penetrabitis. Si Opera hujus summi Viri diurna, nocturnaque versatis manu, quot commoda præter modo memorata, quot bona percipietis. *Optimis Libris assuescendum* consulebat; imo imperabat, uti poterat sapientissimus, atque in educandis Scholaribus dexterrimus, Hispaniæ decus, et ornamentum M. F. *QUINTILIANUS* (*a*) Animo vestro his tanquam Cynosuris imbuto, et asuefacto similia Opera optima producetis si aliquando ad scribendum propendeatis; et eritis Vos jure optimo Viri illi quos *meliori luto finxit præcordia Titan.*

Hic BOERHAAVIUS est Vir ille summus in Litteris humanioribus, latinis, græcis, hispanis.. à teneris annis innutritus; in rerum postea omnium face Historia, in Mathematicis, Philosophicis, Politicis præstans, in Musicis etiam erat peritus, ita ut pulsaret Citharam; ne aliqua parte Artium Apollinearum ipse deficeret ex *Fontenelio* (*b*). Hic est, inquam, Vir ille, qui his nostris tempori-

(*a*) Institut. Orator. Lib. X. Cap. I.
(*b*) Histoire de l' Academ. des Scienc. An. 1738.

bus, et si Superis placet *illustratis*, ita commendatur: Postquam Med. Profesor *Gilibert* omnes in Medicina Theorias novas, præstantiores, celebriores examinaverit, ipsa Chemiæ recentioris Medicinæ applicatione hodie superviente non excepta, asserit: ad Redactionem rerum ex unaquaque utilium requiri Physicum perfectum, Chemicum infatigabilem, Observatorem philosophum, Anatomicum exactum, Medicum experientia longæva decoratum, Litteratum eruditione clarum, Scriptorem eloquentem, Meditatorem profundum . . omnia certe ista in tali Redactore conjunctim, amplexe, simul, ita sentiente Profesore isto, judicio discretivo absdubio prædito, requiruntur. *Talis fuit*, concludit aseveranter iste Auctor: Talis fuit BOERHAAVIUS, quando Fundamenta jecit suis Medicis Institutionibus, suisque Aphorismis immortalibus *chef d' œuvre* magistrale, atque normale opus, in quo ingenium methodo; scribendi Ars comprehensionibus Genii amplissimis, sive vastissimis consociabantur. (*a*)

(*a*) Recueil periodique Tom. V. num. XXX. Pag. 491.

His positis, potissimo absdubio jure, dici nunc potest de BOERHAAVIO, quod olim M. T. Cicero de Isocrate pronunciavit: *ecce tibi exortus est Isocrates magister cujus é ludo tamquam ex Equo Trojano innumeri Principes exierunt.* (*a*) Hinc etiam non mirum Scholas nostras; ut et exteras Virum istum pro erudiendis Scholaribus assumpsise judicantes absdubio quod si quis alius Redactor nunc ad id adoptaretur nihil aliud hoc esset nisi *Inventis frugibus glanaibus vesci.* Conimbricensis Universitas recens admittit istum donec meliora dies, quoniam nemo par, qui tam modico volumine tanta tractet. (*b*) Hinc denique confidenter pronunciari valet quod audito BOERHAAVII nomine

PHŒBI CHORUS ASSURGIT OMNIS.

GENIUM ISTUD SALUTIFERUM ad juventutem in Medicina educandam, atque instruendam incomparabile Tractationem istam *Morborum in-*

(*a*) Cicero Lib. de Oratore.
(*b*) Estatutos. P. I. T. II. C. II. pag. 32.

ternorum incompletam reliquit, quod maxime dolendum! Licet enim, ut de Febribus similiter fuit dictum, in descriptione morborum, quam fecit, alii, quos omisit, includantur; operæ tamen prætium existimavi in gratiam Tironum *APPENDICEM* omissorum instruere. Hanc ex Home, Stollio, Selle (*a*) conficiam quoniam isti BOERHAAVIUM imitari conati aliqua Mala de quibus Auctor iste non egit tractaverunt. Utinam illa de quibus egit Boerhaavius non attigisent, et incubuisent toti quanti in illis, de quibus non tractavit BOERHAAVIUS; ita enim proprius ei assimilari potuerint utcumque.

Non est hujus loci de immani Scriptorum acervo tractare crambem milies coctam ulterius recoquentium. Pudet, tedetque lecta Pleuritidis v. gr. Boerhaaviana descriptione in his iisdem, et aliis hujusmodi videre eandem, qui si

(*a*) Fr. Home *Pricipia Medicinæ.*

Max. Stoll *Aphorismi* . . aptius H. BOERHAAVII *Aphorismi de cognoscendis et curandis Febribus ab Stollio notati et additi.*

Chr. Theo. Selle *Medicina clinica, seu Manuale.*

aliquid boni dicunt fortè ex Boerhaavio ipso transcripserunt. Tamen ex his tribus supradictis ea seligam quæ pro complemento apta judicem, quæ omnia ita edita molestiam Magistrorum in dictando; et Discipulorum incommodum in scribendo inter alia levant. Theoph. Selle rationem reddens cur *Manuale suum* publico scripto ad discipulos instituendos vulgaverit, ita ait: quoniam ita præparatæ Institutiones aptius explicantur, magis constituuntur, melius intelliguntur, atque acuratius applicari possunt.

His omnibus apprime instrui debet Tiro, et probe callere doctrinam, quæ ex copiosissimis, et uberrimis van-Swietenii Commentariis deprompsi, et in Notas transtuli, quæ certe pro hujus doctissimi Viri Operis difusissimi, frequentibus repetitionibus refertissimi, Compendio, si fas est mihi dicere, absolutissimo haberi poterunt. Aliquas adjeci Notulas *inferiores* isto indicio facile dignoscendas ex meo penu absdubio inani depromptas, quibus tamen batavum Boerhaavium, pariterque van-Swiete-

nium batavum hispanos reddere conatus fui. Hi enim *sit pro exemplo* vitii inflammatorii defensores, et putridi parum memores, corticem peruvianum et alia antiseptica minus curant, et venæsectionibus indulgent; et licet re vera Hispani nostri generice non in putredines, sed in inflammationes proniores sunt, Systemata illa intuimur, et quando necessitas expostulat pro Hispanis nostris ingenue, atque modeste proporcionamus. Illis inquam instructus Tiro ad praxim theorice, et clinice introspiciendam, et auscultandam paratissimus censendus.

Sed cum in exercitio Praxeos, seu ægris invisendis præter cognitionem Malorum, Remediorum simplicium, præparatorum . . etiam cognitio præcedere debeat, in isto quarto, et ultimo Medicinæ curriculo noscenda sunt media, sive instrumenta illa, quibus morbi profligantur: *Remedia* nempe ex triplici Regno vegetabili, animali, atque minerali depromenda. Studium istud *Historia naturalis, et Pharmacia* nominatur. Plurima hic adduci possent documenta, atque testimonia quibus stu-

dii Historiæ Naturalis, atque Pharmaceutici præsertim, ipsiusque praxeos utilitas; imo necessitas in Medico demonstrari possent. Aliqua, prout Præfationis brevitas imponit adducemus.

HISTORIA NATURALIS unice comprehendens Entia corporea, eorum structuram, caracteres.. eo modo, quo à Natura ipsa producuntur, ab omni alia Arte separata, ut sunt Mineralia, Vegetabilia, et Animalia Pharmaciæ, atque Chemiæ studio præcedere omnino debet. *CAROLI LINNÆI Systema Naturæ*; *GEORGII LUDOVICI LE CLERC* (Comes de Buffon) *Historia naturalis* in idioma Hispanicum versa, dum per otium liceat legenda, atque consulenda. A. L. *MILLIN Elemens d' Histoire naturelle* si latine redderentur utilia esse possent; latine inquam quantumvis *Plutarchus* ei præfixus maternam linguam præferat: hæc enim indefinitè varia maximam temporis partem in eis addiscendis consumet, ut advertit *Linnæus*: Scientias in unaquaque Regione linguam suam superbe præferente circumscribet, et ita *timendum ne hac me-*

thodo ad pristinam barbariem prima iterum fundamenta jaciantur, ut suspicabatur *Muschembroeckius* ambo linguam latinam Sapientum Idioma ad scribendum præferentes. (Vid. Orat. *de commendando Linguæ latinæ studio* à Gr. Gar. Fernandezio Matriti. An. 1791. edita) sed hæc per transennam dicta. Pro Medici instituto legendus LUDOVICI TESSARI Libellus, qui ista tria Regna naturalia ita comprehendit, cui titulus: *Materia medica contracta* typis Valentinis An. 1791 recussus. *Bernard. Peyrilhe Tableau methodique d' un Cours d' Histoire naturelle medicale*, et F. SWEDIAUR Med. Doct. *Materia Medica*, seu, *cognitionis Medicamentorum simpliciorum Epicrisis analytica* opera ambo Anno 1800 edita, etiam deservient.

Circa PHARMACIAM non est hujus loci inquirere num Chemia Pharmaciam: num ista illam progenuerit? Ego Cel. *Fourcroyo* Medico-Chimico pro Pharmaceutices maternitate stanti (*a*) as-

(*a*) Discours sur *l' Union de la Chimie, et de la Pharmacie.*

sentior: sed quomodocumque sit: præcedat Chemia facem accendens, illuminans, et sequatur Pharmacia, quæ Corpora à Chemia enodata jam accipiens componat illa, et Medico offerat bene præparata, ut eis utatur in utilitatem, atque commodum ægrotantium. PHARMACIA revera est Medicinæ soror: CHEMIA vero istius ancilla à Boerhaavio salutatur. De Chemiæ necesitate in Medico jam fuit actum. De Pharmacia nunc brevisime dicendum.

Medicamenta à Pharmacopœo servata, et elaborata Instrumenta sunt, quibus Medicus ad morbos debellandos munitur, et agit. Quam igitur securitatem habebit Medicinæ Profesor Pharmaciam ignorans de suis Instrumentis? Quomodo respondebit ægrotantis sanitati ab istorum perfectione etiam pendenti? Asseveratio alterius Pharmacopolæ Visitatoris identidem alias visitandi valebit? Confidentia cœca in Artifice sufficit? Minimè. Medicamenta aliena, vetusta, malè præparata, sophistica, substituta.. quæ non raro ob oscitationem criminalem ministrantur, an non inutilia

vel nociva erunt, et vita hominis pesumdabitur? APAGE.

Statuta Medica conimbricensia strictè, et severissimè studium istud, et propriis manubus exercitium Medicis imponunt. Sine istis, ajunt, nec vires Remediorum juxta diversas eorumdem præparationes à Medico, qui ea præscripsit, distinguentur, neque errores, fraudesque Pharmacopœorum observabuntur, et corrigentur.. Cathedrarius, qui renuat medicamenta suis propriis manubus in Discipulorum exemplum conficere, Cathedra, omnibusque honoribus Regiis privabitur, et etiam tamquam Boni publici hostis, seu inimicus declaratur. (*a*)

Cel. Chemicus, atque Pharmacopola *Baume* severissime proponit Pharmaciæ necessitatem in Medico; ita ut asserat, quod tota hujus doctrina, atque peritia erit ei insufficiens, et inutilis, si non dignoscat per odorem, saporem, consistentiam... exactitudinem Remediorum, quæ imperat; etiamque addit, quod ejus-

(*a*) Lib. III. Part. I. T. III. Cap. I. Pag. 49.

dem ignarus Medicus non poterit animadvertere errores, atque fallacias, quæ suorum fato asserit frequentes admodum esse in LUTETIA ipsa, ob avaritiam, seu ob ignorantiam Pharmacopolarum. (*a*)

Nos meliora de Pharmacopoeis nostris pronunciamus. Medicinæ Tiro nedum theoricè sed practicè etiam Pharmacopolia adeundo, in ipsisque morando Pharmaciam noscat, ejusque Rerum æstimationem; non ut postea Medicus declaratus errores, et avaritiam Pharmacopolarum noscat, et emendet: ista enim in hac Regione à Pharmacopoeis nostris absunt; sed ut in curationibus morborum tota quanta fas sit securitate, frugique procedat: ut si necesitas expostulet, absente Pharmacopoeo, Remedia conficiat, et etiam: ut in Pharmacopoliorum Visitationibus, tamquam verus, sapiens, expertusque Judex interesse, atque præesse possit, ut revera debet.

Denique sapientissimus *H. David Gaubius* Medicinæ Professor meritissi-

(a) *Elementos de Farmacia.* Tom. I. Pag. XXV. Traduct. hispan. Mad. An. 1793.

mus, qui Chemiam, atque Pharmaciam in Universitate Leidensi docuit hæc pronunciat : *quí enim Pharmacopoeo dabit leges ignarus ipse agendorum? Vix profecto dici potest quantum hæc* (Rei pharmaceuticæ) *ignorantia Rei medicæ inferat detrimentum.* (*a*) Pharmaciæ Elementa Chemiæ recentioris fundamentis innixa Auctore *Francisco Carbonell* An. 1796 Barcinone edita pro studio vespertino, in isto quarto Medicinæ curriculo, sufficient.

Ultima præparatio, ut Alumnus Medicinæ practicæ, post quatriennalem Cyclum in Scholis absolutum, se adjungat est illa *Introductio in Praxim clinicen*, quam BOERHAAVIUS ipse pro Tironibus confecit, vulgavitque, et quam hic pro ipsis Tironibus transcribimus. Maximum etiam emolumentum Philiatri percipient perlegendo, et memoriæ mandando HIPPOCRATIS Coi Aphorismos, seu potius Oracula, quæ in ordinem digessi qualemcumque, atque in Sectiones varias divissi; ut ita Tiro-

(*a*) Methodus concinandi Formulas Prolegom. num. 8.

num perceptioni, atque reminiscentiæ aptius faverent. Placuit opusculum istud aureum Poesi heroica à Medicinæ Doctore Bruxelensi *Joanne Baptista Conde* explicatum adumbrare, ut hujus stili amœnitate, atque lenocinio incitati, allecti, rapti Tirones eos legant, addiscant, memoriæ mandent, in succum et sanguinem convertant. Ordo, quo isti nectuntur ad eorum intelligentiam confert; quoniam sæpe ita dispositi, Aphorismus præcedens sequentem declarat. Sed ulterius consulendi Commentatores optimi, et præcipui. Inter antiquiores volvendus GALENUS Græcus, et numquam doctior quam quando Hippocratem illustrat: inter antiquos VALLESIUM nostrum: inter recentiores JOANNEM GORTERUM præferimus, et commendamus. Statuta laudata Scholæ conimbricensis jubent Aphorismos istos, quoniam *continent prima Medicinæ practicæ Axiomata per observationem plurium sæculorum confirmata*, litteraliter à Discipulis addisci. (Lib. III. Tit. III. Cap. IV. Pag. 87.)

Denique: liceat mihi homuncioni

aliquam, cum veneratione humillima, considerationem innuere super verba illa Divina Præfationem istam quartam, et ultimam præcedentia, quibus Corporis humani *Sanitas* extollitur.

Quid igitur ex his VERBIS DIVINIS sacrosanctis colligendum, pronuntiandum.. super Medicinæ utilitate, necesitate, atque præstantia *Sanitatem* istam labilem, atque caducam sua Physiologia, et Igiene cognoscere, et sustinere semper intendentis; et Therapeutice in statum integrum lapsam post liminio ut plurimum, et fere semper, ni DEUS avertat, revocantis?

Respondeant Viri prudentes, et ortodoxi DEUM, et Scripturam sanctam reverentes, quos tantum hac in re Judices integros, gratosque apello, et recognosco.

HERMANNI BOERHAAVE

APHORISMI

DE COGNOSCENDIS, ET CURANDIS MORBIS.

MORBI ACUTI FEBRILES.

770 NUnc morbi Acuti considerandi, qui febre stipati acuta, tamen singularem inflammationem inducunt huic illive organo, unde ab ejus functione læsa toti morbo imponitur nomen. Tales sunt Phrenitis, Coma, Carus, Angina, Peripneumonia, Hæmoptöe, Pleuritis, Inflammatio mammarum, Diaphragmatis, Ventriculi, Hepatis, Lienis, Mesenterii, Intestinorum, (Dysenteria, Ileus, Volvulus, Tenesmus, Hæmorrhoides, Colica biliosa,) Renum, Vesicæ, Ureterum, Uteri, Juncturarum, Exteriorum in Morbillis, Variolisque. (*a*)

(*a*) Tria in morbis acutis inflammatoriis consideranda sunt: febris acuta continua, in-

flammatio et organum cujus functiones per inflammationem illud occupantem læsæ sunt; seduloque attendendum quousque generalis febrium et inflammationis curatio ante tradita his morbis conveniat, et quid præterea in singulis requiratur.

Ordo morborum hic propositus non servatur. Coma inter symptomata febrilia explicatum fuit. De hæmoptoe in capitulo de phthisi agetur. Mammarum inflammatio inter puerperii morbos dicetur. Lienis inflammatio ex hepatitidis historia facile intelligi poterit. Mesenterii inflammatio eadem requirit quæ inflammatio intestinorum, unde etiam hauriri possunt illa quæ ad dysenteriam, ileum, volvulum, tenesmum, hæmorrhoides spectant quatenus nempe omnes hi morbi inflammationi ortum debent. Colica biliosa ex hepatitidis historia in primis cognosci poterit. Quæ ad ureterum et vesicæ inflammationem pertinent partim ex nephritidis historia partim ex illis quæ de calculo postea dicentur hauriri poterunt. Uteri inflammatio inter morbos puerperii recenseri debet. Junctura rum inflammatio ex illis quæ de rheumatismo et podagra dicentur pariter intelligi poterit. Morbilli ex illis quæ de exanthematibus febrilibus dicta fuerunt poterunt declarari.

Nihilominus isti et alii morbi speciatim á Boerhaavio non tractati in tironum commodum adjicientur. Videatur in fine APPENDIX.

PHRENITIS. (*a*)

771 Si ferox (*b*) et perpetuum delirium à Cerebro primario affecto cum febre

(*a*) Sauvagesius Clas. III. Ordine II. Genere X. *Phrenitis*. Species : vera, synochi, miliaris, syptomatica, variolosa, morbillosa, verminosa, aphrodisiaca, apyreta, calentura, á dolore, hydrophobica.

Cullenius Classe I. Ordine II. Phlegmasiæ. Genere X. *Phrenitis*. Caracter : Pyrexia vehemens ; dolor capitis ; rubor faciei et oculorum; lucis et soni intolerantia ; pervigilium ; delirium ferox, vel thyphomania. Species idiopathicæ: vera, cephalalgia inflammatoria, siriasis . . . . symptomaticæ : synochi pleuriticæ, synochi sanguineæ, verminosa, epidemica, traumatica.

(*b*) Ferocitas de essentia phrenitidis certè non est. Dantur phrenitides et pessimæ quidem in quibus ægri obscure delirant absque ulla ferocia quod maximè notandum ne Medici in istis dignoscendis fallantur. »Phrenitici quidam »in rebus sub aspectu cadentibus dignoscendis »nihil errantes à naturali intellectus juditio aber»rant : alii contra cogitatione quidem falluntur »minimè, sensibus tamen difformiter moventur: »sunt præterea qui sensus simul et cogitationis »vitio laborant." Hæc Galenus de locis affectis lib. IV. cap. II.

Distinctio phrenitidis in idiopathicam seu veram et symptomaticam maximè attendenda. Hæc phrenitis vera etiam est cum cerebum ipsum afficiatur. In utroque enim casu eadem pars affecta est, similis materia morbi licet in

acuta continua oritur, vocatur Phrenitis Vera. Si á malo aliunde in Cerebrum delato in febre, inflammatione, &c. Phrenitis symptomatica, *paraphrosyne*, desipientia, dicitur.

772 Antecedunt Veram, calor, dolorque internus capitis ingens, et inflammatorius; sanguinis copia nimia; dispositio inflammatoria; rubor oculorum, faciei; (*a*) somni turbulenti; desipientia levis; adolescentia; calidorum usus; insolatio;

ista illud quod cerebrum turbat prius in alia parte hæserit, postea ad cerebrum delatum. Necessaria est hæc distinctio quia in curatione utriusque magna sæpe diversitas requiritur. Hæc phrenitis symptomatica improprie tantum dicitur *paraphrosyne* vel *et desipientia*, cum hoc nomine et delirium quod non perpetuum est, sed in vigore tantum febrium adest intelligatur.

(*a*) Per faciem externæ carotidis rami pro maxima parte sanguinem distribuunt, sed ad oculos et per internæ carotidis ramulos sanguis fertur. Unde ex hoc signo novimus internas capitis partes affici, et distendi. *Insolatio* in primis si non bene tecto capite æstate imprimitur nocet. Nihil enim magis periculosum quam si solis radiis exposito capite quis dormiat. Manasses maritus Judith dum in diebus messis hordeaceæ instaret super alligantes manipulos mortuus legitur. (Judith Cap. VIII. Vers 2. et 3.) *venit* enim *æstus super caput ejus.*

Illa quæ symptomaticam phrenitidem producere valent maxime attendenda. Attentio ista corpus et Animam ipsam juvare valet. Estote cau-

vigiliæ; ira; mœror; protervia seu ferocitas; oblivio subitanea; siccitas totius, maxime cerebri; collectio floccorum.

Alteram vero omnis fere morbus acutus cum febri; dolor lateris non pleuriticus cum levi perturbatione animi; Inflammatio pleuræ, pulmonis, diaphragmatis, quæ pessima; hanc præsagit lingua nigra, alvus suppressa, urina retenta, fœces albæ (hæ letales ubique), urina pallida, decolor, tenuis, *adipsia*, ferocitas, rubor, urina cum suspenso nigro, vigiliæ, signa instantis inflammationis in capite.

773 Utraque (772) ubi præsens est, hæc habet symptomata. 1. Idearum sensilium depravationem, ut et sensuum internorum,

ti tirones Medici! agitur enim hic de præservando á phrenitide corpore et ab Orco fortassis Animam. Omnis fere morbus acutus cum febri symptomaticam phrenitidem producere valet. Per febrim enim liquidissima exprimuntur, reliqua incrassantur adeoque humores immeabiles fiunt, unde facillimè in minimis encephali vasis obstructio et inflammatio fieri poterunt. Dolores lateris et etiam in variis locis corporis existentes cum febre præsertim quandoque absque bonis signis evanescunt et dein periculosissima metastasi materia morbosa versus cerebrum derivatur sicque phrenitis symptomatica exurgit cujus inditium est levis animi perturbatio. *Lingua nigra* designat vel defectum tenuis lymphæ sanguinis, vel majora vasa immeabili sanguine distenta vasa minora comprimere, unde fistu-

et rationis, et affectuum. (*a*) 2. ferocitatem auctam et efferam, inquietem, vel sæpe

læ arteriosæ exhalantes in linguæ superficie positæ exarescunt et gangrenosæ fiunt : hinc ex lingua nigra, in primis si sicca simul fuerit, pessima humorum conditio præsagitur. *Adipsia* hic accipitur pro eo statu in quo non sitiunt ægri licet validæ sitis causæ adsint in corpore; designat ergo hoc symptoma turbari jam sensorium commune, neque amplius affici ab illis quæ antea sitim faciebant.

(*a*) Levissima mutatio illius organi corporei unde humanitas nostra pendet sufficere potest ut absque ulla causa externa nascantur ideæ sive novæ omnino sive similes illis quæ antea á causis externis in sensuum organa agentibus excitatæ fuerant. ¿Quid igitur fiet dum inflammatio interna capitis obsidet? Si paulo ante morbum ingruentem aliquid contingat quod valide mentem afficiat illius memoria renovatur continuo. Quotidianæ in praxi observationes hoc docent : et Abderitarum integram civitatem afligens morbus insigne hujus rei testimonium exhibet. Narrat enim Lucianus (Capite : *Quomodo Historia est conscribenda*) celebrem tragœdum Archelaum media æstate magno sub æstu coram Abderitis Andromedæ fabulam egisse, multosque rediisse ex theatro febricitantes. Ridicula autem perturbatio horum ægrotantium mentes obsidebat, omnes quippe tragœdiam agebant, jambos recitabant et in primis Euripidis Andromedam flebiliter canebant. Similem casum vidi in puero quinqueni nobilissimo post eandem tragœdiam visam et ab eodem executam, quo exemplo, licet non infelici utpote á periculosa

somnos turbulentos. 3. pulsum durum, respirationem raram, et magnam. 4. faciem plerumque rubram valde, vultuosam, adspectu horrendam, oculos protuberantes, trucesque, stillicidium narium.

774 Prognosis hisce fere describitur.

Phrenitis vera tertio, quarto, septimoque die necat, raro hunc transgreditur.

Tumque, si sæva fuerit, sæpe in Maniam abit.

Paulisper adscendens immanis fit. (*a*)

epilepsia et phrenitide evasit sospes, à similibus spectaculis arcendi præsertim pueri.

Perpetuum delirium phrenitidem commitatur, non tamen illud ferox semper est. Ferocitas enim tunc adesse dicitur quando ægri delirantes sibi alisve nocere tentant. Pro variis autem animi affectibus ideas ex interna et morbosa sensorii communis mutatione natas comitantibus hæc ferocitas adest vel non. Sic enim ridiculum potius quam ferox erat Abderitarum delirium, et in letali phrenitide quandoque ægri floccos carpunt, festucas de pariete avellunt taciti sæpe, vel admodum tranquillè delirantes. Interim tamen semper magna cautela adhibenda est quia et tacita illa et tranquilla phreniticorum deliria subito quandoque in immanem furorem mutantur.

(*a*) Morbus iste larvatus *paulisper adscendens immanis fit.* Hippocraticum monitum est et summi quidem momenti ut cautus Medicus efficacissimam statim medelam adhibeat simulque caveat ne sibi aliisve nocere possint tales ægri. Sic autem habet : *quæ sensim feroces fiunt desi-*

Sæpe desinit in Lethargum, Coma, Cotochen.

Vomitus æruginosus ratione inflammati cerebri; sputatio frequens et indecora in adstantes; tremor; fœx alvi et urina interceptæ, vel albæ; urina cruda; convulsio; venatus floccorum volitantium; oculi pulverulenti; dentium stridor; *adipsia* plerumque convulsionis prænuncia; permutatio symptomatum perpetua, ulceris tumentis subsidentia, frequentia sunt præsagia periculi summi, et mortis.

A peripneumonia letalis. A variolis mala admodum; ab ileo letalis.

Inflammatio paulisper fixa, et asperitas faucium ad superiora vergens creat phrenitidem mortiferam, hi palpant, et laboriosi sunt.

pientiæ ferinæ sunt: sed et convulsiones prenuntiant. (Coac. Præn. N. 87. 156. 248.) Primo enim solito morosiores apparent ægri, dein ferox et protervum responsum dant, postea oblata respuunt quæ antea avide expetebant: sic sensim gliscente morbo tandem in adstantes irruunt, calcitrant, mordent... Nullum enim dubium est ferociter delirare ægrum licet paulo post quieverit, et vel ignari tunc cavent et sibi et ægro dum jure metuunt ne paulo post in similem furorem rapiantur. Piquerius monuit morbum istum sævissimum et communissimum sub larva febris mesentericæ quandoque ingruere et Medicos licet expertos sæpissime fallere. De febribus. Febris messenterica. Cap. III. n. 16.

Quæ versatur circa necessaria, pessima.

775 Cadavera defunctorum à phrenitide exhibuere meninges inflammatas, gangrænam, abscessum, sphacelum cerebri, aut acres rodentes ichores.

776 Ex quibus cunctis elicitur causa proxima Phrenitidis Veræ, inflammatio vera piæ matris, duræque primario orta. Symptomaticæ vero, inflammatio similis orta à raptu materiæ phlogisticæ in cerebri meninges.

777 Quidquid has producere potest, fungi poterit causæ proprioris munere (772).

778 Quin hinc vera diagnosis utriusque mali.

779 Curatio requirit attentionem (*a*) ad sequentia.

(*a*) Hoc fuit Veterum Medicorum institutum ut sollicite notarent illa quæ in morbis contingebant, sicque discerent fideli observatione quibus modis morbi in salutem vel interitum tenderent ut postea priora promovere posteriora impedire vel mutare idonea medela possent. Unde Hippocrates adeo operosus fuit in semejoctice condenda atque salutarem artem tot regulis practicis plurium seculorum communi suffragio probatis nobilitavit et auxit. Has ex morborum observatione collegit, ut noscet qui veræ sapientiæ medicæ, et unicæ avidus huyus Oracula diurna, nocturnaque manu verset, qui Aphorismos cum illis conferat quæ in epidemicorum libris continentur. Circa rem istam extat

Phreniticis varices (*a*), vel hæmorrhoides fluentes prosunt.

Alvi fluor bonus.

Dolor ad pectus, pedesque, vel et vehemens tussis superveniens sæpe solvit malum.

Ut et hæmorrhagia.

opusculum Henrici Cope qui ita Hippocratis prognostica digessit, et alterum Doctoris Aubry qui sub hoc titulo : *Les Oracles De Cos* Epidemiorum observata per Aphorismos, Prognostica, Coacas . . confirmavit.

(*a*) *Varix* est præternaturalis venæ distensio. Ista in venis crurum frequenter apparet, et dum ita fit sanguis in his retardatur hujusque ad cor et caput reditus detinetur : hinc lenis compresio venarum inferiorum qua istæ varicosæ reduntur in phrenitide et etiam in mania prossunt. An tumentes venæ crurum præter modo dictos varicum effectus ex cognita corporis fabrica intelligendos, *Regiminis* quadam actione (701.) Caput afficere possunt? Sequens Hippocratis aphorismus tale quid indicare videtur: *qui calvi sunt, illis varices non fiunt : quibus vero calvis existentibus varices succedunt illi rursus capillati fiunt* (VI. 21) Qui hunc textum proterve riserunt tamquam penitus absurdum et nullam communionem inter capillatam capitis cutim et tumentes crurum venas esse statuerunt videant an melius intelligant quare circa pubertatis tempus tumentibus et varicosis sæpe factis venis spermaticis in pudendis crines prodeant, in masculis barba enascatur, vox mutetur &c. atque in castratis sæpe omnia hæc immutentur denuo. Sufficiet practico novisse quid

780 Phrenitis vera requirit citissime validissima remedia, quibus tolli possit inflammatio ad cerebri arterias orta.

781 Quæ petenda maxime ex curatione inflammationis in genere, observatis hisce. Venæ sectio (*a*) instituenda larga, per amplum vulnus, aut plures venas simul, in pede, jugulo, fronte. Diluentia ex decoctis antiphlogisticis, nitrosis, affatim exhibenda. Dein purgantia antiphlogistica, cum multo potu diluente nitroso danda. Clysmata similia, additis laxantibus.

ex varicibus natis morborum tempore boni vel mali expectandum sit licet connexionem inter causam hanc prægresam, et commitantem vel sequentem effectum non distincte intelligat. Ante pubertatem varices in tibiis non expectandas esse postea Hippocrates monuit (VI. Aphor. 34.) Præter in textu dicta sudores multi calidi circa diem septimum sive soli sive cum narium hæmorragia salutares observantur.

(*a*) Morbus iste ab inflammatione natus venæ sectiones requirit ad resolutionem procurandam et febrim acutam minuendam. Præter venæ sectiones in brachiis etiam in pede, jugulo, fronte, naribus instituendæ. Areteus largam sanguinis misionem in hoc morbo formidabat quia metuebat sincopem in quam præ reliquis hunc morbum pronum esse credebat. Audax certe sanguinis misio numquam nisi presente Medico fiat qui pulsum tangens dum sanguis apertis venis fluit facile videbit quousque cum prudentia hoc tentari possit.

Anus fovendus, hæmorrhoides fricandæ foliis ficus, &c. vel evacuandæ hirudinibus. Collutoria, gargarismata (*a*) lenia revocanda in crebrum usum. Nares, oculi, aures, fovenda. Caput radendm. (*b*) His præmissis, neque cedente malo, opiatis (*c*) utendum,

(*a*) Hæc auxilia valde prodesse possunt, quoniam carotidis externæ rami per has partes dispersi his mediis laxantur adeoque impetus et copia sanguinis à partibus capitis internis avertitur. Et quoniam ægri isti sui compotes non sunt in statu saltem mitiori cavum oris penicillo aliquo decocto madido colluendum; fauces, gargareon, seu uvula . . injectionibus per siphonem si ab ipsis obtineri non possit à ministro in crebrum usum revocanda. Simul etiam aures, oculi, nares, similibus fovenda; nares præsertim, quoniam humectando vasa ibi posita optime disponuntur ad salubrem in hoc morbo hæmorrhagiam.

(*b*) Abrasis enim capillis tota capitis cutis maximè perspirabilis redditur. An huic cucurbitæ? An huic vexicatorium? Lintea aqua rosarum madida . . utilissima.

(*c*) Non nisi post imminutum memoratis remediis humorum impetum hæc præscribenda. Dictum fuit (§. 774.) Morbum istum sæpe desinere in lethargum, coma, catochem quod pro opiatorum licet leniorum prescriptione notandum. Item: temperamentum pituitosum, febris non admodum inflammatoria, typhomania . . ab opiatis dehortantur, *ne quem obdormire volumus excitare postea non possimus* ex Cor. Cels. (Lib. III. cap. 18.) Vigilia pertinax noctu dieque manens, oculi intenti, jactatio vix interrupta . .

pediluvia, epispastica levia, cucurbitæ, ad inferiora applicanda. Corpus moderato frigore reficiundum, et erectum tenendum.

782 Si vero Phrenitis ab alio morbo (*a*) inflammatorio jam facto oritur, an-

paregorica exigunt, exteriora præsertim. Opii vino soluti odor, temporum frontisque inunctiones balsamo tranquilo, populeonis unguento.. sufficere possunt. Pediluvia decocto capitum papaveris albi cum foliis salicis, lactucæ .. addito nitro valde prossunt. Sinapismi ex pane aqua et aceto plantis pedum applicandi. Si necesitas interiora exigat emulsiones ex semine papaveris albi addita sirupi de meconio dosi modica .. fortase sufficient. Pulveres de guteta, marchionis .. inutilia.

(*a*) Maximi momenti in praxi hoc monitum est, ut nempe in cura phrenitidis symptomaticæ attendatur ad genium morbi primarii ex quo phrenitis orta fuit. In variis febribus epidemicis, in variolis .. phrenitis tamquam symptoma apparere solet.

Stollius ista huic articulo addit quæ transcribere lubet. »An Camphora cum nitro in vera »phrenitide, an potius in delirio à sistemate »nerveo per febrim nimis irritato? An moschus »et quando? an post usum venæ-sectionis, et alio»rum refrigerantium opium? an hoc serius magis »convenit febre cessante, delirio levi, desi»pientia, fatuitate ob keneangeiam remanente? »Nocebit certe in vera phrenitide vigente. Huc »phrenitis (sequitur Stollius) puerperarum spec»tat in non lactantibus, aut non sufficienter post »primum puerperii triduum incerto tamen tem»pore à plethora ad encephalum determinata ori-

te omnia attendendum, an genius ejus mali patiatur adhiberi modo dicta (781); si non, tum curanda est methodo illi morbo debita, semper additis derivantibus, et topicis remediis.

ANGINA. (*a*)

783 Impedita valde, dolens admodum, vel et impedita et dolens simul deglutitio, atque respiratio, quæ contingit à causa morbosa agente in partes binis his functionibus inservientes, supra pulmo-

„ri solita, in maniam sæpe sanabilem non raro „abiens. Actu frigida, nive, glacie toti capiti „imposita . . eandem producere poterunt" . . Vid. Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus. De Phrenitide loquens.

(*a*) Sauvagesius Classe V. Ordine II. Genere X. *Angina*. Species: bronchus (catarrhalis) œdematosa, calculosa: à deglutitis, à laqueo; schirrosa, suppuratoria, venerea, hysterica, hydrophobica, nasalis, exanthematica, scorbutica, thimica, polyposa, aneurismatica, broncocelica.

Cullenius Classe I. Ordine II. Genere X. *Cynanche*. Caracter: pyrexia aliquando typhodes, rubor et dolor faucium, deglutitio et spiratio difficilis, cum angustiæ in faucibus sensu. Species: tonsilliaris, maligna, ulcerosa, epidemica, trachealis, stridula . . pharingea . . . parotidea seu externa.

nes, et supra stomachum positas, Angina vocatur.

784 Cujus duplex observatur species; (*a*) prima sine ullo signo tumoris externi, internive apparet; altera vero cum aliquo tumore in aliqua parte organorum descriptorum (783.) deprehenditur semper.

785 Illa prior in fine morborum diuturnorum, maxime post ingentes et sæpe repetitas evacuationes contingit; pallorem faucium, siccitatem harum, tenuitatem simul, comites habet; quare nervos et musculos resolutos plerumque habet; fere semper est signum imminentis mortis; raro curatur, et tum tantum remediis replentibus vasa vacua bono succo vitali, calefacientibus, corroborantibus.

786 Eadem prior species aliquando oritur subito sine signis manifestis prægressis ullius morbi; vix capit medelam; et fere semper, post mortem, suppuratum pulmonem demonstrat.

787 Quæ cum tumore accidit varia nomina accipit, vel à natura tumoris, vel

(*a*) Præter divisionem istam et alias infra propositas notanda illa, quæ exquisita: notha, et benigna seu maligna audit. Antiqua divisio in cynanchem . . synanchen . . ex ignorantia penitioris structuræ harum partium procedebat: divisio Boerhaavii ex natura læsionis et structuræ partium affectarum firmior est. Ita Theodor. Eller. sect. VII. pag. 168.

à loco per tumorem occupato. Hinc est œdematosa, catarrhosa, inflammatoria, purulenta, scirrhosa, cancrosa, convulsiva, Angina.

788 Occupant hi tumores (787.) linguam, ejus musculos; palatum, tonsillas; uvulam, hujus musculos; cava (*a*) ossium frontis, maxillæ superioris, ossis sphenoidis, enato et ibi radicato polypo increscente, nares obturante, palatum deprimente pendulum, fauces angustante, pharyngem, laryngemque occludente; musculos ossis hyoidis omnes, vel aliquos; musculos laryngis externos, internos, communes, proprios; asperæ arteriæ membranam interiorem muscularem; pharyngis musculos superiores, et œsophagum; ipsum œsophagi musculum; glandulas asperæ arteriæ et œsophago ita vicinas, ut hæ fistulæ ab iis tumentibus comprimi queant, ut sunt salivales omnes, tum vagæ circa hæc loca, ac tandem ipsæ Thyroideæ.

789 Ex qua historia (785. ad 789.) perspecta apparet ratio tam multiplicis, improvisi, et funesti sæpe eventus, hujus mali (783).

(*a*) Narium capacitas his augetur. Membrana mucosa nariuin omnia hæc cava investit. Membrana ista protensa tumorem format polypum dictum qui non Hippocratis sed Leureti methodo curandus. Vid. hujus Opusculum: Observations sur. les Polypes . . du Nez.

790 Quum vero tam varius ille morbus sit, tam varium effectum producat; variaque adeo remedia et artem medendi postulet, quantum brevitas hic necessaria permittit, eum recenseri necesse est.

ANGINA AQUOSA.

791 Angina aquosa, œdematosa, catarrhosa tenuis, est impedita, vel dolens respirandi, vel deglutiendi exercitatio, cum tumore lymphatico partium, quibus illa fit, vel vicinarum.

792 Habet ergo, ut cæteræ aquosæ colluvies, sedem in parte glandularum ubi reconditur atque excernitur secreta arteriis lympha.

793 Ergo pro causa agnoscit quidquid exitum liberum lymphæ impedit: eorum vero est numerus ingens, et diversitas. Compressio venarum quæcunque, in quas forte earum glandularum emissaria se evacuant: obstructio nata in ipso folliculo glandulæ à gypso, pituita, lapide, fungo, et similibus ibidem enatis; obstructio facta in ipsis emissariis à causis eisdem; compressio eorumdem locorum; frigus finibus excretoriorum meatuum applicatum; debilior humorum circumactio.

794 Effectus talis mali sunt tumor aquosus, albus, frigidus; vicinorum com-

pressio ; impedimentum functionum, quæ à non compresis pendebant.

795 Hinc signa diagnostica (791. 792. 793.), et prognostica (794.) facillime patescunt.

796 Curatio autem hic peragetur iis, quæ 1. causas obstruentes resolvunt, movent, aut rodendo, vel secando tollunt. Huc spectant emollientia, aperientia; laxantia forma fotus, cataplasmatis, gargarismatis, injectionis, collutorii, vaporis applicata ; tum frictiones ; caustica; scalpellum. (*a*) 2. quæ copiam lymphæ per opposita loca evacuando, minuunt: quod fit apophlegmatismis, vesicatoriis, sudoriferis siccis externis, internis, diureticis similibus, hydragogis per alvum. 3. abstinentia ab liquidis, victu calefaciente, exsiccante. 4. augendo vim circulationis per remedia nota (98. 99).

APHOR. 796.

Vid. ad { Num. 1. Aphor. 54. Num. 4.
Num. 2. Aphor. 201.

(*a*) Van-Swietenius in tumore valde aucto sub lingua à morsu levi in inferiore hujus parte fortasse producto, non aneurismatico, frictionibus, fomentis, purgantibus . . resistente, ait: jussi, ut sub lingua prominulus tumor lanceola pertunderetur: quo facto exivit incredibilis copia humoris pellucidi: et fuit perfecte curatus.

ANGINA SCIRRHOSA.

797 Si vero glandulas descriptas (788.) scirrhosus, et multum increscens tumor occupavit, signis scirrhi (392.) cognoscitur; atque ex noto ejus situ futura angina prævidetur, nata vero perspicitur; tum si extirpatio (*a*) possit fieri, ea sola remedio erit tuto; aut in internis circa fauces corrosio, multa cum prudentia tentanda.

APHOR. 797.

R. Olei Tartari per deliquium.
Penicillo ex linteo carpto ad calamum aptato, per cannulam applicato, eo humectato locus sensim erodatur.
Id fortius paratur cum calce viva, sed plus discriminis habet applicatio.

(*a*) Advocanda huc scirrhi doctrina alibi proposita. Glandulæ numerosæ hic adstantes indurari possunt resolutioni rebelles admodum: sola ergo extirpatio cultro tentata spem facit. Corrosio oleo tartari hic proposito tentanda: cancer tamen timendus. Ruyschii crudelis cura à van-Swietenio memorata unica et fere inimitabilis. Oesophagi tubus aliquando vel in propria sua substantia scirrhosus fit et tumens sensim angustatur, vel à tumoribus scirrhosis latentibus et ipsi vicinis sensim magis, magisque comprimitur. Hinc difficilis deglutitio lentè observata tandem lento

ANGINA INFLAMMATORIA.

798 Verum quando ab inflammatione, glandulæ (788.), vel musculi (788.), occupantur, tum oritur morbus huc proprie referendus ob summam, qua funestus est, acutiem; et velocissimam, et insuperabilem sæpe violentiam.

799 Hujus (798.) mali causa 1. in genere est omnis ea, quæ inflammationem quamcunque potest producere (375. 376. 377. 378). 2. illa omnis, quæ inflamma-

marasmo occidit. A spirituum fermentatorum abusu, à vento frigido collum nudatum diu et validè aflanti . . à fervida caffæ, theæ . . sorbillatione, vel contra frigidorum potuum abusu malum istud fortè produci potest. Hujus tumoris solutio fortioribus solventibus, cicutæ, aconito . . inunctionibus ipsis mercurialibus ut plurimum resistit, quibus frustra tentatis, Willisius suasit ut æger virgulam è pinna cetaceta paratam, in summitate spongiam affixam habentem, œsophago immitteret statim post cibum et potum assumptum, sicque viam faceret, ut in ventriculum descendere possent. Succesit quidem hæc methodus, sic tamen ut quotidie eadem indigeret miser æger, secus inedia periturus. Vid. Dissertatio: *de Fame letali ex callosa oris Ventriculi angustia* apud Daniel. Trillerum Opuscula medica. Tomo I. pag. 3. et Anton. Haen Dissertatio: *De impedita deglutitione* . . Tomo VI. Ration. medendi.

tionis causas determinat in primis ad loca descripta (788.), maxime ad laryngem, pharyngem, os hyoides, horumque musculos, tum ad fistulæ pulmonalis superiora: talia autem sunt, dipositio propria juvenibus, sanguine divitibus, rufis, exercitium frequens, validumque harum partium, oratoria exercitatio, cantus, clamor, fortis equitatio (*a*) adverso vento et frigido, tubarum et fistularum inflatus, labores validi in aere frigido, calor æstuans magnum frigus excipiens tempore verno; aridæ fauces ob aeris recepti et expulsi fervorem in æstu solis, vel in febre inflammatoria.

800 Ubi ex his causis (799.) nata est, varia, et inter ea horrenda symptomata creat, pro diversitate partis ejus, quam occupat.

(*a*) Dum fortiter quis equitat adverso vento omni momento frigidus aer fauces ingreditur, simulque vasa harum partium ab aere resistente, et contraria directione moto valide comprimuntur, adeoque et angustantur. Ergo frigore moleculis humorum adunatis (§. 117.) atque eodem constrictis vasis, conspirante simul pressione valida aeris in has partes, aptissima nascitur obstructioni in his locis occasio, dum simul auctus humorum per vasa motus inter equitandum (calescunt enim à celeri equitatione etiam hyemali frigore homines) impetum in loca obstructa auget; adeoque inflammationem (§. 371.) producere valet.

801 Si sola laborat pulmonalis fistula, illæsis aliis, in interna sua membrana musculosa, tum oritur ibi tumor, calor, dolor, febris acuta calida, cæterum externa signa nulla; vox acuta, clangosa, sibilans; inspiratio acute dolens; respiratio parva, frequens, erecta, cum summo molimine; hinc circulatio sanguinis per pulmones difficilis; pulsus mire et cito vacillans; angustiæ summæ; cita mors. Estque hæc una (*a*) ex iis, quæ funestissimæ, nec externa dant signa: quo vero propius glottidi et epiglottidi malum, eo sane magis letale.

802 Si larynx in primis acute inflammatur; et sedem habuerit malum in musculo albo glottidis, et simul in carnosis ei claudendæ inservientibus, oritur dirissima, subito strangulans, Angina. Signa ut prio-

(*a*) Quinque species Anginæ inflammatoriæ proponuntur à Boerhaavio. Prima quæ hac paragrapho declaratur facile percipitur attenta pulmonis fabrica, sanguinis circulatione per ipsum, arteriæ asperæ, ei inservientium musculorum. Respirationis usus, aeris utilitates . . . etiam considerandæ. Num ad istam pertineat Angina trachealis membranosa polyposa suffocatio stridula? videant experti ait Cullenius, qui hunc hujus caracterem tradit: cynanche (*trachealis*) respiratione difficili, inspiratione strepente, voce rauca, tussi clangosa, tumore fere nullo in faucibus apparente, deglutitione parum difficili, et febre synocha.

ra (801.); dolor in elevatione laryngis ad deglutitionem ingens, auctus inter loquendum atque vociferandum; vox acutissima; stridula; citissima, cum summis angustiis; mors. Estque hæc, (*a*) sine signis externis, omnium pessima.

803 Si soli musculi elevando ossi hyoïdi, et laryngi servientes inflammantur valide, signa evidentia sunt hæc; respiratio satis libera; deglutitio in prima actione suæ exercitationis acutissime dolens; tum signa inflammationis in genere; et eadem in iis musculis, qui apparere examinanti possunt. (*b*)

804 Quando autem sola pharynx (*c*) eodem infestatur malo, signa specifica sunt, inspectis faucibus apparentia; respiratio satis commoda; deglutitio dolens, impossibilis; materies deglutienda per nares redeuns; eadem in asperam arteriam pulsa,

(*a*) Traditur hic species secunda Anginæ inflammatoriæ pariter intelligenda.

(*b*) Tertia Anginæ species hic declaratur quæ licet minus præcedentibus funesta; ob periculosam metastasim facilem in Pulmonem, timenda. Absentia doloris, libera deglutitio, febris augmentum, dolor aliquis in pectore, respiratio etsi leviter difficilis. . transmutationem istam suspicari faciunt frequenter letalem.

(*c*) Quarta Anginæ species hic traditur. Hujus periculum præcipuum est deglutitionis impedimentum et dein imposibilitas.

et tussim violentam excitans ; hinc defectus cibi, potusque ingerendi ; exsiccatio, et exasperatio omnium humorum in corpore; febris non adeo intensa ; major morbi duratio ante illatam mortem.

805 Si vero tonsillæ, uvula, velum membranosum pendulum ; musculi ejus quatuor pterygostaphylini inflammantur valide, (*a*) tum fiunt fere eadem ac in priori (804.) ; respiratio incommoda, difficilis, per nares nulla, vel parva, per fauces angusta ; materies deglutienda ob angustias et summos dolores per os redeuns ; excreatio perpetua ; pituitæ ad cava tonsillarum stillicidium perpetuum, copiosum ; dolor acutus in aure interna, et via eo tendente à faucibus ; crepitatio in aure dum deglutitio fit ; surditas sæpe perfecta. Hoc mali genus hodie à lue gallica frequens, et valde metuendum.

(*a*) Quinta species inflammatoriæ Anginæ cognitu facilis, frequentior, curabilior. Angina ista *tonsillaris* dicenda quoniam tonsillæ tumidæ præcipue apparent. Pituita copiosa perpetuo stillans an causa? an effectus? Dolor acutus in tuba eustachiana ostendit inflammationem ad istam pervenire, propagari. Crepitatio est aeris in cavo timpani occlusio et agitatio quæ his partibus inflammatis, per deglutitionem vel aliter motis observatur. Surditas ab ista causa sanabilis; à lue gallica has partes depascente erodente.. non ita, sed incurabilis censetur.

806 Quod si omnes hæ inflammatoriæ species (801. 802. 803. 804. 805.), vario concursu simul ægrum infestent, concluditur facile, eo sæviorem fore morbum, quo plures in unum conspiraverint: tumque simul eo plura, et sæviora symptomata eventura esse.

807 Nam impedito tum cruoris in jugulares externas, vel per has ipsas compressas, reditu, fit tumor faucium, labiorum, linguæ, vultus; linguæ exsertio, intorsio, inflammatio; oculorum rubedo, protuberans tumor horrendus; cerebri, ob eadem suffocatio; hinc visus, auditus, tactus, hebetes; delirium; hiatus oris; stertor; decubitus impossibilis præ suffocatione; rubor, tumor, dolor, pulsatio, sæpe in collo, pectore, cervice, conspicui; unde venæ jugulares, frontales, raninæ varicosæ tument.

808 Decurrit autem omnis Angina consuetum inflammationis generalis iter, easdemque facit, ac patitur mutationes in resolutionem, pus, gangrænam, scirrhum.

809 Ergo si signa docuerint anginam esse (801. 802.), confestim examinandum, an pura hactenus inflammatio adsit (382. 383. 384.); tumque citissime per efficacissima remedia (395 ad 402.) tentanda resolutio est (386.) Itaque 1. cita, magna, repetita missio sangunis, eousque ut debilitas, pallor, refrigeratio, vasorum collap-

sus, (*a*) doceant, vim superstitis non posse augere tumorem et rigiditatem vasculo-

(*a*) Venæ sectio ista quæ ad animi usque deliquium procedit non nisi presente Medico instituenda qui ex pulsu vacilante, pallore oculorum, labiorum . . ulterius prohibebit. Venæ frontales, jugulares, raninæ afficiuntur. . sanguisugæ, cucurbitulæ siccæ, vel cum scarificatione in locis vicinis, artuum ligaturæ prodesse poterunt . . Sed non nisi præmissis venæ sectionibus necesariis in brachio, pedibus . . instituenda. Postquam venam humerariam et vasa narium secuerit Ximenecius ait: *tandem fluxionis reliquias opportunè ambabus his, quæ sub lingua extant Venis incisis vacuabis.* (Instit. Med. lib. IV. cap. XXV. pag. 440.) Plurima de nitro, aliis acidis mineralibus aqua multa dilutis pro gargarismis, potubus . . dici possent. Suficit advertere tepida ista omnia sumenda esse. Aliquando præcipue inflammatur uva. Tunc reprimentia prossunt. Pars ista fovenda succo malorum punicorum dulcium, alumine, omphatio melle mixto. Maxime periculosa et lubrica est in Angina ista in interiora et in disita loca metastasis ad quam precavendam epispastica . . in textu proponuntur. Inconstans certè morbus angina est, ut forte non sine ratione licet asserere nullum fere morbum acutum inflammatorium magis volubilem esse, quod maxime notandum. Nullus enim gangrenæ proximior: nullus metastasi pessimæ producendæ pronior. Curatio, quæ anginæ inflammatoriæ, membranosæ trachiali . . confert eadem est. Sinapismi, et vesicatoria collo ipsi et pectori post venæ-sectiones apposita sunt optima. Membrana factitia ex rore è glandulis secreto et coagulato confecta, dis-

rum, exercenda erit. 2. valida (*a*) alvi subductio per purgantia ore hausta, vel clysmatum instar injecta, repetita. 3. victu, potuque tenuissimo et lenissimo opus. 4. nitrosis, subacidisque medicamentis. 5. vapore humido, molli, tepido assidue hausto: fomentis externis; derivantibus epispasticis, cucurbitis, sinapismis collo, et pectori appositis.

810 At species (803.) raro tam periculosa, ac (801. 802.), eadem remedia (809.), sed leviora petit. Hic autem in primis cataplasmata anodyna, laxantia, emollientia externa necessaria.

811 Dum denique angina (804. 805. 806.) adhuc inflammatoria infestat; tum eadem remedia (809. 810.) requiruntur unita, sed addendæ perpetuæ humectatio-

cindenda et ejicienda est. Inspiratio vapore aceti sambucini impregnata prodesse poterit. Tussis strangulatoria infantum quæ galli gallinacei cantum refert idem cum isto morbus est, et eadem auxilia expostulat. In initio levis solet apparere; sed etiam solet postea inopinato necare. Licet de hujus mali contagio dubitetur, prudentia jubet inter pueros quibus familiaris est sollicitam præcautionem. Vomitorium in ipso initio morbi quando membrana levis adhuc est, et separatu facilis, præmissa venæ-sectione poterit à prudentissimo medico administrari.

(*a*) Nimia diagrydii dosis in Materie medica proponitur. Purgantia antiphlogistica pro nostratibus sufficient clysmatibus juvanda vel supplenda.

nes oris et faucium, per lenissima attenuantia nitrosa, diluentia aquosa calida, laxantia pinguia, quæ ore quieto contineri, leniter gargarisando applicari, fistula injici possunt: requiritur continua opera ne arescant partes.

812 Si omnibus his non, sero, vel frustra tentatis (809. 810. 811.), morbus sit maxime recens et strangulans à causa superiori, quam erit locus sectionis, cum symptomatibus pessimis (807.), nec tamen adhuc gangrænosis, statim post acerbam prognosin instituenda erit *Bronchotome*. (*a*)

813 Quæ fiet, præparato corpore ægri, in aspera arteria infra laryngis inferiora ad pollicis distantiam, discissa cute, et inte-

(*a*) Operatio ista est fistulæ pulmonalis impeditæ apertura ut aer in pulmonem venire possit. Hæc nunquam tentanda nisi in consilium prius vocatis aliis Medicis, qui testes esse possint nullam salutis spem superesse nisi hoc tentetur, neque tamen certo sanitatem promitti posse, licet hoc fiat. Ita van-Swietenius. Hippocrates licet bronchotomes mentionem non fecerit tamen in hoc casu jussit, *fistulas in fauces ad maxillas intrudendas esse quo spiritus in pulmonem trahitur.* (Lib. III. de Morbis cap. 10) Vid. Petr. Salius in Commentar. pag. 302. Antiqui operationem istam damnaverunt quia judicabant neque os neque cartilaginem si resecta fuerint augeri, vel coalescere posse. Utrumque falsum esse declarat Chirurgia hodierna.

gumentis ; amotis musculis ; secto interstitio (*a*) inter annulos arteriæ asperæ ; imposito canaliculo argenteo ; dein ablata causa,

(*a*) Locus ubi sectio fiet seligitur ille qui pollicis latitudine ab infimo margine cartilaginis thyroideæ distat : sic vitatur glandulæ thyroideæ læsio quantum fieri poterit licet tamen ejus extremum sæpius tam profunde locetur ut discindi debeat antequam nulla appareat aspera arteria. Hic modus operandi per locum medium inter binos annulos cartilagineos facilior minusque periculosus censetur : potest etiam institui divisio discisis uno vel pluribus anulis cartilagineis arteriæ asperæ. Huic methodo multum ponderis addit casus famigeratissimus qui docet quantum possit in desperatis etiam rebus felix exercitati chirurgi audacia. Miles juvenis correptus fuerat angina inflammatoria laryngem et pharyngem obsidente. Intrepidus chirurgus quævis tentanda potius conclusit quam in maxima calamitate et vitæ periculo imminenti ægrum derelinquere. Itaque asperam arteriam secundum longitudinem discidit ad sextum anulum cartilagineum usque ; quo facto à tanto periculo emersit miles iste. Casum istum ex opere quod inscribitur : *Memoires d' l' Academ. royal de chirurg. de Paris* transcripsit van-Swietenius.

Sed quis est chirurgus iste in van-Swietenio injustè anonimus , qui felicitate humanissima et incomparabili tale portentum perpetravit? Hujus operis gallici redactores ipsum nominant : *Il falloit un chirurgien aussi intrepide et aussi entreprenant que l' a ete Mr. VIRGILI.* . qui est natione hispanus , patria catalanus ex opido villalongensi, cujus studia atque exercitatio ab ineunte ætate

quæ exegerat hanc operam, vulnus percurando; interim clysmata nutrientia applicando, si deglutitio impossibilis.

in nosocomio tarraconensi aliisve exteris ad summum in chirurgia honoris atque peritiæ fastigium evexere, ut ex parentali in eundem Oratione apparet.

Caveant nihilominus neo-chirurgi ab ista resolutione intrepide sumenda. Præ oculis semper habeant operationem istam esse discriminis plenissimam quidquid contra asserant Heisterus (Chirurg. part. II. sect. III. cap. 102. pag. 647.) van-Swietenius hic, et Auctores cursus operationum chirurgiæ gaditanæ. (Part. II. cap. XIV. artic. I. pag. 241. edit. IV.) Tamen in Angina inflammatoria tracheali omnia alia artis auxilia respuente et ob materiæ multitudinem continuo infarciente ac suffoccante in ægro juveni, vel validis viribus prædito à peritissimo atque dexterrimo chirurgo tentari poterit ut dictum. In angina exterius non apparente, à materiæ non multitudine, sed malignitate procedente..in angina ulcerosa.. pessima bronchotomia. In angina suppuratoria, seu quæ jam in suppurationem tendit raro occurrit bronchotomes absoluta necessitas; venæ-sectione enim repetita, clysmatibus, et purgantibus ita possumus exhaurire corpus ut vasa omnia subsidant, sicque impetrare tales inducias, ut maturatio abscessus expectari possit qui sponte vel arte rumpendus. Ad id commodè efficiendum Pnaryngo-tomus deservit. Rupto abscessu collutoria detergentia, antiputrida et consolidantia adhiberi debent.

APHOR. 809. Num. 2.

Haustus purgans.

R. Diagrydii grana decem, et octo
Fiat cum Aqua Emulsio, cujus unciæ semis admisce
Syrupi Sennæ unciam unam, et semis.
Fiat Haustus.

Clysma simile.

R. Foliorum Sennæ unciam unam.
Decoctis cum Aquæ unciis octo ad misce
Nitri unciam unam.
Syrupi Sennæ unciam unam.
Fiat Clysma.

APHOR. 809. NUM. 5.

Vaporarium particulare emolliens, resolvens.

R. Aceti Sambuci
Rosarum
Calendulæ singulorum unciam unam.
Aquæ stillatæ Sambuci uncias sex.
Misce. Vapor calidus hauriatur infundibuli ope in fauces.

APHOR. 810.

Cataplasma laxans, emolliens.

R. Lentis palustris uncias sex.
Foliorum Nympheæ recentis uncias quinque
Papaveris hortensis uncias octo
Bismalvæ uncias sex
Florum Sambuci
Meliloti singulorum uncias quatuor.
Cum aqua decoctis sub finem adde
Nidi Hirundinum numero duo (*a*)
Seminum lini quod sufficiat
Olei Lilliorum alborum uncias tres.
fiat Cataplasma.
Decoctum esto pro fomento.

(*a*) Daniel Trillerus omnium remediorum vulgarium et inutilium censor acerrimus atque facetissimus irrisor, nidos hos hirundinum non flocci pendet: ait enim: lutum ex quo nidi compositi sunt hirundinum excrementis coagmentati singulari pollet facultate . . resolvendi, ac discutiendi: inde nempe sola illa virtus pendet medica in resolvenda nonnunquam leviore angina. (Dispensatorium pharmaceuticum universale. Tom. I. pag. 238.) Opus istud, quo simplicia omnia atque composita medicamenta crisi severissima et exacta duobus voluminibus declarantur, tirombus maxime commendamus.

APHOR. 811.

Gargarisma emolliens, attenuans nitrosum.

R. Decocti à cataplasmate præcedenti uncias duodecim.
Aceti Sambuci uncias duas.
Syrupi Althææ uncias duas
Nitri puri drachmas duas. Misce.

R. Ficuum pinguium numero viginti duo.
Foliorum Althææ uncias duas.
Decoctis diu, unciis triginta expressis utatur.

APHOR. 813.

Clysmata nutrientia.

R. Jus carnium ad uncias decem.
Salis Nitri grana decem.
Spiritus salis guttas sex. Misce.
Injiciatur octava quaque hora, postquam primo clysmate purgante elota alvus fuit. (*a*)

(*a*) Horum alimentorum vires per vasa lactea in intestinis crassis etiam existentia sanguini, totique corpori communicabuntur.

ANGINA SUPPURATORIA.

814 Verum si malum jam eo processerit, ut suppuratio loci affecti jam incipiens cognoscatur per signa (387.), erit tentanda via abcessus per artem, et remedia generalia (402. ad 412.); maxime autem molli, assiduo gargarismate, largo cataplasmate laxante; pertusione loci, sensibus deprehensi; bronchotome (812. 813.)

815 Illa autem anginæ species, quæ prior descripta (801. 802.), raro eousque adolescere potest, sed vel prius resolvitur (809), vel necat.

ANGINA GANGRÆNOSA.

816 Si tandem causæ anginæ (799.) augentur, et in parte nobili magis (801. 802.) hærent, vel et in externis (804. 805.), sæpe in gangrænam abit letalem; id vero novimus 1. ex signis hujus generalibus (426. 427. 428. 429.) applicatis ad partes obsessas, quarumque functio læsa; 2. ex signis propriis; si tumor, ruborque prius conspicui subito, sine bona causa, disparuerint; si dolor similiter sic abiverit; fauces subito æquales, lævesque fiunt; siccæ, glabræ, li-

vidæ fauces: tum nullam capit magnitudo nimis provecti mali medelam. (*a*)

817 In scirrhum circa tonsillas, uvulam, palatum abit angina eorum locorum, ex causis descriptis (392), unde cognoscitur facile, curatur difficulter: maxime ubi in cancrum jam abiit. Vid. (79. 7.)

(*a*) Gangræna faucium, quæ validam inflammationem sequitur vix medelam capit, illa vero, quæ absque prægressa inflammatione, à depositione maligni humoris ad has partes oritur periculosa quidem est; *sæpe tamen curabilis, si statim efficax medela adhibeatur, quod hoc loco monendum videbatur* van-Swietenio.

Quænam tamen est ista medela efficax? Neque iste, neque Boerhaavius proposuerunt eam quod maxime mirandum. In Tironum utilitatem dicendum Anginam malignam, ulcerosam, gangræosam, vulgo *Garrotillo* dictam ab Hispanis Medicis eminenter pertractari. Exemplo sint Fontecha, Gomecius de la Parra, Villarreal, Herrera, Soto, Heredia . . qui tamen omnes in curatione defecerunt, quoniam ipsorum ævo adhuc erat ignotus cortex ille peruvianus hujus mali teterrimi efficax domitor, siquis alius; imo præ aliis omnibus. Num ita hoc est quoniam regulariter morbus iste, seu potius ista lues per autumnum incipiens symptoma esse possit tertianæ febris perniciosissimæ decubitum humoris maligni ad fauces excitantis? Acida mineralia cortici, seu corticis tincturæ secundum artem adjungenda. An gargarisma Doctoris Raulin ex sale saturni in aqua plantaginis dissoluto, quo per madefactum linum carptum tangantur escharæ plu-

ANGINA CONVULSIVA.

818 Si nervi motores organorum deglutitionis, vel respirationis, impediuntur suas exercere functiones in illa organa, oritur paralytica (*a*) angina; talis à luxatione

ries in die, utile sit, indeque ulceris imminutio et consolidatio spectandæ?

(*a*) Valde notanda est ista Angina *paralytica* cujus remedia ubi de Paralysi proponentur. Notanda etiam anginæ species, quæ in luxatione vertebræ cervicis ad interiora contingere dicitur. A lapsu, vel alia vi externa vertebræ cervicis luxantur et hoc notum est; verum difficilius intellectu videtur quomodo per morbos absque vi externa hoc fieri possit ut re vera fit. Ægri isti ob deglutitionis deffectum contabescunt et moriuntur. Instrumentum Willissii (797. N. *a*) hic etiam prodesse poterit. Alimenta per clysteres injicienda, nutrientia, roborantia, ut vinum, jusculà: vitelli ovorum: cortex peruvianus.. Notanda pariter *convulsiva* angina fæminis hystericis et viris hypochondriacis familiaris castoreo, assa fœtida, galbano, alkali volatili.. sumptis vel naribus applicatis sananda.

Nihil frequentius in praxi occurrit, quam globus ille hystericus dictus, dum constricto œsophagi sphincteræ, aer elastius rarefactus illum distendit, sicque tumorem conspicuum excitat, quo miser fere præfocantur. Cucurbitæ femoribus absque scarificatione, et etiam nuchæ applicatæ, uno momento quandoque tollunt malum istud. Si aliqua signa doceant convulsionem is-

dentis vertebræ dicitur contingere, aut alterius vertebræ cervicis ad interiora. Si convulsionum causa quæcunque musculos pharyngis, laryngisve occupaverit, oritur subita, suffocativa angina; talis in epilepticis, spasmodicis, hystericis, hypochondriacis sæpenumero fit, abit, redit: curatur in primis his, quæ iis morbis curandis propria sunt.

819 Ex hac historia data (783. ad 819) intelligitur ratio observationum Hippocraticarum.

Angina sine ullo signo conspicuo, solo strangulatu orthopnoico se prodens; cum febre acuta, dolore magno capitis, vel crurum, sine signis bonis, cito letalis, primo scilicet, secundo, vel tertio die.

Angina *epigenesi* orta ex aliis inflammatoriis morbis, aut si species (801. 802.) nata ex (803. 804. 805., letalis.

Angina spumam oris excitans (*a*); serum

tam à malignis humoribus circa præcordia præsertim stabulantibus procedere emetica vel purgantia prosunt. Circa globum istum hæc ait Helmontius (Cap. Asthma et tussis) vir alias heteroclitus, hic orto-clitus: *ex utero surrexisse virus quod nihil præter gulam stringeret, sic ut à trimestri vix quidquam deglutiret matrona illustris. Accessi, malum cognovi, et confestim sanavit illam* DOMINUS. En! Medice Christiane!

(*a*) Corollaria ista facile ex dictis in numeris hic citatis intelliguntur. Circa spumam oris no-

tenue exprimens ; fœces alvi sine sensu dimittens ; in febre valde acuta sine ullo signo conspicuo occupans ; cum recessu tumoris, ruboris, pulsationis in faucibus vel lingua, tamen strangulans ; ubique letalis, et præceps.

tandum non intelligi de excreatione copiosa pituitæ ; cum Angina talis pituitosa adeo letalis non sit : sed de Angina spumam oris excitante, seu de spuma circa os existente, ut ait Hippocrates in Aphorismis (II. 43.) Hoc enim indicat impediri tunc transitum sanguinis per pulmones ex corde dextro in sinistrum, unde tanta vi urgentur arteriarum pulmonis extrema, ut ex illarum finibus in cava aerea ejusdem exprimatur humor solito viscidior, qui in summis illis angustiis educi nequit excreando, sed collectus ascendit in fauces, oris cavum replet, et tandem circa labia colligitur spumescens. Pari modo accidit stertor, seu ronchus pectoris in moribundis à collecto tali viscido humore in pulmonis bronchiis, qui pariter de naribus, vel ore post mortem, constrictis frigore omnibus partibus, exprimi solet. Hæc van-Swietenius.

Non igitur effusio continuata hujus humoris viscidi per orificia ista in suffocatis signum est indubitatum vitæ licet minimæ permanentis adhuc. In fine notandum dari aliquos ad anginas naturali dispositione proclives in quibus plerumque observatur acrimonia scrophulosa cui extra paroxysmos quantum fieri potest obviam eundum est, quia alias olim nascentur Phthises insanabiles. Ita Selle hic. De angina bronchiali seu pleuritide humida alibi tractabitur.

PERIPNEUMONIA VERA. (*a*)

820 Si in vasis pulmonalibus, inflammationi suscipiendæ aptis, inflammatio vera concipiatur, morbus vocatur Peripneumonia. (*b*)

(*a*) Sauvagesius Classe III. Ord. III. Gen. 21. *Peripneumonia.* Species : pura seu vera, putrida, ardens, maligna, typhodes, catarrhalis, arthritica, phthisicorum, exanthematica, hydrophobica, gastrica, rachialgica (pictonica, seu saturnina.)

Cullenius Classe I. Ordine II. Gen. 11. *Pneumonia* : Caracter : Pyrexia ; dolor in quadam thoracis parte ; respiratio difficilis ; tussis. Genus unicum omnes pectoris interni phlegmasias, pleuritidem, etiam paraphrenitidem seu diaphragmatitidem comprehendens. Species sunt : pneumonia peripneumonia, et pneumonia pleuritis. In aliis speciebus referendis ad Sauvagesium utcumque se accomodat.

Pneumoniæ peripneumoniæ caracter : pulsus non semper durus, aliquando mollis ; dolor thoracis obtusus ; respiratio perpetuo difficilis, sæpe non nisi trunco corporis erecto exercenda ; faciei tumidæ color purpureus ; tussis plerumque humida, sæpe cruenta.

(*b*) Morbum istum definivit Boerhaavius ex intellecta causa morbi hujus proxima. Signa sunt 1. ea quæ febris inflammatoriæ. 2. Pulmoni inflammato peculiaria : sensus oppressionis ad Thoracem assiduus, indeque, ob tussim siccam, humidam, cruentam, profundius inspirandi facultas impedita.

821 Illa vasa autem sunt Arteriæ Bronchiales, Pulmonicæ, et harum laterales Lymphaticæ. (*a*)

822 Unde etiam duplex concipi Peripneumonia potest, quarum una ad fines arteriæ pulmonalis, altera in bronchialibus hæret.

823 Et statim liquet, priorem periculosissimam; posteriorem minus discriminis habere, sed illam ex hac nasci posse; (*b*) et causas multas communes habere.

824 Quæ causæ plurimæ revocari queunt 1. ad generales omnium inflammationum per totum corpus (375. ad 380.) 2. ad eas, quæ in primis pulmones afficiunt: ut sunt, aer humiditate, siccitate, calore, frigore, gravitate, levitate, (*c*) exhala-

(*a*) Phlegmone propie dicta, et erysipelas et œdema calidum poterunt in pulmone nasci prout diversæ magnitudinis vasa immeabili materia obstructa sunt, simulque impetum vitalis liquidi per febrim fortius moti urgentur. Hippocrates jam erysipelatis in pulmone mentionem fecit (Lib. I. de Morb. cap. 8.)

(*b*) Arteriis bronchialibus inflammatis facile afficiuntur et arteriæ pulmonalis propagines his ubique vicinæ non tantum; verum et plurimis in locis per anastomosim junctæ. Hæc divisio aliquibus non placet. Cur? Vid. Aph. 370. Not.

(*c*) Aer nimis gravis valde comprimit pulmonis vasa, auget resistentiam cordi dextro arctatis canalibus: aere nimis levi existente eadem vasa nimis pressa ab humoribus impulsis nimium

tionibus causticis, vel adstringentibus, aut coagulantibus constans, sicque peccans; chylus ex crassis, siccis, viscosis, cum acribus permistis, vel sine iis; exercitia pulmonum violenta, cursu, lucta, nixu, cantu, clamore, equitatione forti in vento adverso; venena coagulantia, caustica, constringentia, venis ad cor tendentibus immissa; vehementes animi perturbationes; angina cum oppressione pectoris, et orthopnoea, pleuritis valida, paraphrenitis ingens.

825 Si hæ causæ (824.) morbum pro-

dilatari, et ita comprimere, et labefactare proxima poterunt. Simul etiam aer iste nimis levis non poterit satis superare vim contractilem fibrarum pulmonalium dilatationi pulmonis resistentem. In altissimis enim montibus à nimia levitate aeris impeditur respiratio, et quidem cum suffocationis periculo.

Quando aer suis qualitatibus in corpus agat, in Pathologia dictum. Præter istas notandum est atmospheram nos ambientem incredibilem in se continere corporum varietatem ex plantis, animalibus.. Fossilia etiam corpora quandoque sponte sua, sæpius per ignem agitata exhalationes fundunt quæ per aerem diffussa inspirantur. Circa corpora gaseosa consulatur hodierna Chemia. Vehementes animi perturbationes et præsertim terror, injuriarum invita et violenta simulatio ut toties in aulis accidit, summas producunt calamitates inter quas Asthma et Peripneumonia eminent.

duxerint, pro diversitate sedis affectæ (822.) producet effectus varios ; bronchialis enim omnia effecta inflammationis producens (382. ad 393.) ipsos fines arteriæ pulmonalis continguos comprimendo, contagio efficiundo, inflammat.

826 Ubi autem fines ipsi arteriæ pulmonalis inflammati, stagnat cruor ; extenditur vas ; exprimitur transsudatione quasi pars liquidissima ; coacervatur crassior, inter cor dextrum, et fines pulmonalium arteriarum, omnis fere colligitur, circulum adhuc obire potens, sanguis ; hinc pulmo gravis, explicari impos, livescens; cor sinistrum sanguine orbatur ; debilitas summa; pulsus exilis, (*a*) mollis, omni modo

(*a*) Sanguis venosus ad cor dextrum delatus per infarctum pulmonem transire nequit libere, in pulmonis vasis distentis hæret aut retro colligitur et pauculum tantum in cor sinistrum venire poterit. Hinc Aorta istum pauculum sanguinem ad caput deferet, parva fiet spirituum secretio, simulque deficiet liquidi nervosi influxus et pressio in musculos adeoque debilitas summa sequetur. Quia tamen arteriæ diastole à sanguine ex corde projecto fit, hinc patet corde sinistro vix sanguinem recipiente non posse valide attolli Aortam ejusque ramos adeoque pulsum et exilem et mollem esse debere. Præterea cum auctæ resistentiæ in pulmonis vasis non patiantur (adulto saltem jam morbo) ut cor dextrum se integre evacuri possit illud palpitabit sæpius et singulis illis ictibus aliquid transprimet per Pulmones in

inæqualis ; respiratio parva , frequens , difficilis , erecta , tussiculosa , calida ; sanguinis venosi ante auriculam et cor dextrum stagnatio ; rubor faciei , oculorum , oris, faucium , linguæ , labiorum insolitus ; tandem suffocans , inexplicabili cum anxietate et delirio , mors.

cor sinistrum donec talis quantitas sanguinis ibi sit quæ illud in validam contractionem irritare possit ; unde tunc subinde unus vel alter validus pulsus sentitur , moxque iterum fit mollis , exilis , imo et sæpius intermittit , adeoque patet ratio quare pulsus omni modo inæqualis sit.

Respiratio tunc non nisi erecto corpore sedente ægro potest perfici. Isto situ abdominalia viscera suo pondere deorsum ducunt diaphragma sicque pectoris dilatationem augent. Hoc in omnibus morbis acutis malum est ; pessimum vero in Peripneumonicis ita Hippocrate pronuntiante. Est etiam respiratio tussiculosa à vesicularum affrictu et ab inspisato muco ob impeditam respirationem non facile averrendo. Rubor faciei , et genarum præsertim facile intelligitur. Oculi præterea prominent , et lacrimis involuntariis madent. Plerumque tunc simul adest ingratus in pectore strepitus qui fit vel ab aere muco hic collecto irretito, vel à vesiculis pulmonum siccis , hincque crepitantibus instar corii arefacti dum inspirando extenduntur. Hippocrates dixit *pectus hoc casu modulari videtur et gravitas inesse.* (Lib. III. de Morb. cap. 7.) Hoc eodem casu caput hebes , soporosum , subapoplecticum , tandem suffocans cum anxietate et delirio mors.

827 Si tale malum (826.) utrumque pulmonem simul, et valide infecerit, erit cita, et insuperabilis mors; quum nullo remedio antiphlogistico juvari natura queat: confer (386. et 395. ad 402.)

828 At si parvum in uno pulmone locum infestat, nec causas validas habet, aliqua, nec tamen certa, spes est curari bene posse.

829 Inde (824. ad 829.) signa diagnostica, (*a*) et prognostica, utcumque hauriri possunt; maxime si consideremus, exitus esse ut inflammationis (386. ad 393.); unde etiam status accipit vario durationis

(*a*) Causæ pregressæ et effectus observati morbum clare denunciant. Febris antecedens et comitans distinguit peripneumoniam ab asthmate convulsivo, cum quo morbo plurima signa communia habet. Inter effectus inflammationis numerandus dolor punctorius. In ista diversimode percipitur. Interna pulmonis superficie inflammata molestus ab ipso aere inspirato dolor adest. Inflammata membrana pulmonem investiente mediastinum formante acutus in pectore dolor observatur. Verum ipsa pulmonis substantia inflammata ponderis gravantis et anxietatis potius quam doloris sensum facere videtur. *Id genus morbi plus periculi quam doloris habet* ex Corn. Celso (Lib. III. cap. 7.) Etiam considerandum an in uno pulmone, an in utroque: an in superna ala, vel inferna, an in parte media, vel inferiori. Hæc omnia declaravit Hippocratis in Coacis. (Num. 400.)

tempore varios, ita ut abeat in sanitatem, alium morbum, mortem.

830 Sanatur 1. resolutione benigna; si temperies laxa, humor blandus, viscositas non nimia, pars affecta bronchialis, vel pulmonalis non magna. 2. sputo (*a*) cito,

(*a*) Resolutio difficilis. Hac non succedente per sensibilem quamdam evacuationem exeunda atque promovenda est materies morbi subacta mobilisque jam redita; ita tamen ut neque cum humoribus sanis per vasa fluere possit, neque adeo dissoluta ut insensibilis perspirati specie expelli queat de corpore. Requiritur ergo ad sanitatis restitutionem ut sensibili quadam evacuatione exeat. Princeps est sputum coctum. Per ista sanatur facile morbus iste quando in finibus arteriæ bronchialis hæret. Arteria ista secretioni muci in primis deservit cum pulmonis ipsius substantiæ prospiciat: arteria vero pulmonalis sanguinem, ipsa pulmonis fabrica et aere inspirato mutandum, in usus communes totius corporis gerit. Nihilominus arteriæ pulmonalis inflammatio etiam per sputa solvenda. Rami enim arteriæ pulmonalis arteriæ bronchialis ramis per anastomosim junguntur.

Preterea experimenta anatomica demonstrant ex pulmonali arteria patere viam in cavum aereum pulmonis quin totus liquor in venas pulmonales transeat. Hinc sanabilis etiam est ista Peripneumonia per sputa dummodo talia sint qualia in textu describuntur. Paucus sanguis cum sputo flavo mixtus imperitos sæpe terrere solet cum tamen optimum in hoc morbo signum sit: tale enim apparet quia rubræ sanguinis moleculæ vel in ultimis arteriolis sanguineis hærentes immeabiles, vel minora vascula per errorem

libero, copioso, flavo cum pauco sanguine misto, satis crasso, dolorem sedante, respirationem emendante, pulsum ampliorem et pleniorem reddente, in album blandum cito mutato; id fit, si sedes mali in primis est bronchialis arteria, aut pulmonalis non valde magna. 3. alvi fluxu bilioso, levante, et similia fere, ac sputa descripta, ejiciente. 4. urina copiosa, crassa, hypostatica, levante, cum sedimento primo rubro, sensim albescente, ante septimum diem emissa. Atque tum respiratio adest facilis, febris mitis et boni moris, *adipsia*, calor, humiditas, laxitas, mollities, æquales toto corpore.

loci ingressæ sensim per dilatata vasa protrusæ tandem per extrema arteriolarum in cava bronchiorum hiantia exprimuntur. Alvi fluxus erit utilis dum materia per arteriarum fines non in cavum pulmonis sed in venas transiens per alvum denique, ut emunctorium moderatè, et leniter expellatur; præsertim si biliosi seu flavi coloris sit materia excreta, et eadem ac sputa faciat. An revellendo potius prossit? Hippocrates et Galenus alvum perturbatam, diarrhœam damnabant; moderatam et lenem tantum alvi evacuationem utilem censebant. Etiam per urinam evacuari potest materia morbosa soluta, et mobilis reddita per vasa, vel aliter ad renes delata, et ejecta. Sedimentum subrubrum et læve salutare etiam est Hippocrate seu natura ipsa pronunciante. Areteus largam narium hæmorrhagiam in hoc morbo laudavit; alii dubitant.

831 Abit in alium morbum, pendentem ex natura inflammationis, vel ipsius pulmonis, prout sua hinc propria actione destituitur.

832 Hinc primo in suppurationem, quæ fit, ubi materies inflammatoria (376. 377. 824.), ab ipsa natura resolvi non potens (830.), nec arte emendata, tamen blandior (387.), stagnans, calens, pulsa, vascula tenuia rumpit, in pus resolvit, latera coërcentia extendendo, vel rodendo abscessum vomicamve format intra quatuordecim dies.

833 Id futurum (832.) demostratur his observationibus. 1. si signa certa peripneumoniæ satis acris (825. 828.), nec tamen acerrimæ (826.), primo extiterint. 2. si resolutio, ejusque signa (830.), non satis cito, nempe ante quartum diem, apparuerint. 3. si symptomata (825. 826.) nec sputo cocto, et criticis diebus, 3, 5, 7, 9, 11, 14, evacuato per ordinem, qui sanationem doceat mutatione successiva excreti; nec eductione cruoris; nec medicamentis, nec victu debito; superata sint. 4. verum contra symptomata non pessima pertinacia, cum continuo delirio (*a*), pulsu undoso, mollique permaneant.

834 Fieri autem jam re ipsa cognosci-

(*a*) Phrenitis peripneumoniæ succedens letalis pronuntiatur: *delirium* vero lene non ita.

mus per hæc : 1. si signa sint (833.) 2. ubi leves, vagæ, sæpe repetentes, sine manifestata causa horripulationes contingunt; dolor remisit; dyspnoea manet; genæ et labia rubent; sitis adest; febricula vexat, in primis vespertina; pulsus debilis, mollisque.

835 At jam factum declarant : 1. signa prægressa (833. 834.) 2. tussis pertinax, sicca, ad pastum, motumve aucta; respiratio difficilis, parva, anhelosa, strepens, post pastum, et motum aucta; decubitus in unum modo, id est in affectum (*a*), latus

(*a*) Abscessus fere semper in uno tantum pulmone hæret. Cognoscitur in latere dextro adesse dum ægri situm sinistrum tolerare nequeunt, premitur enim tunc mediastinum versus alterum thoracis latus adeoque angustabitur locus in quo pulmo sanus hæret, hic igitur difficilius ab aere inspirato dilatari poterit, et cum in altero latere affecto à vomica tumente respiratio tam impedita sit non poterunt ægri ferre has angustias, et brevi situm corporis mutabunt donec magis commodum inveniant qui semper observatur adesse dum in latus affectum decumbunt. Adhæsio pulmonis cum pleura impedit quominus abscessus pondere suo premat mediastinum dum æger in latus sanum decumbit. Verum tunc à distractione partium inter se coherentium molesta tensio imo et sæpe dolor satis acutus percipitur ab ægris, unde pariter coguntur in latus affectum decumbere. Hippocrates præter ista ex majori calore latus affectum dignoscebat (in prognosticis. N. 59.)

tolerabilis, febricula continua, periodica, à cibo, potu, motu exacerbata cum rubore genarum et labiorum; appetitus prostratus; sitis magna; sudor nocturnus, maxime circa jugulum et frontem; urina spumosa; pallor; macies; debilitas summa.

836 Id apostema jam factum (835.) exitus habet varios: 1. suffocat tumore occupante totum pulmonem, vel comprimendo impediente ea, quæ adhuc in eo libera. 2. suffocat subita eruptione puris, vomica in asperam arteriam se exonerante uno cum impetu. 3. solvitur sputo purulento, liberante (*a*), consumente. 4. solvitur

Sudor nocturnus à depravata miscela humorum in pulmone nascitur. Lecti tepor corporis superficiem laxans ad id confert. Circa jugulum et frontem maxime observatur quia abscessus pulmonis liberum sanguinis per arteriam pulmonalem transitum impediens simul etiam prohibet sanguinis venosi à partibus superioribus redditum unde omnia vasa magis in his locis urgentur, adeoque ceteris paribus, sudor hic magis conspicuus erit sæpe in guttas collectus dum debiliores jam ægri sunt, et malo semper omine ut alibi dictum. *Urina spumosa* in aliis pulmonum morbis à lenta viscida pituita natis etiam observatur; unde ex hoc solo signo non habetur certa diagnosis pulmonalis abscessus; aliis tamen signis adjunctum diagnosim firmat.

(*a*) Observatio licet rara admodum ostendit diutissime tolerari posse hunc morbum, tandem tamen letali exitu funestum: requirebatur enim

lapsu puris in cava Thoracis, inve mediastini dilatata vacua. 5. inde tabes, phthisisque varia, empyema fere letale.

837 Alter morbus à peripneumonia fit, si purulenta (*a*) jam facta inflammatoria materies (832. 833. 834.) intra pulmonales venulas resorbetur, cruori miscetur, in loca quædam deponitur, unde liberatur pulmo, oneratur pars alia; quæ si minus requisita ad vitam, est *metastasis* bona; si vero in hepar, lienem, cerebrum, et similia loca fluxerit, pessima plerumque erit.

ad sanationem ut cavum illud in quo pus hæserit depuretur, subsidant ejus latera et consolidentur ad se mutuo. Van-Swietenius casum refert hujus rei valde rarum in juvene pus bonum per octo annos quotidie uncias quatuor, vel ultra rejiciente. Sputorum graveolentia recidivam et mortem præsagit, ita Hippocrate asseverante in Coacis N. 406. *Quos suppuratos mitius habentes sputorum graveolentia sequuntur illos recidiva occidit.*

(*a*) Materies inflammatoria ut in alia loca translata bonam metastasim efficiat non debet esse jam facta *purulenta* ut in textu dicitur, sed quando materies ista inflammatoria cocta jam et mobilis quidem reddita est ut transire possit ex arteriis obstructis in venas atque puri analogam naturam adepta, et hoc ante nonum diem contingat, interim tamen vasa manserint integra: verum enim pus ex obstructorum vasculorum extremis una cum infarcta materie inflammatoria attritis, et in unum homogeneum liquidum cum effusis humoribus mutatis constat. Hoc monendum erat ne tirones deciperentur.

Hinc fiunt abscessus peripneumonici ad aures, crura, hypochondria.

838 Tales abscessus futuros esse declarat: 1. observatio signorum peripneumoniæ non pessimæ (833. 834. 835.), cum febre non vehementi, nec maligna, tamen continua; cum dolore thoracis, anxietate, gravitate, dyspnoea, non pessimis; sine signis resolutionis (830.) 2. si cum his pulsus (*a*) multum vacillans, omni modo, assidue. 3. dolores, rubores, calores, tensiones, circa loca dicta (837).

839 Illos vero futuros circa Crura (*b*)

(*a*) Designat talis pulsus materiam morbosam subactam jam et mobilem una cum sanguine per vasa fluere, adeoque nisi subita appareat evacuatio illius materiæ, abscessus expectandus erit, præsertim si reliqua signa bona concurrant, aliter enim cum pravis signis pulsus multum vacillans omni modo et assiduè mortem significaret potius.

(*b*) *Abscessus qui ad crura fiunt in peripneumoniis tum vehementibus tum periculosis omnes quidem utiles* ita Hippocrate in prognosticis pronunciante. Isti prænoscuntur *si circa hypochondria aliquid inflammatorii adfuerit* ita eodem ibidem asserente. Hoc enim significat materiem morbi solutam et mobilem redditam in venas pulmonales, ventriculum cordis sinistrum, et aortam transivisse. Dum ergo per aortæ descendentis ramos cum sanguine movetur hæc materia magna ejus pars per Cœliacam et Mesentericam utramque feretur per viscera chylopoietica; atque inde in ve-

scimus, si 1. signa futurorum abscessuum (138.) adsint. 2. si simul cum iis signa sint levioris inflammationis ad hypochondria.

840 Sed futuros circa Aures scimus, 1. si signa adsint (838). 2. mollia simul hypochondria.

841 Ad hepar verti novimus, si 1. signa sint (838). 2. dolor manens in hepate, cum urina subictericea, colore subflavo cutis. Hinc sæpe, vomica hepatis nata, pessima mala.

842 Abscessus illi (839. 840.) si levant pulmonem, si tollunt febrim, si purulenti,

nam portarum delata per hepatis angustias transire debebit ubi dolor aliquis, tensio quædam .. levioris inflammationis seu hepatitidis signa observabuntur.

An ista obstacula abscessus ad crura vera causa sint necne? Dubitatur. Sufficit Medico novisse quod inde præsagium habeatur futuri circa crura abscesus. Hoc jam ab Hippocrate fuit observatum et prefinitum. Modus et viæ quibus ista fiunt non potuerunt hucusque à sagacitate atque perspicacia recentiorum demonstrari. An materia morbi dum versus inferiores corporis partes tendit ad hypochondria levem inflammationem producens ideoque per hæc viscera difficilius transiens versus illas determinetur, in illis colligatur, et abscessus formet? Observatio Medica docuit solos laudabiles esse abscessus qui ad partes exteriores fiunt v. gr. ad parotides, vel crura. Quomodo isti conficiantur? Ignoratur. An huc advocanda actio illa regiminis helmontiana?

manantes, fistulosi manent, si satis cito, ante nonum diem, contingunt, tum semper salutares: verum, si sputo jam purulento, nec magis flavo, sine levamine dicto, nascuntur, mali, at; si jam nati evanescunt, crudo morbo, peripneumonia redeunte, omnino letales sunt.

843 Desinit iterum morbus hic in tumorem callosum, scirrhosumve pulmonis; si materies, et conditiones (392.) concurrunt: inde tota vita difficilis, erecta, tussiculosa respiratio, post pastum motumque aucta, sine signis latentis vomicæ descriptis (835.); inde adhæsio (*a*) pulmonis ad pleuram.

844 Tandem, si bronchialis arteria, vel et pulmonalis vehementissima inflammatione (388.) corripitur à causa interna, vel externa (824.), brevi nascitur gangræna, et inde cito sphacelus ob copiam, motumque cruoris, et ob motum assiduum visceris tenuissimi. Id futurum docent: 1. signa violentissimæ peripneumoniæ (826.) nullo casu, nec arte sedata. 2. debilitas summa; cita, pulsu se in primis manifestans. 3. frigus extremorum. At jam natam

(*a*) A pulmonis inflammatione facilis est ejus adhæsio ad pleuram; hæ enim partes inflammatæ, siccæ, et inperspirabiles redduntur, unde facilis concretio. Si hæc circa mediastinum, pericardium, vel diaphragma acciderit molestior se habet respiratio.

scimus, si hæc prægressa, sputa ichorosa, tenuia, cinericea, livida, atra, fœtida. Inde autem cita mors.

845 Has Peripneumoniæ mutationes (830. 832. 836. 837. 843. 844.) docet observatio historiæ morbi, cadaverumque inde defunctorum incisio.

846 Unde evidens est, illum morbum, quem vetustas hoc nomine descripsit, esse veram inflammationem pulmonum. (*a*)

847 Eritque prognosis clara, qua asseritur, morbum hunc semper valde periculosum ob necessitatem summam functionis pulmonalis ad vitam, et ad sanandam materiem inflammatoriam, ob sanguinis perpetuo allati copiam, impetum, ob motum perpetuum visceris, ob situm, qui applicationem remediorum renuit, teneritudinem summam vasculorum facile destruendam, impossibilitatem revulsionis (*b*) adeo requisitam in cura inflammationis.

848 Ex quibus (847.) liquet, quando,

(*a*) Pertractata Peripneumoniæ historia, et consideratis variis ejus mutationibus per quas in sanitatem, mortem, vel alios morbos tendit tanquam corollarium ponitur hic Aphorismus qui confirmat veritatem illius quod in definitione hujus morbi §. 820. assumptum fuerat.

(*b*) *Revulsio* in cura inflammationis adeo requisita, impossibilis ferè hic est. Omnis enim totius corporis sanguis semel debet transire per pulmones illo tempore, dum per reliquas partes

cur, et cum quibus symptomatibus in mortem abeat, scilicet, si totus pulmo, una cum corde inflammatur, cor in latus procidit (*a*), æger paraplegia resolvitur, frigidus, et sensus expers est, tum secundo, vel tertio die moritur. Si urina initio morbi bona et cocta, post quartum tenuis. Si in vigore morbi erectus sedere cogitur. Si puris est per inferiora secessus: si sicca cum fervore strepente pleni pulmonis in gutture: si vehemens in corpore valde sicco, duro, calloso, exercitato: si mala est cum prærubro valde stillicidio sanguinis: si sic-

corporis omnes movetur, unde nulla arte impediri vel minui multum potest sanguinis per pulmonem motus, superstite vita.

(*a*) Ex Hippocrate in prognosticis desumpta est hæc prognosis. Toto pulmone inflammato cor dextrum replebitur, uti et auricula dextra ob impeditum sanguinis per pulmonem inflammatum transitum, adeoque nec poterunt se evacuare venæ coronariæ, unde et cordis in propria substantia inflammatio sequetur. Cum autem cor à quatuor magnis vasis sanguiferis pendulum in pericardio hæreat orizontale fere situ positum sic ut ventriculus dexter cordis una cum dextra auricula anteriorem corporis partem spectet patet ratio quare corde dextro et auricula distentissimis, sinistro vero corde et auricula fere vacuis, cor versus anteriora procidat et latus tangat. Mirum certe videtur Hippocratem hæc notare potuisse nisi vel ex cognitis circulationis legibus, vel ex cadaverum peripneumonia defunctorum sectione illa didicisset, ex van-Swietenio.

ca est cum maculis (*a*) rubris pectori adspersis : si coryza aut sternutatio multa præcedit, sequiturve: si ex ardente febre ortum duxit: si sputum biliosum cum pure post sextum diem statim inceperit : si sputum (*b*) ab initio valde cruentum, flavum sincerum,

(*a*) An forte et gangrænosus livor latus occupans illo in loco ubi cor locatur signum hujus rei dedit? Maculæ in pectore apparentes designant cutanea vasa infarcta manere vel rupta sanguinem effudisse, et paulo post in peripneumonicis livescere solent hæ maculæ, sicque gangrænæ nascentis indicium præbent. In pluribus morbis observatur, internis partibus affectis, in cute quandoque mutationem apparere. Dum sæva intestinorum inflammatio in gangrænam tendit in abdominis cute rubores aliquando apparent livescentes brevi . . In morborum prognosim ad hæc signa attendendum, licet forte non adeo facilis appareat observanti Medico nexus, quem hæc signa habeant cum re significata. Fidelis similium observatio usum habebit semper, rationem forte dabit sera dies.

(*b*) *Sputum ab initio valde cruentum* damnatur, dum pauculum sanguinis sputis bonis et coctis permisceri pro optimo signo habetur in hoc morbo: tunc enim per anastomosim dilatatis arteriarum osculis in tracheas hiantibus exit obstruens materia, et pulcherrime liberatur pulmo (Aphor. 830. 2.) *Sputum flavum sincerum* prodit quando valida inflammatio in arteriis pulmonalibus omnem partem rubram sanguinis sistit, solum autem flavescens serum adhuc transprimitur, quod partim per venas ad cor sinistrum pergit, partim per arteriolarum oscula in tracheas expri-

album rotundum, spumosum valde, dolorem non sedans, si fuscum, cœnosum, amurcosum, nigrum, livescens, inæquale, æruginosum: si neque febris, neque respirationis difficultas remisit, moritur die septimo, vel nono. Mors vero iis contingit dum pulsus deficit, omnia frigent, solum pectus, caput, collum æstuant, genæ rubent, liventque.

849 Curatio hujus mali varianda est pro diverso statu morbi et symptomatum, adeo ut quod uno tempore prosit, in eodem tamen morbo alio tempore datum obsit.

850 Si ergo in Peripneumonia omnia signa adsint descripta (830. N. 1.) utendum quiete corporis et animi; aëre tepido, humido; balneo vaporis aquæ dulcis ad pulmones, nares, os, pedes, crura; victu tenui, potu levi; medicamentis aquosis, nitrosis, farinosis, mellitis.

mitur, pulmonis mucum naturalem diluit, et colore suo tingit. Denotat ergo tale sputum crassa in pulmone accumulari, tenuissima transprimi tantum; adeoque patet, quare mali ominis sit. *Sputum album rotundum* nihil aliud est, quam mucus pulmonis in tracheis collectus mora et calore sic inspissatus, ut rotundam figuram, quam in pulmonis cavis acquisiverat, retineat, postquam eductus fuit. Unde patet, per tale spūtum nihil educi de morbi materia, quæ pulmonem gravabat, adeoque et hoc respectu inter mala sputa numerari.

851 Si vero status adest (830. N. 2.), utendum iisdem (850.), et medicamentis emollientibus, depurantibus, excreationem promoventibus, leniter reficientibus, vaporibus: vitanda tum venæ sectio, (*a*) purgatio, sudoris expulsio, aliave omnia, dictam excretionem perturbantia.

852 Si (830. N. 3.) adest, lenia clysmata emollientia, fomenta lenia abdomini imponenda, decocta emollientia, et levissimo gradu laxantia, (*b*) prosunt, simul reliquis peractis (850. 851.)

853 In statu altero (830. N. 4.) fiant eadem, ac (850. 851. 852.), sed addantur balnea pedum, fomenta renum per clysmata emollientia interna, et externa linimenta, bibantur decocta levissime abstergendo diuretica.

854 Si inflammatio recens, magna, sicca, in corpore robusto, paulo ante sano, exercitato, deprehenditur per signa

(*a*) Sæpè adstantium importuna sollicitudo exigit in isto casu remedia similia à Medicis. Decet tamen doctum, et ingenuum Medicum firmo potius animo obluctari, quam ignaræ plebeculæ assentiri ægrotantium damno. Casu isto corpus minime turbandum.

(*b*) Purgantia acria nocentissima sunt; levissima hic tantum commendantur. Jacobus Sinibaldi in suis animadversionibus practicis agit *de purgantibus in morbis pulmonum.* (ANIM. IX.) Auctor iste utiliter legendus.

(825. 826), statim recurrendum. 1. ad citam, largam (*a*), pro gradu mali moderandam, aut repetendam missionem sanguinis, ut moles crassi minuatur, et diluentibus spatium concedatur. 2. ad balnea vaporis emollientis pulmonibus assiduo, reliquo corpori sæpe applicanda. 3. ad decocta diluentia, resolventia, emollientia, laxantia, antiphlogistica, nitrosa, anodyna, parva copia, continenter repetenda, calidissima sorbenda. 4. ad clysmata blan-

(*a*) In casu hic proposito venæ-sectio prima cita et larga sit, quæ repetenda ut resolutio fortassis, atque feliciter obtineatur. Venæ-sectio ad animi deliquium hic certe vitanda; in statu enim isto cessat cordis motus, adeoque omnia stagnant in pulmonis vasis; simulque, frigore constrictis partibus extremis, venosus sanguis in sinum venæ cavæ, dextra auricula, et cavo cordis dextri colligitur, stagnat, ad concretionem disponitur, imo sæpè jam floccos polyposos colligit, unde paulo post dum ex hoc deliquio exurgunt homines sanguis ille jam concrescens fere, per pulmonem in plurimis locis obstructum pelletur: adeoque patet periculum esse ne inde morbus augeatur. Balnea vaporis . . pulmonibus per inspirationem applicanda maximam merentur considerationem, cum eorum virtus diluens, resolvens . . . superficiei horum internæ applicata sanguini facile communicetur. *Anodyna* paregorica, seu lenissima sint v. gr. flores papaveris Rhœados, vel syrupus ex horum succo paratus; et ista valent, ut nimius febris impetus si adsit compes-

dissima antiphlogistica. 5. ad victum tenuissimum ex succis antiphlogisticis.

855 Si inflammatio magna, cum febre, et reliquis symptomatibus validioribus duravit ultra triduum, et signa adsint inflammationis jam in suppurationem tendentis (833. 834. 835.), semper multum discriminis adest, quamvis diutius jam excurret morbus, et spatium dabit curationi: tum 1. venæ sectione nulla, vel, si aliquid urget, parca utendum. 2. victu leni, sed paululum incrassante, et ex maturantibus confecto, utendum. 3. balneis pulmonicis (*a*), emollientibus, maturantibusque

catur: blandus concilietur somnus, atque molesta tussis leniatur. Medicamenta ista numero tercio proposita *calida* sorbenda: per calorem enim augetur vis diluens aquæ, simulque eadem opera dum per œsophagum transeunt blando calore foventur vicinæ partes. An autem sperari potest dum similia medicamenta parca simul copia sorbentur, partem illorum directe per asperam arteriam in pulmonem venire posse? Ita credidit Hippocr. et in libro de Corde demonstravit experimento à Cel. Mery repetito. (Acad. des scient. ann. 1700.) Levamen à linctibus emollientibus in tussi ab exasperatione harum partium illud confirmare videtur.

(*a*) Sola via tuta erit per quam in cava aerea pulmonis pus erumpat; cum aliter in cavum thoracis vel mediastini dilatata vacua decidet letali fere semper cum eventu. Oportebit ergo balneo vaporis una cum aere inspirato hausto sic emolli-

utendum ad quintum ab inchoato malo diem. 4. die quinto, et sexto iisdem utendum, additis sorbitionibus tussim moventibus leniter, simulque replentibus, ut septimo forte die locus levari queat pure cocto, vasis attenuatis, vita sustentata.

856 Si signa docent, factum esse in pulmone abscessum (835.) acceleranda ejus disruptio in asperam arteriam, eaque facta, depuratio subita et tuta ulcerosi loci.

857 Disruptio tentatur (*a*) si, post multa alimenta mollia, subpinguia, cum vino molli, pulmo suppuratus (836.), et præparatus (855.) vapore calido, clamore, tussi, excreatoriis, concusione in navi, vel rheda, agitatur.

858 Simul ac dein signa edocuerint, apostema ruptum esse, utendum victu

re totam aeream pulmonis superficiem ut liberrime huc versus ire possit collectum pus; simulque eadem opera efficitur ut citius et facilius rumpi possit membrana pus factum continens. Solius aquæ calentis vapor hic fortasse sufficit.

(*a*) Tentamen istud maximis premitur difficultatibus. Periculum adest ne subito in asperam arteriam erumpens pus suffocet ægrum, vel et alio in loco rupto abscesu in cavum pectoris dilabatur. Manet etiam postea suppuratio in viscere vitali aeri exposito et omni vitæ momento assidue moto. Hæc serio pensitanda, cum aliunde quo diutius manssit ille locus clausus eo majus erit idem discrimen.

lacteo, vegetabili lenissimo, nec facile putrescente, tum de die aperientibus, detersivis, vesperi levibus opiatis; vaporibus emollientibus; equitatione (*a*), vel vectione in rheda, aut navi.

859 Si autem signa (838) docent, statum (837.) jam obtinere, nulla tamen hactenus certa prognosi quonam materies verget, tum levi, fluido, blande aromatico, paululum vinoso utendum victu; quietum sit corpus; medicamenta vero sint emollientia, et ex genere levissimo aperientium; pulmoni prospiciatur usu emollientium: sic vel determinabitur, vel ulterius dissoluta excernetur mali materies.

860 Sed si cum signis (838.) simul illa adsunt (839. 840.), quibus determinatio

(*a*) Summum emolumentum exhibet ad detergendum pulmonem et firmandum simul totius corporis robur *equitatio*, si vires ægri sufficiant; vel in debilioribus vectio in rheda, aut navi. Omni enim momento sic novus aer pulmonem ingrediens averrit ulcerosum locum, simulque corporis concussibus in primis si equo vehatur æger experiuntur illa quæ pulmonem grabant absque tussi vel leviore tantum. Hodierna chemia pulchra de aere puro rusticano oxygenio gravido pro ulceris pulmonici sanatione tentavit. (Annal. de Chymie par . . . Lavoisier . . . tomo IV. pag. 83.) De vectione in navi jam dixerat Aretæus: maris salsuginem siccum quiddam his ulceribus communicare. Videatur Tractatus Doctoris Gil *Christ.* de morbis per aerem marinum sanandis.

significatur, fiant modo dicta (859.), simulque locus prævisus (839. 840.) suctu, laxatione, stimulo (*a*), aperientibus ita tractandus, ut minus resistat, plus trahat.

861 Si (841.) obtinet, fiant eadem (859. 860.), sed simul aperientia paulo fortiora, saponacea, hepatica (*b*) addantur, tum clysmata, et fomenta his constantia.

862 Malum vero, quod descriptum (843.) raro (*c*) medelam capit, nisi forte

(*a*) Naturæ ductum sequimur dum per cucurbitas, epispastica, vesicatoria . . efficimus ut doleant illæ partes versus quas minimo cum discrimine morbosa materia deponi potest. Hoc retro aures, aut utilius circa crura contingere solet. Vesicatoria variis partibus applicanda, et hoc circa principia, post primas venæ-sectiones efficiendum. Crura videntur emissaria aptiora ad quæ materiam morbificam ultro natura amandare intendit, hinc cito ipsis ex cantaridibus applicanda. Si urget necessitas pectori, dorso, vel brachiis juxta axillas admovenda. Theod. Timmermann disertationem vulgavit : *De vesicantium locis* lectu dignam. (Vide Sylloge . . opusculor. Baldinger. vol. I. pag. 326.) Si exantemata retropulsa fomitem morbo dederint, vesicatoria potiora, optima.

(*b*) Non caret periculo hæc metastasis et jure metuitur ne abscessus in hepate natus pessimos chronicos morbos faciat.

(*c*) Scirrhus post inflammationem pulmonis remanens diu quidem tolerari potest ; curari nunquam. In recenti malo sapo venetus magna copia usurpatus cum succo graminis, et lactis

emollientibus externis, internis, atque motu equitationis, vel vectionis in rheda cedat parum.

863 Quando in ipsam jam gangrænam abiit (844), incurabilis (*a*) est.

864 Si autem Peripneumonia per sputum jam expurgari cœpta, incipit suppressum id habere, statim summa ope nitendum, ut iterum id prodeat. Tales causæ impedientes sunt sæpe, magnum frigus subito admissum; ingens exsiccatio undecumque nata; febris calida superveniens; medicamenta calefacientia; alvus liquida, nec critica; sudor ingens; animi affectus (*b*) vehementior.

865 Tum statim ad vicinitatem partium à suppressa, et aggestu increscente materie, inflammatio nova exoritur; unde

sero aliquid forte boni facere poterit, saltem absque noxa adhiberi potest.

(*a*) Medici ne quidem in desperatissimis morbis omnem spem abjiciant. Gangræna verè jam facta emendationem respuit: ista tamen à medico sagaci prævidenda, atque præcavenda. Remedia ubi de gangræna (Aph. 419.) proponuntur, inter quæ cortex peruvianus princeps.

(*b*) In validis animi affectibus semper in respiratione observatur facta mutatio, unde pulmonem directe quasi afficiunt. Si ira summa motus est homo, validissime respirat illico, et anhelat; metu subito perculsus statim ingentem circa pectus oppressionem sentit, dolentissima ducit suspiria.

illico eadem symptomata, quæ à peripneumonia primaria (825. 826.); illa autem tum debilitato jam corpori accidentia, ut plurimum cito letalia evadunt.

866 Illi autem vitio (864.), ejusque sequelis (865.) occurritur vapore assiduo calidi, humidi, emollientis naribus, ore attracti, pulmonibus recepti; toto aëre simili huic vapori per artem reddito; usus etiam largus potuum similium, cum melle in primis et aceto, multum prodest; medicamenta leniter resolvendo antipyretica, ut est stibium diaphoreticum cum nitro fixante (*a*); leniter opiata; sudoris evitatio; maxime tandem placida animi quiete.

(*a*) Stibium diaphoreticum insigniter hic prodest. An in Antimonio talis hæret efficacia quæ sputis suppressis in hoc morbo evocandis utilis est? Ita videtur. Kermes minerale ad grana tria omni quadrihorio datum miros dedit effectus in desperatissimis casibus (Academ. des Scienc. An. 1720.) Cavendum tamen à dosi nimia et iterata medicamenti prudenter exhibendi. Scyllitica remedia hic prossunt. Hodiè laudatur polygala senega, seu seneca, cujus radix lignosa intus alba, cortice quasi resina saturato . . tanquam efficax resolvens, præsertim in pectoris inflammationibus, et per vomitum, alvum, seu lotium operationem suam exercens. Rara et exotica radix, aliis tamen communioribus præferenda.

Hypecacuana pulverata, ipse tartris potassæ stibiatus refracta dosi non ad vomendum sed ad leniter stimulandum in isto casu prodesse possunt.

APHOR. 850.

Potus lenis resolvens.

R. Aquæ decoctæ hordei uncias quadraginta.
Nitri dracmas duas
Oxymellis uncias quatuor.
Misce. Bibat uncias duas calidas omni quadrante horæ.

APHOR. 851.

Decoctum emolliens, sputorum excreationem promovens.

R. Foliorum Parietariæ
Agrimoniæ
Taraxaci singulorum manipulum unum.
Seminis contusi papaveris albi,
Fœniculi singulorum unciam unam.

Alcali volatile (*ammoniacum*) ad eundem effectum ab aliquibus commendatur.

Peripneumonia putrida: biliosa: typhodes seu bilioso-putrida Sauvagesii symptomaticæ sunt talium febrium. Venæsectiones pro iis curandis consulit iste autor et in biliosa præsertim phlebotomias repetitas. Hoc serio meditandum et minimè vel maxima cum præmeditatione exequendum. Harum curatio speciatim pendet à febre primigenia

Glyzirrhizæ unciam unam, et semis.
Cum aqua decoctas uncias quinquaginta exhibe.
Usus ac præcedentis.

APHOR. 853.

Decoctum aperiens, diureticum.

R. Radicum Graminis, Rusci, Petroselini, Fœniculi singularum uncias duas.
Imperatoriæ drachmas duas.
Seminum contusorum bardanæ, petroselini, singulorum unciam unam.
Cum aqua decoctas uncias quadraginta exhibe
In eundem usum.

APHOR. 855. Num. 2.

Victus.

Olera
Farinosa
Pisa
Fructus horæi maturi
} Vid. Aph. 35. N. 1.

APHOR. 855. Num. 3.

Sunt vapores, Aphor. 809. num. 5.

APHOR. 855. Num. 4.

Mixtura attenuans, tussim leniter movens.

R. Aceti scillitici dracmas sex.
Oxymellis scillitici uncias tres.
Salis polychresti drachmam unam.
Aquæ decoctæ hordei uncias octo.
Stillatæ hyssopi uncias quatuor.
Misce. Bibat unciam unam omni hora dimidiata.

R. Potus coffe libras duas
Mellis uncias duas
Aceti sambuci unciam semis.
Misce. Sorbeat fervida quantum juvat.

APHOR. 858.

Aperientia detersiva ad ulcus apertum Pulmonis.

Folia.
Adianthi vulgaris
albi, seu Rutæ murariæ
nigri
aurei
Agrimoniæ
Alchimillæ
Becabungæ
Betonicæ
Bellidis pratensis.
Borraginis
Botryos
Bugulæ
Ceterach
Chamædryos
Chamæpytios
Cichorei
Dentis Leonis
Endiviæ

Erysimi
Fœniculi
Fumariæ
Hederæ terrestris
Hepaticæ nobilis,
terrestris
Hipposelini
Hyperici
Hyssopi
Isatidis
Lactucæ
Linguæ cervinæ
Marrubii albi
Morsus Diaboli
Nummulariæ
Ononidis
Primulæ veris
Prunellæ
Pulmonariæ maculatæ
Saponariæ
Scabiosæ
Scordii
Sigilli Salomonis
Sophiæ chirurgor.
Tussilaginis
Valerianæ hortensis,
sylvestris
Verbenæ
Veronicæ
Vincæ pervincæ
Virgæ aureæ.

Gummi Ammoniacum
Galbanum
Opopanax
Sarcocolla.

Mastiche
Myrrha
Olibanum
Terebinthina.

Decoctum aperiens, detersivum.

R. Foliorum recentium Agrimoniæ
Virgæ aureæ
Betonicæ
Valerianæ hortensis

Singulorum manipulum unum
Marrubii albi quartam manipuli partem.
Radicum quinque aperientium singulorum unciam unam.
Florum Centaurii minoris
Agrimoniæ
Hyperici, singularum manipulum unum.
Cum aqua decoctas pintas quatuor exhibe.
Bibat uncias duas omni bihorio diei.

Aliud.

R. Radicum Bardanæ
Chinæ
Sarsaparrillæ, singularum uncias tres.
Cum Aqua decoctis spatio semihoræ adde
Ligni sassafras uncias tres.
Ubi iterum parum ebullierint admisceto
Decocti libras tres.
Syrupi quinque radicum aperientium uncias duas.
Usus ut prius.

Pilulæ in eundem usum.

R. Mirrhæ lucidæ electæ drachmas duas.
Cum vitelli ovi recentis scrupulo uno
In mortario vitreo diu contritis simul admisce
Thuris electi scrupulos duos.

Fiant Pilulæ : singulæ granorum trium.
Capiat unam vel alteram ante usum decocti.

Pulvis similis, emolliens.

R. Myrrhæ electæ drachmas duas
Spermatis ceti drachmam unam.
Misce. Fiat pulvis dividendus in duodecim doses æquales.
Capiat unam mane et vesperi cum decocto.

Electuarium simile.

R. Myrrhæ
Olibani singulorum drachmam unam.
Mellis albi uncias duas.
Misce secundum artem.
Sumat drachmam unam omni hora.

Lenia opiata, vespertina.

R. Pilularum de cynoglosso scrupulum unum.
Fiant Pilulæ Numero sex.
Capiat unam vel alteram vesperi ante somnum.
R. Pilularum de Styrace similem dosim.
In eundem usum.

Pulvis narcoticus.

R. Opii lamellatim tenuiter scissi, et lente exiccati granum unum.

Corallium rubrorum grana duodecim.
Olibani grana sex.
Misce fiat pulvis tenuis.
Vesperi, ut prius assumendus.

R. Syrupi diacody unciam semis.
Aquæ vitæ Mathioli drachmam unam.
Stillatæ hyssopi unciam unam.
Misce. Fiat haustus vesperi sumendus.

R. Opii granum unum
Fiant Pilulæ duæ
Capiat unam vesperi.

R. Opii granum unum
Syrupi capillorum veneris drachmas quatuor
Aquæ stillatæ florum papaveris rhæados unciam unam.
Misce. Fiat Haustus sumendus ut prius.

Vapores emollientes.

R. Foliorum Malvæ
Bismalvæ
Mercurialis, Parietariæ
Singulorum manipulos duos.
Farinæ seminum lini uncias duas.
Cum aqua decoctis
Vaporem excipe cum aere adducendo.

APHOR. 859.

Vid. Decoctum secundum. Aph. 858.

Mixtura emolliens, et aperiens.

R. Chærophylli recentis expressi succi,
Lactis dulcis, singulorum uncias quatuor
Syrupi hyssopi unciam unam.
Misce. Bibat unciam unam omni bihorio.

APHOR. 861.

Decoctum post suppurationem, vergente pure ad Hepar, magis aperiens, detersivum.

R. Lychnidis saponariæ majoris manipulos duos
Endiviæ recentis manipulos quatuor
Foliorum cichorei sylvestris manipulos tres
Cum aqua decoctas et expressas pintas tres exhibe.
Bibat omni bihorio uncias duas.

APHOR. 866.

Vapor.

Vid. 858.

Mixtura aperiens, resolvens.

R. Oxymellis simplicis uncias tres

Syrupi quinque radicum aperientium uncias duas
Decocti hederæ terrestris uncias decem.
Nitri puri dracmam unam.
Misce. Bibat unciam unam omni hora.

Pulvis leniter, sputo suppresso, resolvens, antipyreticus.

R. Laudani puri grana duo.
Florum sulphuris
Spermatis Ceti
Stibii diaphoretici non abluti, singulorum drachmam unam.
Misce. Fiat Pulvis tenuis, divide in duodecim partes æquales.
Capiat unam omni trihorio cum uncia una vel altera Mixturæ præcedentis.

Vel.

R. Florum sulphuris drachmas duas.
Olibani scrupulum unum
Spermatis ceti drachmam semis
Stibii diaphoretici non abluti drachmam unam.
Misce fiat Pulvis, divide in duodecim doses.
Summat unam omni hora cum uncia una Mixturæ prioris.

Linctus valde emolliens, et lubricans, ad sputa supressa.

℞. Olei amygdalarum dulcium recenter pressarum unciam unam, et semis.
Syrupi violarum
Mellis virginis
Vitelli Ovi recentis singulorum unciam semis
Misce accurate.
Lingat unciam semis omni hora, donec sputa redeant.

PERIPNEUMONIA NOTHA.

867 Quæ Peripneumonia hyeme à frigore, verno tempore à calore superveniente multoties accidit, oriri solet ex pituita lenta (*a*) in toto sanguine nata ex

(*a*) De peripneumonia ab inflammatoria sanguinis spissitudine in præcedentibus actum fuit. Facile autem patet sanguinem lenta et frigida pituita grabatum pariter immeabilem reddi pose et hærere in vasorum pulmonalium angustiis: nascetur ergo peripneumoniæ inflammatoriæ simile malum; re vera tamen causa, simptomatibus, methodo, eventu . . diversum. Sidenhamus fere solus de hoc morbo benè scripsit. Veteres Medici sub titulo catarrhi aut et pituitæ pulmonem occupantis quædam habent quæ utcumque

causis recensitis olim (69. 72.) et sensim pulmones infarciente, donec in pessimum hunc, et improviso sæpe letalem morbum eat.

868 Ubi paululum adolevit id malum, produxit jam in toto corpore effectus plurimos (71. 72. 73.), tumque præterea eos, qui peripneumoniæ lentæ proprii (825.826.) unde malum curatu difficillimum.

869 Nam missio sanguinis, eousque celebrata, ut in hoc morbo requiritur

huc referri possunt. Morbus iste verno tempore frequenter observatur et hoc solo pessimo et sophistico morbo non saluberrimum prædicari, sed infame notari ver merito posset. Nihilominus tempestas ista sua natura optima. Galenus pulchre explicat cur Hipp. plurimos morbos verno tempore oriundos recenseat licet ver saluberrimum et minime exitiale pronunciasset. Notat enim Galenus ver saluberrima servare illa corpora, quæ probis humoribus sunt prædita, neque ex sua natura aliquid innovare in corporibus, quod de reliquis anni tempestatibus dici nequit, cum etiam in puris corporibus Æstas flavam bilem exasperet, Autumnus atræ bili generandæ faveat, Hyems pituitam colligat. Veris autem efficaciam in corpus comparavit corporis exercitationibus, quæ ex sua natura saluberrimæ quidem sunt, interim tamen in cacochymicis corporibus, uti et in plethoricis plurima mala producere possunt dum per illa movetur subito collecta saburra, vel plenis nimis vasis bono sanguine imprudenter augetur humorum per vasa motus.

(854.) nocet (*a*) admodum ob debiliora viscera, nimisque aliena humida lenta; hinc primo juvare visa; mox mala auget.

870 Attenuantia (*b*) autem adeo hic famigerata, dum impetum in vasa pulmonalia augent, densitatem, impactumque obstruentis sæpe augent, simulque morbum cito reddunt letalem.

871 Morbus ille senibus, pituitosis, frigidis, catarrhosis, gravedine laborantibus frequens, sequi solet omnes causas, quæ stagnantia cito movendo in pulmones agunt, ut cursus, declamatio, cantus, ebrietas (*c*) in primis à valide calefacientibus,

(*a*) Obtinet hic morbus fere tantum in talibus corporibus quæ et viscera debilia habent et humores in morbosum lentorem pituitosum degenerantes. Levat ergo quidem venæ sectio pectoris angustiam atque hinc primo juvare videtur; interim tamen larga nimis vel sæpius repetita lentorem pituitosum peripneumoniæ nothæ causam materialem auget, adeoque nocet. Si vero viscera non admodum debilia sint venæ sectio modica proderit. (Vid. infra Aph. 873.)

(*b*) Damnantur hic attenuantia valida v. gr. piper, zingiber, spiritus anisi, levistici .. iisque similia quibus obstruens illud pituitosum adigeretur in majores vasorum angustias, vasa obstructa magis distendentur, vicina adhuc libera comprimendo angustabunt, adeoque omnia mala augebuntur.

(*c*) Spiritus ardentes immoderate sumpti solida enervant, fluida corrumpunt; itaque pessima ma-

comessatio, calor foci, balnei, solis, maxime si æstum hinc natum subito frigus ingens exceperit.

872 Primo fallaci lenitate opprimit nec opinantes: quippe levi fatigatione, debilitate, prostrato omni fere animi motu, anhelitu, oppressione pectoris incipiens, adeo leves motus excitat, ut vix caloris, febrisve indicia moneant periculi: mox vagæ horripilationes, leviusculi febris insultus adsunt; unde subito (*a*) crescente anhelitu et debilitate mors; cujus in urina et pulsu vix ullum adfuit præsagium.

la instar veneni acerrimi quantumvis lenti faciunt. Medici ista noscentes frugales sunt, abstemii, et in horum usu temperantissimi. Ita possunt sibi creditos admonere, et ista in refractarios addere: animadversio modica, et impar est peripneumonia anceps in istos potatores avidos, atque bibones ebriosos, qui *abominantur à Deo*, *despiciuntur ab Angelis*, *deridentur ab Hominibus*, *destituuntur à virtutibus*, *confunduntur à Dæmonibus*, *conculcantur ab omnibus*, ut divus Augustinus verè, piè, et energice pronunciat in libro *de Pœnitentia*. Consulent ipsi Medici christiani ut serio dum resipiscunt legant Homiliam Sancti Basilii Magni *in ebrietatem atque luxum*. Sed verendum ne ista surdis, etiam litteratis, narretur fabula. Vid. Joan. Allen Synops. Med. pract. Art. 3137. *Venena destillata*.

(*a*) Maximam morbus iste subdolus fallaxque attentionem exigit ne inopinanter pessumdetur corpus etsi caducum alias; et perdatur etiam heu! ipsa immortalis, et imparata ANIMA! Lynx esto: alias contremisce Medice christiane!

873 Curatur hac methodo cautissima: 1. mittatur sanguis ex largo (*a*) vulnere. 2. mox eluatur alvus clysmate, quod repetatur quotidie, donec signa docuerint levari pulmonem. 3. utatur victu tenuissimo juris carnium, in primis cum levi acido, potu tenui ex aqua et melle. 4. vapores, suffitusque descripti (866.), decocta diluentia, abstergentia, lenissime aperientia assiduè potanda, adhibeantur; simulque

(*a*) Simulac anhelitus, et pectoris oppressio percepta ab ægris docuerint, pulmonem infarciri, venæ-sectio est instituenda. Ita enim minuetur moles liquidi movendi per pulmones, una cum educto sanguine tolletur pars pituitosi, quod cum sanguine per venas fluit, minuetur motus febris, si adsit, à quo metuenda est major impactio lentæ pituitæ in angustias arteriæ pulmonalis, simulque depletis vasis spatium fiet commodum diluentibus, et attenuantibus remediis. Verum quidem est subducto sanguine augeri causam remotam hujus morbi; sed illæ noxæ, quæ sanguinis hanc jacturam sequentur postea etiam emendari poterunt si pulmo fuerit levatus: vitæ autem imminens periculum dum pulmo oppleri incipit cogit ut hoc remedium adhibeatur. Ex *largo* autem *vulnere* sanguis emittitur ne pituita gravatus ipse sanguis, hincque lentescens parvum vulnus obstruat. Remedium istud licet à Sydenhamo alternis diebus præscribatur, alta mente tenendum, quod Aph. 869. prudentissime monetur. Hæc peripneumonia est *catarrhalis* Sauvagesii, et *pituitosa* Foresti. Lenissima apperientia præ attenuantibus (870.) utilia censentur.

balnea crurum, pedumque, et larga vesicantia. (*a*)

874 Ex his omnibus (820. ad 874) ratio datur, cur pueris hic morbus, fœminisque rarior? ut et iis, qui laxæ sunt structuræ quoad solidorum fabricam cur vix accidat? Cur in his facile, et fere sponte, sanetur? contra in robustis exercitatisque corporibus? ex iisdem pariter liquet, hunc morbum fere fieri ex omni alio prægresso, antequam ex eo moriatur æger: adeoque proximam mortis causam, et ultimum ferme (*b*) omnium letalium morborum effectum esse Peripneumoniam.

(*a*) Ista cruribus et femoribus applicata multum prodesse possunt. Notabile admodum est van-Swietenium ista vesicantia larga pectori ipsi non applicare, cum revera utilissima, atque præstantior sit ista parti dolenti proximior applicatio pituitæ lentorem pulmonem grabantis efficaciter dissolvens. Num ad istum effectum consequendum in ista peripneumonia notha et pessima; ut et in catarrhosa pleuritide aliis omnibus solventibus præferenda pectoris inunctio mercuriali unguento, vel mercurii dulcis intro-susceptione juxta methodum propositam, atque observationibus sedulo videndis confirmatam à Comite Roncalli Parolino Brixiano Medico? (*Terapeia pulmonarie affectionis.* pag. 47) Hoc prudentioribus examinandum et decernendum relinquimus.

(*b*) Lucta illa, quæ in moribundis apparet et intolerabilis anxietas peripneumoniam istam declarant. Licet ergo concludere peripneumoniam

APHOR. 873. Num. 2.

Clysma hic esto hocce.

R. Mellis uncias tres
Nitri drachmam unam
Vitelli ovorum numero unum
Aquæ decoctæ hordei uncias octo.
Fiat secundum artem clysma.

APHOR. 873. Num. 4.

Decoctum diluens, abstergens, lenissime aperiens.

R. Radicis Fœniculi uncias duas.
Graminis uncias quatuor
Foliorum Parietariæ, et Agrim. singulorum manipulum unum et semis.
Seminis contusi papaveris albi unciam unam.
Glycirrhizæ unciam unam et semis.
Cum aqua decoctas spatio quartæ partis horæ pintas duas, et semis : Exhibe.
Capiat uncias duas omni bihorio.

fieri ex omni fere alio prægresso morbo antequam ex eo moriatur homo. Si enim excipiantur illi casus ubi uno momento, corde quasi paralytico reddito, vita cessat, in perfecta syncope à validissimis animi affectibus, profusissimis et subitissimis evacuationibus, summo senio, &c. semper mortem præcedit lucta ista, communis maxime ad mortem via, et ipsa morte longe pejor.

PLEURITIS. (*a*)

875 Pleuritis dicitur adesse, quando æger laborat acuta, continua febre (564. 567.), cum pulsu duro; dolore (*b*) acuto, punctorio, inflammatorio (382. N. 3.),

(*a*) Sauvagesius Clase III. Ordine II. Genere XIII. *Pleuritis*. Species: vera, dorsalis, mediastini, pericardii, traumatica (à gravi costarum, sternive fractura, pectoris, dorsive vulnere, contusione orta) biliosa, verminosa, putrida, catarrhalis, erysipelatosa, hepatica, convulsiva, periodica, hydrothoracica, pestilens, lactea, polonica, febricosa (à veneno febris tercianæ), miliaris.

Cullenius Clase I. Ordine II. Genere XI. *pneumonia pleuritis*. Species: dorsalis, mediastina, pleurodyne (*pleuritis spuria*) paraphrenesis, diaphragmatica.

(*b*) Definitur hic pleuritis ex collectione illorum phœnomenôn, quæ hunc morbum comitantur, et quorum præsentia unanimi Medicorum consensu docet hunc morbum adesse. Distinguenda sedulo pleuritis à doloribus laterum.

Hippocrates in eodem Aphorismo (III. 23.) pleuritidum, dolorum laterum, et pectoris mentionem facit. Cursus, lucta, onus . . magnas musculorum, intercostalium præsertim, distracciones, et sic dolores producunt. Perfrigeratio, materia cruda, vermes, flatus, hysterismus, hypochondriasis, et quandoque impuritates ipsæ ventris. . dolores istos, licet non admodum pungentes, variè curandos, producunt. In his certè venæ-

in inspiratu valide aucto, in expiratu vel animæ retentione leniori, mitiori pariter, ubi respiratio, immoto thorace, maxime ope abdominis fit; tussi fere perpetua, dolorem magnum inferente, hinc suffocata.

876 Quoties una cum his symptomatibus sputa ex pulmone symptomatica prodeunt; dicitur *humida*; (*a*) quando hæc absunt, *sicca* vocatur.

877 Nulla est pars integumentorum interni thoracis, quam non aggreditur: tota ergo pleura, (*b*) totumque mediastinum,

sectio lædit. Dolor vere pleuriticus punctorius . . est. Levamen, quod ægri præ doloris hujus acerbitate inspirationem truncando intendunt, infidum est; in peripneumoniam enim transeunt. Aliquod auxilium à lata fascia thoracem modice constringente, expectandum, de quo postea. (Aph. 906.) Hæc pleuritidis phænomena ab eadem causa nasci debent: si enim lateris dolor à distractione partium post validos nixus; tussis à catarrho: febris acuta à contagio quovis epidemico . . proveniant seorsim, non tunc aderit pleuritis.

(*a*) Divisio utilis. Pleuritis humida pro angina bronchiali etiam sumitur. Vid. APPENDIX.

(*b*) Pars affecta in pleuritide est pleura, contigua ipsi pinguedinosa tunica, et musculi incumbentes. Pulmo in pleuritide quidem afficitur ob impeditam respirationem, atque inflammari sic potest: interim tamen pulmonis inflammatio à pleuritide distincta censenda. Latera in primis hoc morbo obsidentur dextrum vel sinistrum; gravius in isto quam in illo: pleuritides enim etiam sunt licet alibi locentur, quod notari dignum, quia

hinc anterior, posterior, dextra, sinistra, superior, inferior, exterior, profundior pars æque obsidetur hoc malo: sed in primis latera.

878 Ubi autem ipsa membrana costas interne succingens doloris sedes, aut pars illa musculorum intercostalium internorum, *vera*; si autem altius intercostales musculi, externi in primis, vel et his superiora laborant, *spuria* appellatur.

879 Adultos, sanguineos, lautius potos, pastosve, exercitatos valde, acidum raro eructantes (*a*), in morbos inflammatorios vergentes; verno tempore, maxime subito æstuante post acre gelu cœlo; aut hyberno in acerrime frigido vento; infestat primario: tumque vocatur *idiopathica*.

880 At ex materie prægressi inflammatorii morbi mota, et in loca descripta (877. 878.) delata, exorta *symptomatica* dicitur.

minus periti non suspicantur pleuritidem adesse nisi dolor latus occupet. Pleuritidem in dorso observavit jam et descripsit Hipp. (Lib. III. de morb. cap. XV.)

(*a*) E contrario: *qui acidum eructant non admodum pleuritici fiunt* ex Hippocrate (VI. Aphorism. 33.) Isti enim vasa debilia habent, sanguinemque tenuem et fluidum, nec facilem inflammari; ut advertit Daniel Trillerus in commentatione *de Pleuritide* lectu dignissima (pag. 3. Aphorism. 15. et pag. 10. cap. I. num. 14.)

881 Pro causa antecedente habet: 1. omne id, quod inflammationi generandæ cuicumque aptum (375. ad 380). 2. id, quod hanc causam generalem determinat in pleuram præcipue, quo pertinent maxime, natura ægri, intercostales arteriolas angustiores, magisque duras, habentis; morbus præcedens, qui reliquit dispositionem eadem proferentem, ut est scirrhus pleuræ, callus, pulmo adnatus, &c. natura epidemici morbi prædominantis; aër frigidus, per angustas rimas (*a*) violente ac-

(*a*) Per talem aeris motum difflatur aer jam calescens à vicinia corporis, et omni momento applicatur aer frigidus, et hinc augetur frigoris sensus, et effectus. Majus adhuc est discrimen à *potu gelido* quam aere frigido, numquam enim pleuritides magis sævæ et citius letales videntur quam à potu gelido affatim hausto æstuante corpore. Facile intelligitur ratio. Sanguis de sanissimi hominis vena incisa in aquam frigidam extillans concrescit illico in strias fere solidas: verum dum affatim gelidus potus ingurgitatur, œsophagus in suo decursu truncis intercostalium arteriarum quarundam satis propinquus, eo repletur, dein totus ventriculus potu frigido distentus adiacenti diaphragmati, hepati, lieni, &c. subitum et insolitum frigus communicat: cavæ ascendentis truncus, ingens sinus dexter cordis, tenui tendinosæ parti diaphragmatis incumbens, similiter afficiuntur, sanguis ibi collectus ad concretionem disponitur, qui paulo post per pulmonis angustias transire debebit. Non mirum ergo toties letalem subito pleuritidem, et peripneumoniam à

tus in nudatum corpus, ex labore vel igne prius valde æstuans; potus gelidus subito, magno haustu ingestus in corpore simili; aër hyemali tempore borealis gelidissimus.

3. *metaptosis* materiæ inflammatoriæ (*a*) ichorosæ, suppuratoriæ, prius in toto, vel in aliqua parte, prædominantis, et dein quacunque causa huc depositæ, ut in morbillis, variolis, tumoribus ulcerosis, ulceribus magnis, latis, subito evanescentibus, absorpta venis materie.

882 Historia hæc (875. ad 882.), decursus mox exponendus (883. ad 907), dissectio cadaverum pleuriticorum clare docent, eam esse inflammationem sanguineam (371.) in arteriolis locorum descriptorum (877. 878.), ortam plerumque ex febre acuta præcedente.

883 Inde (881. 882.) perspicue deducitur mali historia: incipit cum appetitu ciborum sæpe magno; (*b*) frigore; horrore; debilitate; lassitudine; febre; procedit

tali causa nasci, uti et similia in visceribus ventriculo adjacentibus mala. Augetur periculum, quod per validos corporis motus, sudore excitato, liquidissima sanguinis pars diflata fuerit, et quod aqua frigida, similiaque non tam cito à calore corporis nostri incalescant quam aer. Demonstravit enim Boerh. (Chem. tom. I. pag. 201.) eo citius calescere ab eodem igne corpus, quo rarius est.

(*a*) Rheumaticæ, arthriticæ, biliosæ.

(*b*) Hoc primum symptoma difficile explicatur.

cum calore, sensim in æstum excrescente; siti; prostrato appetitu omni; dolore (*a*) ab miti in acerbissimum tendente; respiratione valde læsa: viget cum febre violenta, sed minus manifesta ob respirationem coactam, et præ sensu doloris summi suffocatam, unde sæpe turpiter fallitur Me-

(*a*) Dolor molestissimus perniciosa producit; ipso certè valde læditur respiratio; debent enim in inspiratione costæ à se mutuo diduci, adeoque inflammatæ illæ partes distrahuntur cum summo doloris augmento. Ob hanc causam miseri ægri vix inspirant, adeoque vix dilatant pulmonem, unde cor dextrum se libere evacuare nequit: sanguis ergo à capite per venas jugulares redux, non poterit locum invenire in sinu et auricula dextris jam plenis: hinc interiora encephali à turgidis vasis comprimuntur, ægri tales torpidi, et hebetes fiunt, et minus dolorem sentiunt; pulmo sensim magis, magisque impletur, et sæpe subito suffocantur dum imperiti, ægri querelis non moniti amplius, morbum mitescere credunt cum summum adest periculum. Natura loci quem pleuritis occupat attentionem meretur. Quo plura ex locis (877, 878.) enumeratis occupat pleuritis pejor est. Nusquam dolor acerbior quam dum latera occupat, et ideo ista periculosior. In physiologicis (§. 615.) demostratum est quod prima costa per subclavium musculum fixata novem sequentes inspirationis tempore eleventur sursum et vertantur extrorsum: ita tamen ut ille motus longe major observetur in mediis costarum arcubus quam circa sternum, aut prope vertebras. Igitur et pleuritis occupans latera, cæteris paribus, maximum dolorem faciet.

dicus : inde desinit in varios eventus, pendentes ex pluribus causis, sed in primis à diversitate mutationum inflammationis (386. ad 393. 492. ad 500.), natura loci ubi malum est (877. 878.), et consideratione harum circumstantiarum : prout partes plures (877. 878.), affectæ simul ; prout impetus circulantis liquidi violentior (92. ad 102.) ; aut major malignitas ipsius morbi principis (564. 567.), eo symptomata cuncta pejora ; in primis respirationis et pulsus vitia magis à naturalibus recedentia, ut et excretorum.

884 Exit in sanationem, alios morbos, vel in mortem.

885 In sanationem ope naturæ, vel artis in initio, dum simplex adhuc morbus.

886 Sanatur auxilio naturæ, vel resolutione benigna, vel coctione et excretione mali.

887 Resolutione, si contingunt simul causæ (386. 401.) ; tumque benignitas symptomatum nihil agendum docet, nisi ut levi victu, blandissimis aperientibus, mollissimo fotu, malum levetur.

888 Coctione et excretione causæ sanatur ; in primis observatis hisce : 1. quoties hæmorrohides (*a*) debita copia liquidum

(*a*) Evacuatio ista maxime proderit in pleuritide ab istâ suppressa procedente ; alias neque

aptum oportuno tempore fundunt; 2. quoties urina copiosa, crassa, hypostatica, stranguriosa, subrubra cum albo sedimento fluxit cum levamine malorum ante quartum diem, qualis et siccam sanavit; 3. si alvus materiem flavam biliosam ante quartum diem copiosam cum levamine ejecerit: 4. si abscessus ichorosi, purulenti, fistulosi, diu manantes, ante sextum diem incepti, post aures, vel ad crura, prodierunt (juxta 837. ad 843.); 5. dolor lateris si transit ad humerum, manum, dorsum, cum stupore, dolore, gravitate illarum partium, 6. si sputum (*a*) ex parte liberale,

ista, neque quæ fit per nares regulariter sufficiunt. *Vrina* ut in textu proponitur laudabilis. Biliosa excretio per alvum aliquando in principio salutaris, si *respiratio conquiescit, mens recte se habet, febres minuuntur, cibos appetunt* ex Aretæo, alias talis diarrhœa symptomatica, periculosa, et plerumque letalis observatur. *Metastases* in pleuritide frequenter bonæ. Hipp. post venæ-sectiones fomenta tepentia extrinsecus admovebat, *ut morbus per totum corpus dispergatur* (lib. I. de morbis. Cap. 11.) Quæ sursum versus humerum, scapulas . . fit valde laudatur à van-Swiet. atque Trillero; observata mutatione ista circa sextum morbi diem.

(*a*) *Sputa* in isto morbo sunt maxime considerandа. Captu tamen difficile fuit visum multis quomodo per sputa ex pulmone prodeuntia exire posset morbi materia, quæ lateribus impacta hæserat nisi pulmo simul affectus esset. Observata multa

levans sine coryza, copiosum, mox puriforme, album statim, vel ante diem quartum, continuatum, vel à suppressione statim redeuns, inde enim nono vel undecimo die salus.

889 Ubi signa accurate observata docent, statum pleuritidis (875.) adesse modo descriptum (888.), tum Medico nihil mutandum, sed omnia continuanda incumbunt. Ergo neque venæ sectio, neque evacuacio, vel mutatio alia instituenda. 1. victu molli, tenui; animi, corporisque quiete; aëre temperato, calido, et humido; somno spontaneo, vel lenibus conciliato; medicamentis mollibus, tenuibus,

docent pulmonem contiguos sibi humores imbibere, illosque dein tussi rejicere. Mulsa in thoracis cavum injecta ex pulmone expuitur ex Galeno. Injectiones abstergentes amaræ post institutam thoracis paracentesim injectæ similem saporem produxere, et bona quoque pars per sputa rejecta. Præterea notum est pleuræ propaginem investire superficiem externam, et internam pulmonis. An ergo continuitate quasi membranæ pleuræ, mobilis jam reddita materia morbi in pulmonis bronchia venire potest? An contiguus lateribus pulmo concretus sæpe, et inventus post pleuritidem illam in se recipit?

Lancisius demonstravit ex omnibus locis, quæ pleuritis occupat materiam morbi venire in tracheam, et per sputa excerni per venam azygam seu *sine pari*. Ista vena ex illis partibus affectis enascitur: truncus venæ azygæ cum aspera arteria necti-

levissime aperientibus ; utendum. 2. deinde evacuationi cuilibet singulari proficienti providendum: ergo in statu (888. N. 1.) anus fovendus molli, laxante, aperiente fotu ; aut, si minus sic processerit, hirudinum applicatarum suctu. Si (888. N. 2.) observatur ; statim fomenta similia renibus, perinæo, hypogastrio apponenda ; lenia diuretica aperientia danda ; aër paulo minus calidus curandus ; sudor, et aliæ evacuationes vitandæ ; blanda clysmata diuretica prosunt. In casu vero (888.) N. 3.), similia fomenta emollientia toti obvolvenda abdomini ; clysmata laxantia injicienda alvo ; victus laxans instituendus : ubi de-

tur per validas fibras, et minuta vasa quæ ad internam trachææ faciem usque penetrant ; per quæ vasa pleuritidis causa materialis jam cocta et mobilis reddita in tracheam, et excitata tussi per sputa educetur. Demonstravit subinde meatus longe numerosiores et magis patulos aperiri in tracheam ex vena azyga, quam ex cavæ venæ vicina parte pariter asperæ arteriæ ibi adhærenti. Poterit etiam materies ista ex vena sine pari in cavam venire hinc in cor dextrum ; et dein in pulmonem pulsa invenire viam per vasa aerea pulmonis : iste tamen transitus ex azyga in cavam non est valde facilis ob repletionem cavæ, ob aperturam istius dimidium sphincterem referentis . . . Lancisius vidit in cadaveribus illorum, qui ex sæva pleuritide in peripneumoniam, et septi inflammationem abeunte perierunt, ramos venæ azygæ illius lateris, quo ægri primum doluerant varicosos fuisse.

nuo quartus status (888. N. 4.) adest prævisus (838.), et simul locus (839. 840. 841.) innotuit, tum utendum memoratis (859. 860. 861.), et apertura facta suppuratoriis locum aliquamdiu apertum tenentibus: deinde in casu (888. N. 5.), præter communia, partes, in quas dolor migrat, fovendæ mollibus, calidisque, fricandæ leniter; stimulandæ emplastris parumper attrahentibus. Denique in ultimo dato (888. N. 6.) tota res eadem ac in peripneumonia bona, adeoque omnia huc repetenda ex (850. 851.) et agenda.

890 Arte autem, sine alio morbo, sanatur pleuritis hac in primis methodo: si pleuritis (875.) recens ante tertium diem finitum, magna ex symptomatibus validis (875. 883.) sicca (876.) in robusto, exercitato, sicco corpore, sine spe, vel præsentia (887. 888.); tum 1. cita, larga, accelerato fluxu celeris, ex magno vase, per magnum vulnus, missio sanguinis (*a*) insti-

(*a*) Evacuatio ista in miti pleuritide, in qua sputa mox puriformia, alba, et etiam flava cum pauco sanguine admisto apparent, exercenda non est. Hipp. in lib. de Humoribus ait: *impedimentum* (venæ-sectionis) *in spuentibus cruenta*, *anni tempus*, *pleuritis*, *bilis*. Per *cruenta* sputa sanguine tincta, et per *pleuritidem* levem istam intellexit, ni mavis per cruenta intelligi sputa illa, quæ dum rumpitur abscessus ejiciuntur. Attentione dignum est Duretum (In Coac. L. 2. C. 16. Sect. 9.) asse-

tuenda, corpore quiescente, supino, et respiratione, dum fluit, tussi, suspiriisque accelerata, loco affecto eodem tempore foto, et leniter perfricto; debet continuari in remissionem satis notabilem doloris, vel ad prima signa deliquii animi; debet repeti ex consideratione redeuntium denuo symptomatum, ad quæ tollenda prima instituta fuit; crusta (384.) absens finem

rere se non sine mœrore aliquoties vidisse sanguinis missione tunc instituta à pragmaticis vulgaribus rei calamitosis publicæ atque funestis, suppressa hæc sputa fuisse letali cum eventu. Prohdolor! Idem et suis observatis confirmat Baglivius (Prax. Med. lib. I. cap. 9.)

Missio sanguinis ut in Aphorismo dicitur exercenda. Tenella ætas, senium, graviditas, puerpera menstruans . . pleuritide correpta venæ sectiones admittunt, prout necesse fuerit, repetitas, et quamvis in morbi principio factæ præstant, adulto etiam morbo si necessitas expostulet exercendæ. Hipp. Anaxioni octavo die sanguinem missit. Trillerus ineunte die nono dum suffocationis periculum ingruebat denuo ex pede sex, septemve uncias sanguinis emissit, sicque ægrum ex ipsis orci faucibus, ipso ita asseverante, eripuit. Circa sanguinis *quantitatem* educendam attendendum est prudentissimum Sydenhamum asserere pleuritidem confirmatam in adultis raro minori quam quadraginta circiter unciarum sanguinis impensa sanari. De *crusta alba* in sanguinis superficie apparente variæ sunt opiniones circa hujus pellis generationem, et an tantum producatur satis libero flumine de vena secta prosiliente. Signa ex ip-

definit. 2. statim adhibenda fomenta, balnea, tepefactoria, linimenta, emplastra, quæ laxando, resolvendo, mitificando,

sius absentia vel presentia desumpta non satis explorata. Hæc certiora dessumuntur ex acerbitate vel remissione doloris, respirationis libertate, et reliquorum symptomatum, ægrotantisque viribus. Tamen licet debilitas adsit si omnia symptomata circa id tempus valde recruduerint nullum fortè aliud auxilium superest, quam de novo sanguinem mittere.

Trillerus in pleuritide desperata fervidissimam aquam affusit pedibus, in utrisque lanceola vulnus amplum infligebatur, itaque satis larga copia sanguinis exeunte non tantum veluti revixit æger semimortuus jam; sed et felicissime postea fuit sanatus (De Pleuritide pag. 68.) Observantur pleuritides, quibus nocet venæ-sectio. Hæ sunt pleuritides biliosæ, ut plurimum febre epidemica biliosa dominante frequenter occurentes, quibus vomitorium prudenter administratum proderit. Hæ sunt pleuritides symptomaticæ.

Acerrime fuit olim disputatum an in pleuritide vena secanda esset in brachio affecti lateris, an in opposito. Sententia quæ venæ sectionem in brachio lateris affecti suadet tutissima est. Vesalius in epistola ad Nicolaum Florenati CAROLI V. archiatrum, ait: publico edicto in Hispania medentibus venæ-sectionem è directo affecti lateris vase interdictam fuisse: remque istam ad Ill. Hispaniæ Senatum et ad Cæsaream etiam Majestatem delatam esse (pag. 51. 2. 3.) sed hoc est infidum asertum. Michael de Ledesma Valentinus contrarium docuit; ipsumque Vesalium hac in re reprehendit in suo de pleuritide commentario-

avertendo, prodesse queant. Vid. (395. N. 3. 398. N. 6.) 3. tum ea medicamenta danda, quæ diluant, resolvant, laxent, mitigent, refrigerent, dolorem leniant, aut sopiant: quæ calida, humida, magna copia, sorpta, et ad locum affectum determinata, juvant, et pro mutatis phænomenis varia assumenda sunt, semper curando, ut eligantur illa, quæ putredini adversissima. (*a*) 4. victu tenui, molli, refrigerante, antiphlogistico est opus. 5. denique omne exsiccans, calefaciens, impetum augens, vitandum; ut calor aëris, solis, foci, lecti, victus, medelæ.

891 Quæ ipsa (890.) quamdiu continuanda, vel repetenda sint, docet morbi pertinacia, remissio, atque in sanationem (888.) mutatio.

892 Abit in alios morbos dum 1. suppuratur locus inflammatus, quod futurum scimus *a* ex signis generalibus (387. 402.)

lo pag. 25. Hyeronimus Ximenezius Cæsaraugustanus horum cœvus hæc ait: *Ergo et pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris sanguinis missio adhibetur evidentissimam sæpe utilitatem attulit, quæ vero ex alterius brachii adversi vena aut plane obscuram, aut certe non nisi longo post temporis intervallo.* Recte et eloquenter. (Lib. IV. Institut. medicar. cap XXV. pag. 433.)

(*a*) Horum loco Max. Stollius vult *emollientissima* eligenda esse.

b ex pertinacia doloris, tussis, febris, ultra quartum (*a*) diem. *c* absentia signorum resolutionis (887.), et sanationis (888.) *d* neglectu medelæ requisitæ (890.)

893. Ipsum vero apostema jam fieri, scitur ex signis communibus (405.), maxime hic ex horrore (*b*) sæpe recurrente sine causa, et signis datis (834. 835.) in peripneumonia, et tempore morbi: inde et factum

(*a*) An post undecimum? Vid. Aph. 855.

(*b*) Celebres in arte viri Mortonus, et Baglivus observaverunt quod dum pleura inflammata, aut pulmonum tubercula in apostema abeunt, tunc febrim prius continuam excipi ab intermittente quotidiana; sæpius quandoque et terciana.

Apud Hippocratem simile quid invenitur dum dixit (Coac. Prænot. N. 419.) *febres intermittentes ob suppurationem pleræque sudorificæ sunt.* Ubi notandum quod et in præcedentibus, et mox sequentibus coacis præceptis de pleuritide, et peripneumonia agatur, et quod suppurationibus internis laborantes ægri admodum in sudores nocturnos in primis proni sint.

Suppuratio ista frequenter in pleura pulmoni accreta contingit. In cadavere hominis cujus morbum non noveram (inquit hic van-Swieten.) cum à vespillone furtim ablatum redemissem in usus anatomicos, inveni pulmonem sinistrum firmiter accretum pleuræ lata admodum plaga: dum scalpelo solvebam hanc cohæsionem, ut pulmonem educere possem, ingens copia puris effluxit non à pulmone purulento, sed à sacco ex suppurata pleuritide nato cui pulmo accreverat. Imitatione dignissima diligentia!

cognoscitur, (*a*) et quandoque sputo per pulmonem evacuatur.

894 Abscessus vero ille pure proprio rumpitur, unde pus stillat in cava pectoris, (*b*) ulcus novo pure facto et accumulato totum cavum replet, totum corpus consumit; id factum noscitur ex prægressis signis (892. 893.) duratione mali usque in decimum quartum diem; (*c*) symptomatum subita remissione, et repentino reditu: inde Phthisis. (*d*)

(*a*) Stollius omittit verba ista ultima, quorum loco hæc addit:

„Febre enim quatuordecimo morbi die non„dum penitus profligata, sed tamen plurimum „mitigata, dolore non acuto, sed obtuso; exa„cerbationibus febrilibus mox insurgentibus post „pastum, vesperi; sudore autem nocturno, co„pioso, ad paucas horas ferme iterum mane eva„nidis, gena utraque vel alterutra à meridie „rosea; siti assidua; calore genarum, frontis, „vel ad volas majori, suppuratum locum antea „inflammatum constat.

„His præsentibus suppuratus locus adhuc „conclusus est; at vero paulo post dolor acerbis„simus circa diem vigesimum oritur de novo, „falso pro nova pleuritide habitus. Membranæ „tunc distractæ, tensæ, ruptioni proximæ acutè „dolent."

(*b*) Dolore quidem sublato; sed respiratione magis læsa.

(*c*) Vigesimum diem, ex Stollio.

(*d*) „Febris enim increscit *purulenta*, quoti„diana, vespertina, semitertiana, quartana re-

895 Ubi ergo per signa (892. 893.) novimus inflammatum abscedere, locus ante dolens notus per caustica erodendus, usque circiter ad pleuram incidendus (*a*), suppuratoriis apertus servandus, ut materies extrorsum versa vi pulmonum à pleura caveat, ne fiat empyema: dein emolliendus, donec mundatio facta sit.

896 At vero si constat per signa (302. 894.) jam rupto apostemate pus formasse

»mittens; decubitus supinus, aut semisupinus, »in latus affectum difficillimus, suffocans in »latus sanum; lateris affecti totius calor major, »intumescentia levis, ad attactum dolorifica, »mamma illius lateris major, subinflammata, »subœdematosa, purpurascens, variegata; tus»sis sicca, respiratio profundior solo ferme sano »latere peracta, costis lateris affecti vix diduc»tis, aut elatis, thorace quoque anteriore, qua »is locum affectum spectat, vix moto, vix subla»to; in sessione scapula ægroti lateris magis »depressa, et spina dorsi curvata, in latus sa»num gibbosa; sonus percussi thoracis, aut dor»si infra scapulam, inspiratione magna antea »facta, in latere affecto nullus, aut qualis per»cussi femoris esse solet." Hæc addit hic Stollius oportune quidem.

(*a*) Raro certè hoc à Medicis hodie fit, et non omnes ægri talem cautelam admittere vellent; interim tamen tentari hoc meretur ut pectoris empyema adeo periculosum caveatur. Hipp. in simili casu hanc curam instituisse constat (lib. II. de Morb. cap. 22.) Erosio per caustica lentior, operosior, et ineptior: ideo insitatior.

empyema, illico Thorax aperiendus (*a*) (303.N. 5.), pus educendum (303.), vulnus percurandum (304.) victu, et medicamentis.

897 In alium quoque morbum abit, scirrhoso, callosove facto loco affecto, tum etiam pulmone pleuræ jam adnato; quæ ubi facta, oritur asthma, dyspnœa, tussicula sicca, in primis à pastu vel motu corporis; ex quibus cognoscitur, si præsentia sunt sine signis abscessus (893.), vel empyematis (896.), et in primis si diu, sine magno mali incremento durant. (*b*)

898 Cognitum hoc malum (897.) vel nullo remedio medicabile; vel tolletur vita duriore, labore, aëre libero, rusticatione, equitatione forti, multumque repetita. (*c*)

(*a*) In Nota ad Aphor. hic citatum describitur paracentesis. *Medicamenta* vid. in Aph. 236.

(*b*) »Thorace aperto, spes est sanationis, si »pus bonum, pulmones integri, ætas florens, »habitus corporis bonus, absentia prædisposi»tionis ad phthisin, viribus vitæ nondum deje»tis, febre tabifica vix inchoata, et mox ces»sante, emisso pure.

(*c*) Remedia in textu proposita optima sunt. Stollius terminationes ita proponit:

»Terminatur morte subitanea, suffocan»te ob materiem inflammatoriam repentè, mag»na copia, ex inflammata pleura in cavum tho»racis, die critico instante, depositam, respira»tione parva, aecelerata, laboriosa, erecta, »pulsu celerrimo, debilissimo, extremis frigidis.

899 In Gangrænam quoque talis inflammatio transit primo lateris, mox, vicinia loci, pulmonis (844).

900 Quod malum (899.) vel ex vehementia pleuritidis, vel ex acri, aut putri materia concomitante simul oritur.

901 Id vero futurum esse, et jam inchoari præsagitur ex variis: si sputa purulenta subbiliosa, rotunda, purulenta subsanguinea, nigra fuliginosa, (*a*) cœnosa, fœti-

»An mors averti posset, mox instituta paracen»tesi thoracis, priusquam lympha coeat?

»Nisi fortè ob eadem materiem minus copio»sam, successive depositam in cavitatem thora»cis, æger servetur.

»Cum lympha hæc inflammatoria non diu »fluida maneat, sed coeat in membranam, tan»dem duriorem, lardaceam, semicartilagineam, »pulmonem veluti, sacco arctiori concludet, et »arctè cum pleura religabit, vasis rubris in »pulmonem et pleuram immissis distincta.

»Indè asthma insanabile, præcipuè in motu, »plethora, febre . . (897.)

»Indè in morbo febrili quocumque pleuritis »symptomatica, et frequens in novas pleuritides »relapsus, cui prospicitur vitæ genere antiphlo»gistico, et venæ sectione prophylactica."

(*a*) Hipp. observavit eos pleuriticos perniciose haberi qui *nigra fuliginosa spuunt, aut quibus velut à vino nigro sputa fiunt* (Coac. Prænot. num. 407.) Pessimum est sanguinem floridissimum ex vena secta effluere observante Lancisio, et Baglivo referente. Hoc indicat crassiorem et inflammatoria tenacitate immeabilem sanguinem

da, strepitus in pectore multus cum vultu mœsto, oculis rubro flavis, pulverulentis, caliginosis, si sputa initio varia; tum sæpe tertio vel quinto die moriuntur. Si stertor, sputum nullum, vel difficile, pulsus languidus, urina flammea: si alvi fluor liquidus, fœtidus, putridus, symptomaticus: si supervenit magna peripneumonia: si novus insultus priori succedit: si sanguis floridissimus effluit ex vena secta sine crusta inflammatoria (384.), licet ex largo vulnere, pleno saltu, puro vase exceptus sit: si sputum supprimitur dyspnœa manente, vel aucta cum dolore, gravitate pectoris, pulsu duro, parvo, celeri, calore magno; hæc enim quinto die exacerbata septimo mortem inferunt: si urina prærubra, obscura, cum varia hypostasi, nec discreta, intra quatuordecim dies occidit: si hypostasis nigra vel furfuracea, citior mors: si initio mitis, quinto vel sexto die exacerbata, septimo et duodecimo periclitantur, raroque sanantur, nisi post quatuordecim dies: si dorsum, latus, humeri, cum rubore accenduntur cum angore summo, alvi fluxu viridi, et fœtidissimo.

(901) Si sicca ob defectum virium, ob

in pulmone accumulari, solam tenuissimam partem per arteriæ pulmonalis angustias transmitti: venæ-sectiones caute sunt in isto casu repetendæ.

dolorem summum, ob ineptitudinem materiæ ad expulsionem, ob vasa nimis contracta et crispata, ob nimium usum calidorum, (*a*) dolore simul vergente ad superiora : si lingua statim sicca, sordibus obsita, livida, nigra, cum bulla nigra : si horum signorum singula, vel plura simul, eveniunt, plerumque morbus ex se letalis, non facile sanandus, sed ut plurimum gangræna loci in latere, et vicino in pulmone, necat.

902 Quando autem hæc signa (901.) jam imminere id malum (899.) designant, statim uno impetu summa remedia tentanda sunt, nec vitæ auxilio, nec leviori fidendum medelæ, modo aliquæ vires supersint.

903 Ergo hoc casu (902.) statim crustæ ferro ignito (*b*) in loco affecto profunde

(*a*) Cum à frigore suscepto, æstuante à laboribus corpore frequenter adeo pleuritis oriatur, ignarum vulgus quandoque solet calidissimis et spirituosis remediis incipientem hunc morbum tentare ut frigus susceptum discutiant. Talia media crispant solida, ad coagulum disponunt humores et motum febrilem immaniter augent, adeoque damnosissima sunt. In casu isto sputa non apparent, et licet dolor sursum vergat periculosum valde est. *Pleuritides siccæ, ac sine sputo difficillimæ : horrendæ quoque in quibus dolores sursum vergunt.* Ex Hipp. in coac. prænot. num. 381.

(*b*) Cum in isto casu gangræna immineat, vel jam facta sit crustarum profunda inustio tentan-

inurantur, dein fortibus emundantibus obducantur, et penetrantissimis fomentis calescant assidue; tum fortia diluentia, aperientia, antiseptica, sudorifera, larga copia hauriantur. His enim, si ullis, lenietur mali sævities.

904 Sed si causa inflammatoria vehementissima summa crearit symptomata pleuritica, nec auxilio naturæ (887. 888), nec remedio ulli antipleuritico (890. 903.) cedentia, et hæc dein subito, sine causa tolluntur, (*a*) quatenus ab inflammatione

da ut sopita jam vitalis vis, et calor resuscitentur in parte, et deciduis postea escharis patula via fiat versus exteriora puri, et ichori gangræ-noso. Cauterium istud actuale immerito forsan eviluit. Areteus lateri dolenti jubet applicandam cucurbitam magnam, et latam cum multa flamma et postea scarificari locum, et sale vel nitro irritanda hæc vulnuscula voluit, si æger et viribus et forti animo valeat. Franciscus Vallesius in commentariis cedro dignis in libros epidemiorum Hippocratis (III. et VI. præsertim) has cucurbitas etiam cum scarificatione applicandas voluit insigni cum levamine. Cauteria potentialia, inter quæ cantharides eminent, hodie sunt usitatiora. Emplastrum ex iisdem ipsi parti dolenti cucurbitis omissis, vel post istas extempore applicandum. Plura ubi de grangræna (419.) fuit actum videnda. Cortex peruvianus ibi summopere laudatus hic erit etiam præstantius remedium, cujus nec Boerhaavius, nec van-Swietenius meminere.

(*a*) Hæ sunt fallaces illæ charybdes famæ Medici adeo insidiosæ si minus peritus, vel non

pendebant, manente pulsu parvo, celeri, intermittente, respiratione celeri, parvaque, sudore frigido, constat Gangrænam jam occupasse loca inflammata. Hinc delirium brevi, statimque mors, maxime si simul lividus thoracis color: quod idem fit, si ille, qui sputum subbiliosum excreat, dolore levatur sine ratione, tunc enim pariter letalis insania, mortis ex gangræna nuncia, adest.

905 In mortem exit ipsa Pleuritis tunc, quando tam vehementes causæ ejus, ut dolor productus omnem motum thoracis supprimens brevi creet, impedito sanguinis trajectu, peripneumoniam letalem (848.) quam brevissime.

906 Hinc liquet, cur omni sæviori pleuritidi peripneumonia superaccidat? cur senibus, puerperis, gravidis, plerumque letalis? cur thoracis per fasciam (*a*) adstric-

satis attentus fuerit: dum enim omnia in vado esse credit post mediam horam sæpe exspirat æger. Notanda Hippocratica sententia in qua legitur: *lateris dolor ex sputis biliosis si absque ratione evanuerit in furorem aguntur.* (Coac. Præn. num. 418.) Medici nimium occupati! Cavetote!

(*a*) Dum inspiramus costæ à se mutuo removentur, et diaphragma deorsum pressum thoracis cavum reddit amplius, simulque tunc abdomen assurgit. Dum autem pleuritis adest absque acerbo dolore costæ à se mutuo diduci nequeunt. Ubi ergo fasciis circumductis ita adstringitur

tio adeo dolorem levet, ut morbum tolerabilem reddat? (*a*)

thorax ut costæ quasi immobiles reddantur, abdomine interim ab omni compressione libero, tunc dilatatio thoracis inter inspirandum fit à solo descensu diaphragmatis versus abdomen et non distrahuntur loca intercostalia; unde ergo insigne doloris levamen percipiunt ægri, et minor metus est ne ob impeditam inspirationem infarciatur pulmo sanguine immeabili. Interim tamen, et hoc notandum est minui quidem sic dolorem pleuriticum, sed manere ejus causam, cui ergo efficax medela adhibenda est, ne in suppurationem inflammatio hic nata abeat dum ob levamen doloris, minutam esse morbi vehementiam falso quandoque crederet . . æger, non Medicus.

(*a*) Aphorismo huic finito hæc addit Stollius: »Constat quoque, quid sit pleuritis ascendens, descendens, dorsalis, simplex, duplicata, acuta, chronica, latens sive occulta. »Item cur pleuritis infantum cognitu difficillima, »et cur hæc à convulsione universali sæpè exordium capiat: inspiratio cum clamore prohibita, uno latere peracta, altero introrsum tracto; febris; caussæ producendo huic morbo pares prægresæ, hic diagnosin suppeditant. Cur »opium dolorem pleuriticum non tollat, nec expectorantibus nisi raro (Aph. 888. n. 6.) locus »sit; quando et ubi vesicans: nempe in pleuritide rheumatica, phlogosi fracta, materie mobili effecta, aut viribus vitæ fractis tanquam »cardiacum; cur empyema post pleuroperipneumoniam letale; quæ pulsuum fallaciæ sint in »pleuriticis. An crebrior morbus in latere thoracis dextro sed benignior? an rarior in lævo,

„et cum majori discrimine? an ob pericardium, „ob cor ipsum simul inflammatum subinde? Ra„rior quoque in sexu sequiori, itemque in sexu „utroque ante annos pubertatis, sed eo periculo„sior."

Antequam tractatus iste de Pleuritide finiatur innuenda species pleuritidis notabilissima, cujus nec Sauvagesius, nec Cullenius meminerunt, et est illa de qua Baglivius hæc habet: *pleuritides frequenter sunt occultæ quia indolentes, unde gravissimi errores in praxi succedunt: ut hi in posterum vitentur scopuli, signum dabimus latentes, et indolentes pleuritides manifestandi. Fac ut æger in dextrum, vel sinistrum latus decumbat: decumbenti impera, ut fortiter respiret, ut tussiat, finita una, aut altera respiratione, pete ab illo, an inter respirandum, et tussiendum, dolorem, aut gravedinem alicubi in pectore persentiat, quod si affirmet, pro certo habetur pleuritidis sedem illic esse, ubi dolorem, aut gravedinem indicaverit: hujus signi certitudine plures deteximus occultas pleuritides in hac magna orbis urbe, summo ægrotantium levamine, ac valde proficuo commodo.* Hæc Georgius Baglivius, qui 34 ætatis anno summa rei medicæ jactura heu! vitam cum morte commutavit. Lib. I. Praxeos medicæ cap. IX. de Pleuritide.

Stollius de Pleuritide et Pleuroperipneumonia latente, chronica tractavit. Videatur APPENDIX. Alia divisio Pleuritidis in ascendentem, et descendentem memoranda foret, ex Hippocrate (Lib. de Victus ratione in acutis. Sect. II. vers. 17.) desumpta, quæ maxima disidia inter medicos excitavit super cathartico in descendente præscribendo. Petr. Mich. de Heredia Pleuritidem istam descendentem dolorem lateris non pleuriticum pronunciavit, in quo *alvum mollire oportet* ex

APHOR. 887.

Vid. Decocta Aph. 873. N. 4. Aph. 859. 861.

APHOR. 890. Num. 2.

Fomentum laxans, resolvens, mitificans, paregoricum.

R. Foliorum Malvæ, Bismalvæ,
Parietariæ, singulorum manipulus duos
Papaveris hortensis
Hyoscyami, singulorum manipulum unum.
Florum Sambuci, Chamæmeli
Meliloti, singulorum uncias tres.

Cum *lacte dulci* decocta est fomentum.

Hippocratis sententia. Nihilominus videndum an dolor ad partes septo transverso inferiores se extendens ab hepatis aut diaphragmatis inflammatione aliqua latente tum pectus, tum hypochondria in consensum trahente, oriatur; tunc enim non alvum mollire sed sanguinem vacuare oportet; contra vero si à putridis in ventre hospitantibus, vermibus, alisve similibus contingat. Videatur Prosper Marcianus in istum locum, et doctissimus ac profundissimus Heredia, qui Galeno contradicit, et quidem merito. (De Morb. acut. Sect. 4. Disput. 1. Cap. 4. Pag. 117.)

Hinc balnea, et tepefactoria intelliguntur.

Linimentum ad inungenda latera, laxans, resolvens, avertens.

R. Sacchari Saturni drachmas quatuor.
Aceti drachmas sex.
Olei rosacei infusi unciam unam.
Misce. Fiat Nutritum.

R. Unguenti populei uncias duas.

R. Emplastri Diapompholygos quod sufficiat.
Extende ad alutam.

APHOR. 890. Num. 3.

Decoctum laxans, resolvens, leniter aperiens.

R. Foliorum Tussilaginis,
Malvæ singulorum manipulos duos
Florum papaveris erratici
Altheæ singulorum manipulum semis.
Radicum Petroselini,
Sarsaparrillæ, singularum uncias tres.

Seminum Lini contusorum drahcmas quatuor.
Lactucæ
Cardui Mariæ singulorum unciam unam.
Cum aqua decoctas pintas tres exhibe.
Bibat uncias duas omni hora.

Emulsio similis.

R. Seminum quatuor frigidorum majorum, et minorum, singulorum drachmas tres.
Papaveris albi drachmas duas.
Cum aqua decocta hordei fiat secundum artem emulsio.
Cujus uncias quindecim admisce.
Nitri puri drachmam unam et semis.
Syrupi capillorum veneris unciam unam.
Bibat unciam unam omni hora vel et omni quarta parte horæ.

Mixtura in eundem usum.

R. Aquæ stillatæ Florum Rhæados
Sambuci singularum uncias octo.
Borraginis uncias quinque.
Lapidis cancrorum drachmas duas.
Prunellæ drachmam unam.
Syrupi Florum Rhæados,

Papaveris albi, singulorum unciam unam.

Misce Bibat uncias duas omni semihora.

APHOR. 903.

Decoctum antisepticum, aperiens.

R. Foliorum Scordii,
Alliariæ,
Marrubi albi singulorum uncias duas.

Cum aquæ decoctis pintis duabus admisce
Oxymellis scillitici uncias octo.
Nitri drachmas tres
Aceti Theriachalis unciam unam

Bibat uncias duas omni dimidia hora calidissimas.

PARAPHRENITIS.

907 Si morbus pleuritidi similis occupat eam membranæ Pleuræ partem, quæ diaphragma ambit, vel et ipsum Septum medium, oritur morbus dirus, quem Paraphrenitidem appellant. (*a*)

(*a*) Morbus iste apte etiam nominatur *Diaphragmatitis* et *Mediastinitis*. Diaphragmatis inflammatio varia symptomata producit prout in diversis locis hujus hæserit. Certe accrescit peri-

908 Qui longe frequentior, quam vulgo quidem censetur, licet præsens sæpe ignoretur, negligatur, vel alterius morbi titulo tractetur.

909 Cognoscitur ex febre acutissima, continua; dolore inflammatorio loci intolerabili ob membranas nervosas; qui dolor immaniter augetur in inspiratione, tussi, sternutatione, repletione stomachi, nausea, vomitu, compressu abdominis in alvo, vel urina reddendis; respiratione hinc sublimi, parva, celeri, suffocativa, quiescente abdomine, solo thorace peracta, delirio (*a*) perpetuo; hypocondriorum introsursum revulsione; risu sardonio; convulsione; furore; gangræna.

cardio, transmittit œsophagum, aortam, venam cavam . . accumbit hepati, lieni, renibus . . unde tumor inflammatorius in diaphragmate natus has illasve vicinas partes impediens diversa mala producere poterit.

(*a*) Delirium istud licet symptomaticum perpetuum est à delirio phrenitico idiopatico diversum dificillima in illo respiratione, quæ in isto magna, et rara esse solet. *Risus ille sardonius* peculiare quasi symptoma hujus morbi solet haberi. Ab acerrimis venenis in ventriculo hærentibus ita convelluntur et musculi faciei ut angulis labiorum retrorsum tractis risus incepti quasi species appareat. Vis ista ranunculo palustri apii folio tribuitur, et ideo apium risus vel et *herba sardoa* vocari solet acri caustica vi prædita plantula. Vulnera diaphragmatis talem risum produ-

910 Exitus idem, ut in pleuritide (884. 892. 896. 897. 899.), sed ob motum partis magnum et assiduum, ob necessitatem ad vitam, ob nervosas membranas tensas, omnia velociora, funestiora; et Ascites hinc purulentus.

911 Curatio hinc easdem distinctiones et cautelas requirit, tum eadem ferme remedia, exceptis iis, quæ loci situs respuit. Clysmata (*a*) mollia ob viciniam loci sæpe juvant.

912 Ubi vero suppurato diaphragmate prius inflammato, abscessus in cava (*b*) ab-

---

cunt. In infantibus dormientibus quandoque tempore dentitionis facies quasi subridentis adest; et solent inde sollicitæ matres convulsiones præsagire, quæ sæpè infelicitèr sequuntur.

(*a*) Clysmata injecta cum per totam longitudinem intestini coli usque ad ilei finem venire possint multum boni faciunt, quia intestinum colon ubi circa hepar, et lienem pergit diaphragmati vicinum est adeoque illud intestinum mollissimis decoctis per clysma injectis repletum, fomentum applicat blandum, et resolvens inflammato diaphragmati.

(*a*) Dum in cavum abdominis ex abscessu diaphragmatis pus delabitur, multa sunt mala metuenda: si enim consideretur, diaphragma semper moveri, et rapidam satis circulationem esse in diaphragmate ob cordis viciniam, intelligitur, magnam copiam puris brevi accumulari debere, et ulcus illud diaphragmatis ad sanationem reduci non posse; in primis cum à pure col-

dominis ruptus suum pus evomit, fit collectio (*a*) ejus in abdomine, aggestio, putrefactio, tumor, viscerum exesio, tabes miserrima, mors.

913 Estque totum hoc malum insuperabile, licet cognitum.

lecto, et mora acriori reddito, alluatur. Verum quidem est, pus effussum proprio pondere abdominis inferiora petere, sed illud retentum diu et corruptum putrido halitu inficiet omnia viscera, et erodet partes, quibus accumbit.

(*a*) Talis *collectio* purulenta non cognoscitur bene antequam pure continuo ex ulcere hoc aperto depluente repletum abdomen tumeat insigniter, sed hoc non nisi diu post ruptum abscessum contingit, adeoque sero tentaretur puris eductio. Præterea pus bonum cremorem fere lactis æquat spissitudine, adeoque paracentesi abdominis educi non posset, sed deberet latiori vulnere in cavum abdominis penetrante, via parari puri educendo, quod iterum periculo non caret. Mediastinum etiam potest inflammari, et Avenzoar scripsit se ipsum hoc morbo laborasse. Locus doloris: minor dolor quam in pleuritide quoniam inter inspirandum dilatato thorace non distrahitur ut pleura .. hanc mediastini inflammationem notant. Ista plerumque in suppurationem abit æque ac *ascites*, ac *collectio* dicta fere insuperabilem.

Quæri tamen potest an abscessu latente sub sterno post inflammationem istam, via puri fieri posset perforato sterno, ne pericardium vicinum et cor à retento pure et acriori reddito eroderentur? Freindius à peritissimo chirurgo, sæpius trepano perforatum fuisse sternum, monet dum in

HEPATITIS, ET ICTERUS MULTIPLEX. (a)

914 Ut viscera et partes, de quibus hactenus, ita Hepar quoque inflammationis capax; licet raro de eo cogitetur, et forte etiam non ita frequens sit ob

lue venerea tales abscessus frequentes mediastini oriebantur. Pericardium potest etiam per propagationem mediastini inflammari. Syncops, pulsus mira perturbatio . . istam docent. Inflammationes istæ, mediastini nempe et pericardii, frequentius forte contingunt quam creditur : majus periculum statuitur quam in pleuritide in primis si pericardium inflammatum fuerit ob cordis viciniam, et velocissimam hic humorum circumductionem, ideo curatio promptior et efficacior quam in pleuritide instituenda.

Mediastini, Pericardii, Cordis . . inflammationes, juxta dicta facile amplius percipiuntur.

(a) Sauvagesius Clase III. Ord. III. Gen. XXII. *Hepatitis*. Species : erisipelatosa, pleuritica, muscularis, cystica, obscura, suppurans seu febris typhodes.

Cullenius Clase I. Ordin. II. Gen. XVII. *Hepatitis*. Caracter : Pyrexia, hypochondrii dextri tensio, et dolor sæpe pungens pleuritici instar; sæpius obtusus dolor ad claviculam, et summum humeri dextri, decubitus in sinistrum latus difficilis, dyspnœa, tussis sicca, vomitus, singultus. Ista est hepatitis acuta. Hepatitis chronica per symptomata remissiora dignoscenda. Auc-

arteriæ hepaticæ parvitatem (*a*), et minorem impetum sanguinis Venæ Portarum.

915 Locum ergo habet in finibus ultimis utriusque hujus va-

tor iste de hepatitide erisipelatosa Sauvagesii dubitat. Inflammatio cystidis felleæ, vel ductus choledochi noscitur in ictero dolore in regione epigastrica acuto, à calculo, ut videtur in ductu choledocho hærente, et inflammationem ductus cystici sæpe producente.

(*a*) Cum arteriæ ad hepar delatæ licet magnæ, ut exiguæ habeantur, ratione habita ad molem tanti visceris; et sanguis ex venæ portarum trunco per hepar movendus pellatur lentius, cum jam venosus sit, adeoque cordis et arteriarum viribus non amplius cieatur; hinc forte minus frequens est vera hepatitis inflammatoria, et longe sæpius nascuntur in hoc viscere chronicæ admodum pertinaces obstructiones. Tamen standum pro hujus morbi frequentia, et quod non animadversus multoties, aut pro alio habitus errores non raro perniciosi, si medicus expertus et solers non sit, committuntur.

Divisio hepatidis in idiopathicam, et sympathicam consideranda; etiamque in acutam, et chronicam seu latentem. Ista, difficilis cognitu, frequens est. Sensus ponderis in hepatis regione: dolores in ea recurrentes: compressionis intolerantia: decubitus super ipsum difficilis: eam suspicari faciunt. His minime sufficientibus et summe ocultis: *Ergo ægrum ut vehementer respiret jube: tunc interroga num gravitatem sentiat, eamque aut quasi superne appensam, aut tanquam supernis partibus incumbentem.* Ita Medicum titubantem instruit Baglivum in simili casu (Not. in

sis (*a*) (914.), hepati adferentis cruorem effectu arterioso; hinc, ut pulmonis, du-

Aph. 906.) præeuns Hieronim. Ximenezius Inst. Med. Lib. II. Cap. VIII. Pag. 124.)

(*a*) Divisio ista hepatitidis, atque peripneumoniæ admittitur ab Ellero, Homio, Oosterdik Schacht, Quarino . . Ita utcumque demonstrari poterit eam despicientibus.

Cum inflammatio locum habeat tantum in vasis per quæ feruntur liquida directione motus tendente à basi canalis conici versus apicem, patet æque in ramis venæ portarum per hepar dispersis, quam in hepaticæ arteriæ propaginibus hunc morbum apparere posse. Omnis enim sanguis venosus à reliquis visceribus abdominalibus redux in truncum venæ portarum confluit, et ex hoc trunco in ramos convergentes iterum pellitur in hepate. Docuerunt autem injectiones anatomicæ, ramos arteriæ hepaticæ, hujus visceris nutritioni dicatum sanguinem ferentes, per totum hepar distribui æque ac propagines venæ portarum, quæ pro bilis secretione serviunt, et ubique sibi invicem vicina hæc vasa per hepatis substantiam decurrere; imo etiam videntur anastomosibus inter se uniri; felici enim injectione per venam portarum facta, ceraceam materiam per arterias hepaticas rediisse vissum: hinc æque ac in pulmone duplex hic inflammatio adesse potest. Hoc tamen notari meretur, quod inflammationis effectus valde diversi erunt dum in hepate, venæ portarum rami, vel arteriæ hepaticæ fines, infarcti sunt, quam dum in pulmone fiet ab inflammatis finibus pulmonalis aut bronchialis arteriæ. Nam in pulmone, utroque casu, vis ingens cordis proximi urget loca inflammata: in hepate autem venæ portarum propagines

plex est sede, (*a*) origine: ita tamen, ut unam natam altera facile sequatur.

916 Antecedunt utramque (915.) causæ similes, nempe generales inflammationis cujuscunque (375. ad 380.) determinatæ in primis ad hæc loca; (*b*) tum nonnullæ huic maxime loco propriæ, quæ multæ

implentur sanguine venoso abdominali, lentius moto, quam sanguis arteriosus, qui per hepaticas arterias pellitur. Ideo effectus illi, qui fiunt à sanguine urgente loca inflammata, et simul sunt signa inflammationis præsentis, sæpe non adeo se manifestant, ubi in ramis venæ portarum hæret morbus; et hæc videtur causa esse, quare quandoque medici quantumvis intenti, atque sagaces in diagnosi hujus morbi deficiant.

(*a*) Per istam potest etiam intelligi pars *gibba* hepatis, et *cava* seu sima. Inflammata illa, ut diaphragmati contigua majorem respirandi difficultatem, dolorem dextri lateris acutum, punctorium, ad jugulum usque protentum, tussi et inspiratione auctum . . producit, et ita imponit quandoque medico incauto sub adspectu pleuritidis adscendentis; sed hæmorrhagiis, sudoribus, et urinis sananda: hæc sima pars ventriculo et duodeno incumbens nauseam, vomitum bilis variæ, sitim . . faciet, et sic febrem biliosam mentitur: sed excrementis albis, biliosis . . judicanda. Illa à vitio circa fines arteriæ hepaticæ: hæc à venæ portarum extremis propaginibus affectis oritur.

(*b*) Hinc » metastasis lymphæ inflammatoriæ è »loco antea inflammato ad hepar facta; itemque »materiæ febris cujuscumque, coctæ, humori bili»formi assimilatæ, ad hepar ablegatæ, ibidem ob »copiam, impetum, acrimoniam, spissitudinem

quidem huc referendæ : obesitas omenti (*a*) ingens ; atrabilaria cruoris , bilisve temperies ; acrimonia stagnantis alicubi materiæ purulentæ , ichorosæ , scorbuticæ ; si his accedit calor , febris , motus , victus , medicamentum , venenum , quod eliquat , movet, in hepar promovet ; bilis pinguis, acris, exusta, per suas causas agitata ; lapis, gypsus , scirrhus , callus , steatoma , apostema, cancer, vermis, aliquem locum jecoris, ve-

„adhærescentis, impactæ, inflammantis; constitu-„tio anni huic morbo magis favens." Hæc Stoll.

(*a*) Omentum nullum habet vas excretorium, et omnis illa pinguedo fusa , et mota per morbum, vel validos labores , per epiploicas venas directe abit in venam portarum , adeoque subito totum hepar inundatur hoc pingui oleo , quod difficillime per ultimas angustias vasorum transit , et pessimas obstructiones producere potest , in primis in illo viscere , quod primo oleosæ hujus plethoræ impetum excipit. *Calculosæ* concretiones nullibi frequentius inveniuntur quam in hepate, aut vesicula fellea , et illis locis , quæ urinæ secernendæ , transmittendæ , colligendæ , et excernendæ dicantur. Columbus in cadavere Sancti Ignatii in vena portarum observavit lapides (Anatom. L. XV. P. 266.) Non solum in ventriculo *vermes* reperiuntur , in hepate enim aliquando adsunt. In cadavere militis tam in ductu cystico, quam hepatico invenit lumbricum Nebelius , et copiosos simul in intestinis ; unde non sine ratione suspicatur , lumbricos ex duodeno per ductum choledochum in ductum cysticum , et hepaticum irrepsisse. Forte aliæ viæ sunt , per quas

siculæ fellis, meatus bilarii occupans, premens, comprimens, si accesserit tum similis causa(*a*) excitans, ut mox enumerata; subita fortis frigoris per aërem, potum, natationem, calefacto fortiter prius jecori applicatio; sitis diuturna in magno motu, æstu,

in hepar venire possent vermes. (*Ruysch. Observ. anat. 6.*)

(*a*) Causæ recensitæ premendo partes contiguas possunt impedire, et turbare liberum sanguinis venæ portarum per hepar transitum; vel et bilis secretæ jam exitum liberum sistere. Considerandæ etiam precipuæ causæ, à quibus sanguis per venam portarum movendus ita disponitur, ut libere transire nequeat per ultimos fines angustos venæ portarum in hepate. Præcipua est *subita fortis frigoris* calefacto jecori applicatio. Si jam consideretur hepar magna sui parte ventriculo incumbere, facile patet quanto se discrimini exponant sæpe imprudentes homines, qui à laboribus, exerciciis . . æstuantes, gelido potu affatim hausto ventriculum replent; longe magis si glacie frigidissimum redditum potum ingurgitant. Simile et discrimem imminet à *natatione* dum quis sudans à laboribus aquæ frigidæ corpus immergit. Notum est ex anatomicis hepar illo loco ubi ventriculo incumbit nullum peritoneum tangere adeoque ibi facillime à frigore ambientis aquæ affici posse. Visum aliquoties ab hac causa, et hepatitidem, et pertinacem admodum icterum natos fuisse.

A siti diuturna in toto corpore pessima mala nasci possunt, sed præcipue in hepate, quia ibi sanguis venosus, absque pulmonis, et cordis actione renovata debet fluere per angustias arterio-

sudore; febris ardens cum inedia et defectu potus; summæ animi perturbationes; maximi motus per vomitoria excitati; mala hypochondriaca inveterata.

917 Ex his tam multiplicibus causis (916.) orta inflammatio varios habet effectus pro varietate dispositionis præcedentis in jecore, pro varietate materiæ motæ (*a*)

sas. Si jam, toto tractu intestinorum, et ventriculi siccissimo reddito ob potus penuriam, nihil per venas meseraicas resorbetur, sanguis venosus abdominalium viscerum crassissimus reddetur, antequam per venam portarum in hepar propellatur, adeoque hærebit facillime in angustiis ultimis vasorum. Sanguis autem venosus, antequam cor dextrum ingrediatur, omni lympha totius corporis diluitur prius, et tunc vi cordis musculosa valida pellitur per arteriam pulmonalem. Verum dum bina hæc adminicula ad facilem transitum deficiunt circa hepar facile patet, ibi magis metuendum esse vasorum infarctum à sanguine immeabili.

Quondam pessima illa medendi methodus invaluerat ut etiam in fervidissimis morbis omnis omnino potus miseris ægris negaretur, vel saltem concederetur parcissima tantum copia, et facile patet maxima mala in hepate nasci posse; hinc hypochondria in febribus ardentibus explorandæ. Hodie fortunato ista minus eveniunt. *Vomitoria* sic læsso hepate exhibita nocentissima. Letalis hypercatharsis, sanguinisque sursum, et deorsum evacuationes subitæ secutæ fuerunt post vomitorium datum aliquando, in isto casu.

(*a*) Calculosæ concretiones, materies scirrhosæ,

et inflammantis; tandemque pro varietate causæ pellentis.

918 Dum vero indolem communem inflammationis sequitur, vascula obstruit; fluida sistit; tumorem elevat; vicina comprimit; eadem ac in suo loco producit; hinc sensim increscit, totum fere occupat, ventriculum impedit, et ab eo repleto dolet, sic et diaphragma; omnem cruorem arteriæ cœliacæ, (*a*) et binarum

ulcus cancrosum... hepatitidem insanabilem producunt. Pinguedo v. gr. Omenti subito soluta, et in hepar mota pessimas inflammationes facere poterit. Ubi vero atrabilaria materies acris jam reddita, in hepar propulsa morbi causam constituit, facile patet nullam spem superesse. Sic ubi circa fines arteriæ hepaticæ inflammatio hæret ferociores erunt inflammationis effectus ob sanguinem arteriosum, et cordis viribus impulsum in fines obstructos, quam si idem malum hæreat circa extremitates venæ portarum per quas tardius sanguis movetur. Simul etiam facile patet si valida admodum febris comitetur hepatitidem tanto majorem metum esse funesti eventus, cum resolutio inflammationis sedatum motum requirat, et omnis alius inflammationis exitus in hepate adeo periculosus sit.

(*a*) Constat ex anatomicis ventriculum, pancreas, lienem à cœliaca aeteria ramos accipere, mesenterium autem, et intestina à binis arteriis meseraicis, superiore nempe et inferiore. Pariter notum est omnem sanguinem per binas arterias allatum venosum redditum in unam venam portarum derivari, atque inde per hepar moveri: ex-

mesentericarum impedit, ad hepar sistit; adeoque omnem venosum, arteriosum, lymphaticum fluorem in visceribus, primis abdominalibus integre impedit; bilis generationem, secretionem, excretionem, circulationem, actionem invertit; Icterum producit, ejusque effectus, putrefactionem omnium liquorum et viscerum abdomi-

cipitur forte quædam portio, quæ à nutritione harum partium superstes per alias venas, à celeberrimo Ruyschio in ultimis suis operibus descriptas, in ipsam venam cavam non salutato prius hepate, transit. Ubi ergo valida inflammatio hepar occupaverit, sanguis venæ portarum sistetur ad hæc obstacula, ideo et sanguis venosus viscerum abdominalium distentam jam nimis portarum venam ingredi non poterit, adeoque nec ex finibus arteriarum in venas nimis plenas transire poterit. Hinc mala in textu enumerata nascentur. Inter hæc summus metus est ne distenta nimis vasa rumpantur, vel abolito influxu vitalis humoris in arterias, et effluxu per venas, subita sequatur gangræna. Fiunt tunc summæ anxietates, dolores sæpè molesti in variis abdominis locis, sed in primis circa cardiam. Succedit tunc sæpe vomitus vehemens, à quo quandoque levantur si validissima ista concussione venosus sanguis retrogrado motu in arterias reddit; nullæ enim sunt valvulæ in venis mesentericis, et docet Icterus periodicus post summas tales anxietates, et vomitus enormes prægressos sequens, bilem retropelli in sanguinem posse. Per *icterum* intelligitur bilis refusio in cutem. Inflammatio hepatis icterum poterit producere præsertim si in

nalium producit ; unde infinita mala. (*a*)

919 Habetque pariter exitum in sanitatem, alios morbos, mortem.

920 In sanitatem transit beneficio naturæ, vel artis.

921 Per naturam autem benigna resolutione, aut coctione et excretione materiæ morbosæ.

tali loco sit ut possit comprimere exitum bilis cysticæ in duodenum ex quo retropelatur in sanguinem. Post fervidissimas et siccissimas æstates, autumnali tempore grassantur epidemicæ febres continuæ remittentes, tum observationes practicæ docuerunt, hepar frequenter affectum spisso sanguine ad atrabilariam quasi tenacitatem accedente : tunc in talibus ægris non appareret quidem saturatus ille flavus ictericorum color, sed facies ceracea quasi est, et pallido in dilutissimam flavedinem inclinante colore, morbi hujus signum dat. Hoc valde notandum.

(*a*) Mala ista ita hic ab Stollio proponuntur: „Hinc, inflammato hepate, pondus, dolor sæ„pius obtusus, raro acutus, attactus impatiens; „decubitus supinus, et in dextrum latus facilior, „in sinistrum difficilior ; respiratio solo thorace, „potissimum sinistro, peracta ; inspiratio labo„riosa, expiratio facilis ; os amarum, vomitu„ritio, vomitus variæ bilis, et assumptorum; „cardialgia, anxietas, jactitatio ; alvus pigra; „parcæ urinæ, croceæ, oleosæ, cum sedimento „lateritio ; viscerum vicinorum inflammatio „communicata, et varia eorundem mala ; hæ„morrhois ad anum, vesicam, ejus collum, ure„thram ; icterus multiplex, et multiplices effec„tus illius."

922 Resolutione, si materies recens, lenis, et reliquæ conditiones adsunt (386.): tum ars diluendo, (*a*) solvendo, leniter movendo, per epithemata, (*b*) potus, clysmata, negotium promovet.

923 Coctione, et excretione, dum in morbo hoc per sua signa (916. 917. 918.) cognito 1. alvus fluit biliosis cum pauco cruore ante diem quartum; 2. urinave excernitur multa, acris, crassa, rubra cum sedimento subalbo, diu continuata, ante diem quartum; 3. superveniente dolore (*c*) mitiori Lienis ante signa suppurationis;

(*a*) Eligenda in primis illa quæ putredini hic metuendæ utcumque adversa sunt, et simul mollia satis cum blanda humorum indoles ad curam per resolutionem obtinendam semper necessaria sit. Leves frictiones hypochondriorum prodesse poterunt. Clysmata laudantur quia, in colo hærentia blandum fotum hepati largiuntur, et quia remedia solventia sic injecta venis bibulis resorpta, directe, et integris suis viribus ad locum affectum in hepate pervenire poterunt.

(*b*) An inter ista locum habere poterit post venæ-sectiones vesicatorium à quamplurimis tanquam anodynum, antispasmodicum, atque antiphlogisticum hic propositum atque laudatum? An frigida quæ in hepatitide inflammatoria sunt pessima: in symptomatica à febri remittenti putrida, proficua . . judicanda?

(*c*) Mitis dolor lienis indicat in hepate solvi jam obstaculum, et ita restitui liberum motum humorum per vasa lienis, et forte tunc majori impetu sanguis per arterias lienares irruit, et

4. hæmorrhagia larga ex nare dextra; (*a*) 5. sudoribus, materie, loco, tempore, continuatione, effectisque, bonis.

924 Ubi primum apparet (923. N. 1.), statim epithematibus, clysmatibus, fomentis, potibus, victu, medicamentis, ea sunt subministranda, quæ valent diluere, resolvere, movere, abstergere, leniter expellere, putredini biliosæ (*b*) in primis obesse.

aliquem molestiæ sensum facit, sed minime durabilem.

(*a*) Evacuatio ista convenit morbis acutis. Neque talis hæmorrhagia *larga* solum prodest quatenus copiam sanguinis minuit, sed quoniam sponte à natura fit videtur longe plus juvare, quam aliæ quævis per artem factæ sanguinis evacuationes. Observatur etiam critica tali hæmorrhagia exire sanguinem magis nigricantem, neque colore illo rutilo præditum, qui sanguini arterioso proprius est, et quidem summo cum levamine. Evacuationem istam utiliorem fore *ex nare dextra* rectitudinem affectantem observationibus antiquorum atque recentium etiam Medicorum constat. Tamen quandoque hæc regula exceptionem patitur. Notandum evacuationem istam quantumvis criticam solam non suficere. Urina, sudores, solutio alvi . . eam ut plurimum comitantur. *In hepatitide nonumquam manus quoque dextra torpet* ex C. Celso (Lib. IV. Cap. 8.) Hinc venæ-sectio in dextra manu inter anularem, et minimum digitum utilis ex VALLESIO nostro. (II. Epid. Sect. 2. text. 19.)

(*b*) Serum lactis in quo tamarindi, Rob sam-

925 Si alter casus adest (923. N. 2.) utendum dictis (889. ad curam 888. N. 2.), inque iis addenda parum detersiva.

926 In tertio casu (923. N. 3.) eadem (924. 925.) peragenda ; sed lieni simul, et toti viæ ab eo in hepar, fomenta similia danda.

927 In quarto (923. N. 4.) nares interne et externe emollientibus, tepidis fovendæ, donec ad levamen symptomatum fluxerit sanguis ; tum vero, si nimius fluor, compescendus lente (*a*) per stiptica et diætam ; ne nimis cito.

928 In quinto denique (923. N. 5.) requiritur usus decoctorum diluentium, abstergentiumque largus.

929 In primis in his (924. ad 929.)

buci, ribesiorum, syrupus è succo citri, de limonibus . . diluantur optimum erit. Decocta cichorei, taraxaci, sonchi, hordei, avenæ . . cremore tartari, tartaro solubili . . adjuta optima etiam. Vid. Aph. 930. in Materia medica.

(*a*) Raro contingit ut periculum immineat à nimis copioso isto sanguinis fluxu : simulac enim debilitari incipiunt ægri, et in animi deliquium fere delabi contrahitur patula in naribus arteria, et cesat hæmorrhagia. Si vero his signis apparentibus pergeret adhuc sanguis effluere, tunc compesci debet stipticis acidis ; non alitèr : magnum enim periculum imminet inter alia recidivæ periculosæ si intempestive nimis in meticuloso ægro narium hæmorrhagiam supprimeretur.

cautio sit, ne aliquid (*a*) materiæ morbi in loco restet, difficulter postea superandæ: et inde prima, atque benigna Icteri species curatur.

930 Si recens, vehemens, sine signis et spe (922. 923.), erit tractanda eisdem cautelis, remediis, methodo, ac pleuritis (890.), paraphrenitis (911.), et similes morbi: nisi quod ea, quæ leniter vi antiphlogistica alvum emolliendo subducunt pota, et per clysmata injecta, in primis prosint. (*b*)

931 Signa autem perfectæ sanationis, color non amplius ictericeus in oculis, facie, urina, fœce alvi, cum absentia symptomatum (918).

(*a*) Si in melius vergente morbo æger pertæsus curam ulteriorem respuat, vel minus attentus medicus morbi residuum non expugnet solent manere mala chronica curatu difficillima, et in primis scirrhosæ in hepate indurationes. Icterus levis hic tale quid indicat. Hoc casu serum lactis, et alia similia, inter quæ, aquæ minerales eminent, continuanda. Hæc est prima, *Icteri*, seu morbi regii, arcuati, seu auriginis species.

(*b*) Deinde ea exequenda quæ hic consulit Stollius: „In primis opera danda, ne aliquid „inflammationis restitet, aut ea diutius durans, „ad vesiculam felleam, ductusque hepaticum, „cysticum, choledochum producta, eorumdem „in cavo proprio, vel ad partes vicinas coali„tus faciat. Unde icteri, universales, assidui, „periodici, calculi vesiculæ felleæ, ductuumque

932 Unde noscitur origo, natura, effectus, curatio secundæ (*a*) speciei Icteri gravioris.

933 Si autem in hepate inflammato (914. 915.), remedia (922. ad 931.) non, fero, frustra applicata; causa major; tum orietur suppuratio (387. 402.) jecoris, similis ut alibi, nisi quod ob copiam multi hic liquidi cruenti et biliosi stagnantis raro bonum pus, nisi in parvis et exterioribus, plerumqpe vero funesta putredo.

934 Cognoscitur id futurum 1. ex signis prægresæ inflammationis in loco, dolore inflammatorio, ictero flavo in oculis, cute, urina, fœce alvi, apparente, febre acuta. 2. ex absentia resolutionis (922.), cocti excretionis (923.) aut sanationis

»cystici, hepatici, choledochi, ipsius hepatis; »infinita alia mala, nulla arte superanda."

(*a*) Si illud *aliquid morbosi* (929.) non excutitur, et remediis non obedit, major erit obstructio, majus bilis impedimentum, gravior secundæ speciei *Icterus*.

Valde notandum, quod hic addit Stollius: »Judicatur quoque hepatitis crisi erronea, ma»terie phlogistica repente transsudante. Indè »ventris tumor, intestinorum coalitus, et inter »sese, et cum vicinis, dolores colici frequentes »à motu, flatu, assumptis, insanabiles; alvus »segnis, soli tandem enemati, aut purganti obe»diens; fœx indurata, caprilla; vomitus inges»torum, crassiorum primo, aliquot à pastu ho»ris, dein et tenuiorum; volvulus, ileus letalis."

(924. ad 933.) 3. ex mutatione symptomatum, remissa acutie doloris, sequente pulsatione, manente ictero, horroribus vagis. 4. ex duratione inflammationis non pessimæ ultra triduum.

935. Factum novimus : 1. ex signis (934.) prægressis. 2. tumore loci. (*a*) 3. mutatione symptomatum, loco doloris jam præsente gravitate partis manente ictero.

(*a*) Non adeo facile sensibus deprehenditur talis vomica hepatis, nisi versus exteriora promineat. Præterea vesicula fellis contento liquido distenta fundo suo prominente ultra limbum costarum, posset et fallere abscessus specie. *Cel. Petit.* fatetur consilio instituto inter plures Medicos, et Chirurgos tumorem similem omnium votis habitum fuisse pro abscessu hepatis, et ipsi traditam provinciam aperiendi illum, et abscissis unice integumentis agnovit nihil aliud esse nisi cystis fellea bile viridi copiosa referta, qua per alvum deposita, æger convaluit. Optimum exemplum obscuritatis in re manibus quamtumvis dexterrimis exposita! Signa diagnostica præcipua, quibus à tumente vesica fellea distinguitur abscessus sunt, quod suppurationem comittentur dolor pulsatorius, horrores vagi, et diuturniores, quod tumor ab abscessu factus non adeo limitatam figuram habeat, neque statim in tali tumore fluctuatio appareat, et primo percipiatur in centro tumoris omni reliquo ambitu adhuc duro. Facile patet tunc tantum illam difficultatem distinguendi tales tumores adesse, quando occupant illam regionem ubi vesicula fellis collocata est.

4. ex debilitate magna, febricula hectica, siti ingente.

936 Tale apostema vel 1. totum depascitur jecur; 2. vel rumpitur in cava abdominis effuso pure sanioso; vel 3. per vasa biliosa in intestina; vel 4. per venam cavam in cruorem; vel 5. elato tumore accrescit peritonæo, (*a*) atque ibi abscessum externum hepatis format, ibi apparentem.

937 Ubi hepar consumitur (*b*), tum tabe lenta icterica, cum febricula assidua, siti intolerabili, debilitate summa, anxietate inexplicabili, urina fere nigra, tympanitide, fluore alvi sanioso, fœtidissimo, diu luctatus moritur.

(*a*) Talis accretio in omni ambitu quo peritonæum hepati contiguum est poterit fieri, et tamen in quovis loco non æque facilis manui chirurgi aditus datur. Si enim peritonæo concavam partem diaphragmatis investienti accreverit gibba hepatis pars, poterit pus collectum in hepate in cavum pectoris venire, imo, et in ipsum pulmonem, et per sputa purulenta ejici.

(*b*) Illa mala quæ fiunt dum hepar à purulenta vomica consumitur, partim pendent à resorpto pure cacochymiam purulentam sanguini inducente; partim vero ab impeditis illis functionibus, quæ à visceris hujus integritate pendent. Quotidie enim augetur puris collecti copia, unde immani quantitate quandoque in hepate collectum fuit inventum, sicque distrahendo, et premendo partes hepati vicinas plurima mala producere poterit. Inter ista Tympanitis numeratur. Putredine enim nata extricatur ex humori-

938 Qui casus (937.), eousque provectus, nullam medelam, vix palliationem capit; hæc nova Icteri idea.

939 Si ulcera facta hepatis, et jam rupta effuderint suam materiem in cava abdominis, collecto ibi puri assiduo novum addunt; omne corporis humidum et pabulum in novum pus convertunt, cuncta viscera putrefaciunt, hinc Asciten; mentiendo Tympanitidem, creant, unde post lentam, terribilemque tabem, et ejus symptomata, mors: similis fere priori (938.) hæc Icteri species, nulla arte sanabilis.

940 Quoties vero suppurata materies et ichor, exesis finibus meatuum biliosorum, in horum amplitudinem, indeque in intestina fluxerint, pro varietate affectatæ viæ, vomitus fætidos, putrefactos, purulentos, ichorosos, albi, cinericei, fusci, flavi, nigri coloris, vel similes alvi evacuationes producunt, cum summa virium jactura, titulo fluxus colliquativi, brevi letales. Novus hic iterum Icteri exitus, maxime metuendus.

941 Si vero in Venæ Cavæ exesos fines, hinc in ipsam, denique in massam sanguinis eadem liquida (940.) se effude-

bus aer, elasticus redditur et flatulentam abdominis expansionem facit, quæ *tympanitis* vocatur quia percusum manu abdomen instar tympani resonat.

rint, miscuerintque, teterrima oriuntur, et brevi exitialia, symptomata; animi deliquia enormia, frequentia; debilitates summæ; pulsus omni modo malus; perturbatio omnium functionum simul; mors improvisa. Novus iterum Icterus.

942 Quo quidem casu (941.) nulla valida medela habetur, largus autem usus eorum, quæ vires focillant, putredini resistunt, humida restituunt, aliquid proficit.

943 At si ultima obtinet mali species (936. N. 5.), tum deprehensus tumor, lino, ferro ignito (*a*), causticis, lanceola aperitur; vulnus leniter erodentibus et suppurantibus tam profunde exeditur, donec ad vomicam perventum.

944 Si tum album, æquale, læve, inodorum, specillum non colorans, pus extrorsum exit, spes est: oportet enim ut ulcus tractare (402. ad 413.); simul interna depurantia medicamenta adhibere.

945 Si autem flavus, fuscus, lividus, niger, fœtidus, specillum colore iridis in-

(*a*) Cum eventus periculosi hujus mali incertus sit, et qualitas puris emissi fere tantum docere possit, an æger superstes esse valeat, vel non, monendum prius est, certam instare perniciem nisi cito paretur puri in hepate collecto exitus, neque tamen apperto abscessu certam salutem promitti posse. Sic Medicus prudenter ægri statui, atque suo decori consulet.

ficiens, saniosus, amurcosus (*a*) ichor prodit, sensim exedetur jecur; consumetur æger; fientque fere eadem symptomata (941.)

946 Atque rursum si post inflammationem jecinoris adsunt conditiones (392.) scirrhus ibi nascetur; qui tumore, duritie, incremento, et suam sedem, et vicina lædit, hinc iterum eadem fere mala, sed lenta producit (881. 882. 883.); mollibus non auscultat; acribus in cancrum (492.) horrendum vertitur, cujus dein terribilia effecta intelliguntur ex (499.) comparato cum hac sede affecta: præcipuum scirrhi talis effectum, Icterus perpetuus. (*b*)

947 Unde patet, id malum per sua signa cognitum (946.) mitissime tractandum, sanari vix unquam.

948 Si autem in parva modo parte jecoris exigua talis inflammatio hæsit, calculo, scirrho exiguo, pustulæ, exiguo abscessui, originem dabit: quæ per se parum, sed orta febre multa mala pariunt (881).

949 Tandem etiam inflammatio hepatis desinit subito in mortem, si causæ in-

(*a*) Fœx illa nigricans et subpinguis, quæ in oleo olivarum expresso subsidet *amurca* dicitur.

(*b*) Etiam est hujus scirrhi effectus: Febris ictericea, et hydrops immedicabilis.

flammationis tam validæ, ut nihil per totum jecur transire queat, febre simul intensa urgente: tum strictum ad fines, dilatatum ad vasa hepar, nullam functionem obit; fit Icterus subitus et ingens; rumpuntur vasa; effunditur sanguis et bilis; moritur ilico æger. Id futurum prædicit. 1. vis morbi in hepate cognita. (*a*) 2. summa et subita resolutio virium: at vero jam fieri docet vomitus, aut secessus sanguinis, bilis, fœcis amurcosæ, viridis, nigræ, fœtidissimæ, cadaverosæ; singultus magnus, perpetuus; febris intensissima; sitis inextinguibilis; subitus admodum pallor.

950 Ex his omnibus expositis (914. ad 950.) intelligi possunt infinita symptomata in morbis acutis occurrentia (*b*); quorum

(*a*) Et præcipue *inflammatio erysipelacea ad hypochondrium dextrum in homine cacochymico*: resolutio virium *mox in morbi principio*.

Præterea hoc jam fieri docet *anxietas ingens, jactitatio, attactus regionis hepaticæ vel levissimi impatientia*; vomitus . . . febris intentissima; *æstus intolerabilis, sudore interim frigido in magnas guttas collecto; lingua et artubus frigidis*; sitis inextinguibilis; subitus admodum pallor; *pulsus debilissimus, celerrimus, formicans*; *meteorismus*; *facies hippocratica*. Ita Stollius.

(*b*) In aphorismo isto corollaria quædam practica proponuntur, quæ ex illis, quæ hactenus de hepatitide dicta sunt sequuntur, et multum

ignota ratio inanes malignitatis (*a*) fabulas produxit: nam ab hepate omnia viscera abdominis, adeoque omnes illorum actiones, digestionis, assimilationis, nutritionis, refectionis sanguinis, excretionis alvinæ pendent. In Hepate triplex, facile in calore putrescens humor, sanguis multus et solutus, bilis vesicaria, et hepatica: Hepatis cum diaphragmate et corde magna vicinitas: finibus biliosis obstructis facile liquor Portarum biliosus in Cavam transit.

lucis tam cognitioni, quam curationi morborum affundunt. In hepatitide magna sepæ adest anxietas, debilitas, et alia symptomata, quæ febrem malignam comitantur. Sedula observatio causarum hepatitidis, et effectuum, qui simul signa morbi præsentis sunt, non patietur attentum Medicum hic falli.

(*a*) Error iste adeo perniciosus est, ut Sydenhamus non dubitaverit dicere quod *malignitatis* illud vocabulum humano generi ipsa inventione pulveris pyrii letalius fuisse, dum illos in primis morbos *malignos* vocarent medici, in quibus intensior præ ceteris inflammationis gradus adest. (In schedula monitoria de novæ febris ingressu) *Triplex humor* in hepate considerandus. Primus est sanguis venosus ab intestinis, ventriculo, omento redux fluidissima parte resorpta onustus, et qui ex liene dilutus et atenuatus est, uterque facile putrescendus. Bilis hepatica, et vesicaria acres sunt et cito putrescentes ut in physiologicis fuit dictum.

Quidquid per venam *Portarum* fluit duplici via inde exit: vel enim per canales secretorios

Tum ex iis solis perspicitur, quam varia, quam multiplex Icteri idea? (*a*) Cur aliquando facile sanetur, et quando? Cur sæpe sit pertinacissimus? Cur sæpe cito, sæpe tarde

venit in porum hepaticum, vel per fines ultimos venæ hujusce in ramos venæ *Cavæ* per hepatis totam substantiam distributos pergit, sicque in cavam, sinum venosum, et cor dextrum tendit.

(*a*) *Icteri idea* varia certe est prout bilis hepatica vel cystica, vel utraque sub earum variis atributis in sanguinem regurgitat. Varietas causæ varium etiam icterum producit facile vel difficile, prout causa fuerit, sanandum. Levis v. gr. hepatitis : graviditas : fæces duræ . . causæ leves sunt. In recens natis, et etiam jam ubera ducentibus aliquando contingit. Saponis veneti scrupulus in aquæ unciis tribus dilutus addendo unciam syrupi cichorei cum rheo cochleatim exhibita sufficiunt. Si causa gravior fuerit v. gr. bilis maxima incrassatio, tumores duri, ductus cysticus concretus . . *pertinacissimus* evadit.

Ubi atrabilaria materies impetu subito in hepar ruit : validissima inflammatio . . *cito* occidit. Calculosæ concretiones, atrabilarius sanguis tenax, sensim in hepar aggestus, diuturniorem icterum, quamvis nigrum producunt.

Pertinax usus succi graminis, seri lactis, et similium verno tempore, æstivis mensibus aquæ *minerales*, hyeme magna copia saponis veneti cum melle, sexagenariam mulierem tali ictero, nigro ferme colore totum corpus tingente, solis oculis profundissima flavedine perfusis, ita ut horrorem omnibus illam videntibus incuteret misera ægra, quo per duodecim annos laborabat sanaverunt. Integro biennio (ait van-Swiet. ista

admodum occidat? Cur per vices accedat, maneat, abeat, redeat? cur cum tantis anxietatibus, vomitu, dolore, convulsione, præcedentibus, appareat, quiescat, redeat? et quid tum denotet? Cur in acutis tam calamitosus ante septimum diem?

referens) hanc medelam adhibuit constantissime, quod raro in difficillimis chronicis morbis impetrare ab ægris possunt Medici. Tanto autem magis mirabatur ægrotæ longanimitatem quod primis octodecim mensibus vix quid proficerent omnia hæc artis molimina, omnesque ejus consaguinei, et amici suaderent ut missis omnibus remediis pacata mente exspectaret mortem, quam certam, et unicam malorum medelam prævidebant. Optimum constantiæ exemplum in chronicis observandum! Pecant ægrotantes? Peccant pseudo-amici? ¿Pecant amplius Medici? Si ignavi, si conniventes?

Aliquando icterus *periodicus* seu per vices accedens observatur, cujus frequentior causa sunt calculi in cystide fellea hærentes. An vesicæ felleæ calculis refertæ sectio suadenda? Si constare posset vesicam felleam accretam fuisse peritonæo proderit. Forte (ait hic van-Swieten) prima fronte audax apparebit facinus talia moliri, sed certe audacior ille fuit, qui primus ex vesica urinaria LITHOTOMIA calculum educere tentavit.

Icterus *in acutis* ante septimum apparens, suspectus et calamitosus est, quoniam augmentum morbi acuti, et hepatis hactenus liberi infarctum à materia adhuc cruda designat. Si humores per alvum, vel alias vias cedant, minus adest periculum ex Hippocrate (IV. Aph. 62.) Idem post septimum diem apparens, licet revera

Cur tam inexpugnabilis in iisdem post septimum diem? Cur dysenteria larga, cito desinente, tam bene sanetur? Cur missio sanguinis tam parum hos morbos juvet? Cur in omni morbo acuto adeo attendendum sit ad hypochondriorum dolores, tumores,

inexpugnabilis non sit, difficilis tamen curatu judicatur; indicat enim materiam morbosam in hepate manere, quæ vel vomicam excitare, vel liquidiori parte dissipata scirrhum producere (VI. Aph. 42.) poterit.

Missio sanguinis, ad curandam inflammationem, multiplicem ob causam solet adhiberi, ut nempe læsio ulterior vasorum inflammatorum impediatur, copia sanguinis, et ejus impetus in vasa obstructa imminuantur; ut, vasis distentis ab immeabili materia, restituantur oscillationes elasticæ per imminutionem distendentis liquidi; vel denique ut moleculæ obstruentes, minuto impetu liquidi à tergo urgentis, retroprimi possint in loca latiora, sicque obstructio solvi. Hi omnes effectus missionis sanguinis minorem efficaciam videntur habere in sananda hepatis inflammatione, cum sanguis venæ portarum jam venosus sit antequam in convergentium ramorum angustias denuo pellatur, adeoque cordis et arteriarum efficacia in hunc sanguinem admodum debilis sit: ubi vero inflammatio hæret circa fines arteriæ hepaticæ tunc major effectus, similis nempe ut in reliquis inflammationibus à sanguinis evacuatione exspectari poterit.

Videndum igitur, quando et quibus circunstanciis missio sanguinis parum vel multum hunc morbum juvet. Pariter videndum: quando *purgans*, *emeticum*, *solvens*, *resolvens*, *frictio mer-*

retrosursum elevationes? (*a*) Cur color oculorum, urinæque tam cito icterum præsentem et abeuntem designent? Cur vitia inflammatoria, suppuratoria, gangrænosa, scirrhosa, cancrosa, lienis, ventriculi, omenti, mesenterii, intestinorum, semper ipsum hepar adeo violenter infestent? Cur tam enormiter vitia inflammatoria hepatis vicissim et scirrhosa illa afficiant? Cur

curialis . . hos morbos sanent ex additione Stollii.

Circa istam ultimam plurima erant dicenda. Mercurialia in peripneumonia notha tamquam utilia posita manent (Not. in Aph. 873.) In hepatitide lenta, proficua absdubio In hepatitide putrida, febre biliosa sociata, illa præsertim, quæ *flava* ob talem inter alia in cute colorem nominatur, tamquam unicum atque efficacissimum auxilium hodie proponitur. Febris ista flava in Insula Jamaica, et Philadelphia annis 1793. 4. 5. devastans contagio atque pestilentia horribilis isto fere unico, mercurio nempe dulci, sive calomelano domabatur. Ita unanimiter referunt Medici, qui eam tractaverunt James Walker, Lining, Clark, Drummod, qui ea etiam in hepatitide chronica commendant. (*Recueil periodique de litterature medicale etrangere.* Supplement. Tom. I. N. VIII. Pag. 304. et Idem. Tom. II. num. XIV. pag. 60.) Bosquillonius mercurialia in simili casu inuit quantumvis à teoria inaccesa (Nota al num. 422. de los Elementos de Medicina practica del Doctor Cullen Tom. I. pag. 414.)

(*a*) Cur hepatitis tam sæpè pro cardialgia habeatur, et quo eventu; cur inflammatio hepatis toties imponat Medicis pro febre biliosa, et

jecur tam immensum (*a*) augeri, tumere, iterumque exsiccari possit? Cur hydrops à malo hepatis, et tympanitis eo crudelior? Cur ab hydrope extenuatio, et exsiccatio hepatis, cum prætumido liene? Quæ dysenteria hepatica? &c. sunt enim infinita, quæ huc spectant.

saburrali, et quam ambigua subinde diagnosis, quam periculosa deceptio, cur subindè icterus in hepatitide, subide non . . cur icterus subinde hepatitidis causa, subinde vero effectus. Hæc Stoll.

(*a*) *Jecoris augmentum* hic satis facile patet; *exsiccatio* non ita facile concipitur. Videtur tamen quandoque contingere obstructis biliosis in hepate meatibus, ita dilatari ultimos fines venæ portarum, qui cum venæ cavæ ramulis per hepar dispersis communicant, ut facillimus transitus sanguinis ex vena portarum in cavam fiat, tunc minus urgebuntur vasa obstructa, nec dilatabuntur, imo collabentur tandem et concrescent cum liquido contento quiescente, sicque hepar minuetur mole, exsuccum et aridum quasi reddetur. Præterea detectæ fuerunt quædam venæ in mesenterio, quæ non exeunt in venam magnam mesentericam, sed sanguinem suum in ipsam venam cavam deferunt: hinc non improbabile videtur impedimento nato circa venæ portarum angustias in hepate sanguinem per binas arterias mesentericas allatum et per hanc viam redire posse ad cor insalutato hepate. Forte etiam et retrogrado motu venosus sanguis in arterias redire potest cum hic nullæ sint valvulæ ut jam dictum. Dum hoc fit omni functione hepatis sublata languidam vitam trahunt tales ægri, illudque viscus incredibiliter mole minuitur.

APHOR. 922.

Vid. de Resolutione Aph. 54. N. 4. 75. N. 5. 88. N. 5. 6. 135.

APHOR. 924.

Vid. Aphor. 54. Num. 4. 88. Num. 5. 6.

Stipticum hic necessarium in hæmorragia narium.

1. *Lenius.*

R. Aluminis rupei drachmam unam.
Aquæ stillatæ plantaginis unciam unam
Misce. Solve.

Turundis ingestis applicetur cavo narium.

2. *Fortius.*

R. Sacchari saturni drachmam unam.
Aquæ stillatæ rosarum unciam unam.
Misce. In eosdem usus.

3. *Fortissimum.*

R. Vitrioli communis drachmam unam.
Aquæ stillatæ rosarum uncias sex.
Misce. Similes in usus.

APHOR. 928.

Vid. 54. Num. 4.

APHOR. 930.

Remedia hic fere propria.

Acetosa hortensis
pratensis
rotundifolia
Acetosella
Atriplex sylvestris
Bonus henricus
Chondrilla
Cichoreum agreste,
sativum
Dens Leonis
Endivia
Fumaria
Hieracium
Lactuca
Oxylapathum
Portulaca.

Syrupus Borraginis uncias duas.
Cichorei cum rhabarbaro uncias tres.
Fumariæ uncias duas.
Quinque radicum aperientium uncias duas.

Decoctum antiphlogisticum, aperiens, leniter alvum movens.

R. Tamarindorum unciam unam
Prunorum acido-dulcium uncias tres
Uvarum passularum sine gigartis,
Corinthiacarum, singularum
uncias duas.
Florum taraxaci
Cichorei sylvestris, singulorum
unciam unam.

Radicis scorzoneræ uncias quatuor.
Cum aqua decoctis spatio quartæ partis horæ libris duabus admisce
Salis polycresti drachmam unam
Syrupi cichorei cum rheo unciam unam, et semis.
Bibat unciam unam omni semihorio, donec leniatur alvus cum regimine.

Mixtura similis.

R. Syrupi cichorei cum rheo unciam unam et semis.
Salis prunellæ drachmam unam
Aquæ stillatæ cichorei
Fumariæ singularum uncias duas.
Misce. Capiat cochleare unum omni semihorio in eosdem usus.

APHOR. 944.

Æstivo tempore.

Haustus refrigerans, putredini resistens, vires refocillans, sitim sedans.

R. Baccarum maturarum

Mori	Cerasorum
Ribesiorum	Berberis, singularum
Sambuci	uncias quatuor.

Contusis expressum succum decoque: tum unciæ uni hujus succi ad misce
Vitelli ovorum numero unum

Succi citri drachmam unam
Vini rhenani unciam unam
Panis tosti tenuissime contriti quod sufficiat
Sacchari quod sufficiat.
Fiat Haustus.

Hyemali tempore.

Similis, sed paulo calidior.

R. Rob ex iisdem unciam unam
Elæosacchari de nuce myristica grana quinque.
Aquæ stillatæ corticis citrei uncias duas.
Vini Rhenani unciam unam
Vitelli ovorum numero unum
Sacchari quod suficiat.
Hæc cum pauxillo panis tosti infusa, expressa, exhibe.

Ad idem.

R. Foliorum electorum recentium, et caulium Lactucæ
Endiviæ
Teraxaci
Portulacæ singulorum uncias sex.
Acetosæ uncias tres.
Mundata, lota, iterum excussa aqua cum jure carnium, et pauxillo butyri, salis, et nucis myristicæ, leniter vase clauso cocta comedat.

VENTRICULI INFLAMMATIO. (*a*)

951 Ut reliquæ partes, ita quoque stomachus vera inflammatione corripi potest. Cujus signa, et effectus hæc fere habentur: dolor ardens; fixus, pungens in ipso stomachi loco; ejus exacerbatio in ipso puncto, quo aliquid ei ingeritur, vomitus dolentissimus statim ab omni ingesto, cum singultu dolorifico; anxietas summa et perpetua circa præcordia; febris (*b*) acuta continua. Ejus causæ (*c*) generales in-

(*a*) Sauvagesius Clas. III. Ord. II. Gen. XIII. *Gastritis*. Species: legitima, traumatica (*à contusione vel vulnere*) à veneno, erysipelatosa, exanthematica, sternocostalis.

Cullenius Clas. I. Ord. II. Gen. XV. *Gastritis*. Caracter: pyrexia typhodes; anxietas; in epigastrio ardor, et dolor ingestis quibuslibet auctus; vomendi cupiditas, et ingesta protinus rejecta; singultus. Species *idiopaticæ* à causis internis: phlegmonodea, legitima, erysipelatosa (an phlegmonoidea?) cardialgia inflammatoria: à causis externis: à veneno, erythematica (rubore erysipelatoso in faucibus apparente.) *Symptomaticæ* sunt: exanthematica, herniosa, sternocostalis (de hac non liquet.)

(*b*) Febris ista frequenter est Lipyria, vel Lyngodes, seu singultuosa, præsertim si morbus sit gravis, atque vehemens.

(*c*) Frequentissima causa hujus mali est po-

flammationis, vel vicinia aliorum, vel acria ingesta.

952 Brevi plerumque letalis fit, nisi subito curetur, ob læsam necessariam functionem, et infinitos nervos connexos.

953 In sanitatem; morbos suppuratorios, scirrhosos, cancrosos, gangrænosos; vel in subitam mortem convulsionibus (*a*)

tus gelidus haustus calefacto prius à laboribus corpore. Directe in ventriculum hic delabitur adeoque ibi in primis mala producet, et quandoque subito spasmo sic stringitur utrumque orificium ventriculi, ut sursum vel deorsum ne guttula quidem exire possit, præcipue si maximam copiam potus gelidissimi à laboribus æstuans homo, et sitibundus simul, et semel ingurgitaverit; à qua causa mortem post intolerabiles anxietates, intra paucas horas factam fuit vissum. Præter causas generales inflammationis . . et acria ingesta hunc morbum possunt etiam producere acria »intus nata; venenum varium, medicamentum, »acre erysipelatosum, variolosum, arthriticum, »putridum, aphtosum, anthracodes, pestilentia»le. Hæc ex Stollio.

(*a*) Nervosissima ventriculi substantia irritata, et dolens totum corpus turbare potest miris modis, et in primis cerebri functiones lædere, quod optime Galenus notavit dicens: nam ventriculus capiti et caput ventriculo suas affectiones transmittit propter nervorum ab encephalo ad os ventriculi descendentium magnitudinem, per quos etiam sensus huic parti quam ulli reliquarum corporis partium acutior est (De locis affectis lib. III.) Jam Hippocrates emphatice pro-

acceleratam, transire, ut reliqui inflammati, solet.

954 Simulac præsens per sua signa scitur (951), statim valida sanguinis missione, si opus repetita; potu lenissimo nutriente (*a*), emolliente, antiphlogistico, causæ contrario; clysmatibus, fomentisque similibus, diligentissime utendum. Cavendum summopere ab omni acri, maxime autem à vomitu.

955 Si in suppuratum abit, multa mala, maxime nausea, vomitus, dolor, succedunt, quæ sæpe mirabilia apparent; ignorata causa, raro curantur; cognita

nuntiaverat: *venter capiti. Caput carnibus, ac ventri.* (De Locis in homine Sect. I.)

(*a*) Lactis serum recens, decoctum hordei, avenæ, panis, et similia, addito ovi vitello sufficient pro nutritione levi, quæ hic tantum requiritur. Jusculum dilutum ex pulli carne paratum blandissimum pariter est, et merito præferendum. Nitrum, quoniam vellicat etsi leviter, vitandum: in clysteribus poterit adhiberi. Balnea, fomenta, et in primis clysmata sæpius applicata, et diu retenta ut venis bibulis intestinorum resorberi possint præparata utilissima. Alimenta, et medicamenta acria, et præsertim *vomitoria* cane pejus et angue fugienda sunt. Cave ab illa fallaci, et periculosa regula: *vomitus vomitu curatur.* Levissima utcumque ventriculi inflammatio ab istis letalis fiet. Spirituosa, amara, aromatica, acria... etiam vitanda. Vesicatorium supra sthomachum ipsum ab aliquibus commendatur. Si à regresso exan-

(951.) per curam abscessus tractari requirunt (*a*) (402. ad 413).

956 Ubi scirrhum, cancrumve procreat, tum enormes illos vomitus, dolores intolerabiles, ad minima ingesta acerbatos, fixos, diuturnos, ad omnia medicamenta aspera insurgentes, excitat.

957 Solis lenibus (*b*), ad hos morbos requisitis, medelis pacatur (490. 491. 506. 507. 508. 509. 511.); raro curatur: aquæ medicatæ fontium maxime hic efficaces.

themate aut materia podagrica inflammatio nascatur applicari poterit. Ast . . Prudenter!

(*a*) »Scirrhus vomitum assumptorum, pri»mò solidorum, copiosiorum, dein verò liqui»dorum quoque et parcè ingestorum; debilita»tem, atrophiam, et tandem mortem lentam, mi»serrimam, cum fame diuturna, inducit. Tum »vero ventriculus, ponè pylorum potissimum, »est induratus, tuberosus, semicartilagineus, »ipso pyloro similiter constituto, et angustissi»mo. Palliatur malum, non sanatur.

»Frequens quoque morbus inflammatione li»cet non semper prægressa, ex causis obstruen»tibus variis, primario in ventriculum agenti»bus." Huic Aphor. ista addit Stollius.

(*b*) Si istis prudentissime usurpatis dolores augentur, abstinendum est illico. Tunc enim metuendum est, jam in cancrosam indolem degenerare scirrhum. Prosunt sapones blandi, *aquæ medicatæ* spadanæ, vel his similes, quæ mira vi solvendi concreta valent, neque interim acrimoniam magnam habent. Magna certe prudentia

958 Lienis, Pancreatis, Omenti (*a*), inflammati, suppurati, gangrænosi, scirrhosi, cancrosi, origo, natura, effectus, cognitio, prævisio, curatio, palliatio, ex iisdem dictis (914. ad 958.) hauriri possunt (*b*).

opus est dum medela fit hominibus, qui de chronicis illis abdominis doloribus à cibo asumpto exacerbatis conqueruntur.

(*a*) Viscerum horum inflammatio similis est, locus tantum diversus et situs, quibus ex anatomicis bene cognitis, et functione ex physiologicis intellecta, non est dificilis diagnosis horum morborum. Circa lienem observandum, quod intestini coli flexus lieni proximus est; hinc fœces induratæ, flatus impediti ab his fœcibus circa lienis regionem tumores et dolores facere possunt, licet nullum in liene vitium hæreat.

(*b*) »Indè quoque, simulque ex fabrica, situ, »functione intelligitur, cur ventriculi inflam»matio tam difficulter sanetur; cur vomitus, »diarrhœa, cardialgia, post variolarum licet »bonarum eruptionem perstans, tam funesti sit »ominis; cur lienitis rarior, crebrior vero ejus »obstructio lenta; quæ inde noxa, quæ medela, »et quis medelæ effectus; cur lienis inflammatio »subinde credatur, quæ tamen est hepatis, et »cur pro pleuritide nonnumquam lienitis impo»nat medico; cur lienis affectio habeatur, quæ »ad colon flatu, fœce distentum, aut inflamma»tum pertinet; quæ mala ex omenti inflamma»tione non bene resoluta, et vincula, tumores, »cum vicinis coalitum, faciente." Hæc Stollius.

APHOR. 954.

Potus leniens, &c.

R. Foliorum recentium Trifolii, Acetosæ, uncias tres.
Malvæ manipulum unum, et semis.
Avenæ integræ unciam unam.
Cum sero lactis recentis decoctis unciis duodecim adde
Vitellorum ovorum numero duo
Rob ribesiorum unciam unam.

Clysma leniens, emolliens.

R. Foliorum recentium Endiviæ,
Cichorei
Fumariæ
Malvæ
Bismalvæ, singulorum manipulum unum.
Cum sero lactis decoctas, et expressas uncias decem
Adhibe pro clysmate bis vel ter de die.

INTESTINORUM INFLAMMATIO (*a*).

959 Intestina, maxime tenuia, et frequentissime, in suis membranis acuta inflammatione (*b*), ut ventriculus, infestantur, à causis communibus inflammationis huc delatis; vel à materie acri (*c*) potus, cibi, condimenti, medicamenti, veneni, assumpta, huc delata, in plicis valvulosis retenta, hærente; tum etiam ab acri, putrida, fœtida materie purulen-

(*a*) Sauvagesius Clase III. Ord. II. Gen. XIV. *Enteritis*. Species : iliaca, colica, flatulenta, mesenterica.

Cullenius Clase I. Ord. II. Gen. XVI. *Enteritis*. Caracter : pyrexia typhodes; dolor abdominis pungens, tendens, circa umbilicum torquens, vomitus; alvus pertinaciter adstricta. Species *idiopathicæ* : phlegmonodea : iliaca : colica; erythematica. *Symptomaticæ* : flatulenta : enterocelia (*ab hernia intestinali.*)

(*b*) Inflammatio ista potest esse acuta, vel lenta : originaria, seu idiopathica : vel sympathica, seu symptomatica.

(*c*) Omnes causæ in textu propositæ *acres* debent esse. Convulsio ipsa ab acribus applicatis excitatur in fibris muscularibus intestina constituentibus. Verum quandoque et tales spasmi fiunt in intestinis ab aliis longe causis, quæ ad cognitas acrimoniæ classes reduci nullo modo possunt. In hystericis et hypochondriacis à solo

ta, ichorosa, gangrænosa, biliosa, atrabilaria, ex œsophago, stomacho, hepate, liene, pancreate, omento, huc appellente, hærente, rodente; denique ab convulsione ingente prægressa, flatus creante, motum sistente, sicque inflammationem producente.

960 Nata his locis, contrahit intestina; cavitatem claudit; transitum appulsi impedit; fistulam loco obstructo altiorem, ipsumque ventriculum immaniter inflat, extendit, dilacerat, inflammat; hinc dolorem acutissimum, ardentem, fixum, creat, perque omnem inflammatum locum extendit; convulsiones violentas, ubi appulsis irritatur, producit in diaphragmate et abdominalibus (*a*) musculis; alvum claudit; vomitum excitat ingestorum, et appulsorum, citius, tardiusve post assumptionem, prout superius, vel profundius hæsit; flatus dolentes; tormina cum borborygmis acutissima; ileum; volvulum;

motu spirituum perturbato nasci tales spasmos in visceribus æque ac aliis quibusvis corporis partibus nimis notum est. Multi homines sunt, qui pavimento lapideo frigido diu insistentes illico molesta tormina in abdomine sentiunt.

(*a*) Musculi abdominales aliquando etiam inflammantur in epigastrio, et gastritidem mentiuntur. Tumor magis elatus et gravior, atque sensibilior à contactu dolor, illud ab hac distingunt.

abscessum; gangrænam; scirrhum; cancrum; febrim acutissimam; debilitatem ex dolore acerbissimo summam; mortem citissimam, producit.

961 Quamdiu in gradu inflammatorio subsistit, doloris Iliaci nomine imponit incautis, (*a*) frigori, flatui, vento, periculo-

(*a*) *Incauti* isti ignarissimi Agirtæ sunt. Pessima gens! Quis enim alius ex symptomatibus mox propositis inflammationem adesse non agnoscet? Empirici isti frigori, spasmo, saburræ . . ista tribuentes, catarticis, vomitoriis, carminantibus, aromaticis . . . Elixiriis . . illa mitificare intendunt. Elixiria ista in manubus empiricorum nocentissima. Pereunt multi ab intestinorum inflammatione, qui forte servari potuissent, à nimia carminantium medicamentorum ingurgitatione; et cum raro contingat Medicum in his morbis vocari antequam ægri copiam similium sumpserint, facile patet quam immaniter malum augeri debeat, ubi intestinorum inflammatio talibus irritatur. Quinimo licet á solo spasmo absque inflammatione dolor abdominis oriatur, minime tutum est audacter similia sumere, quia semper periculum est nisi subito levent, quod pessime nocere possint; licet enim ab inflammatione morbus non duxerit originem, convulsionem tamen intestinorum flatus creantem inflammatio facile sequi poterit.

Adest aliquando in istis partibus inflammatio lenta, obscura, quæ dictis conjuncta solet utcumque illis augeri atque confundi. Status iste cautelam Medicorum, quantumvis sagacium etiam exigit.

so successu adscribitur, calidis tractatur, et carminantibus, eventu funestissimo.

962 Cognoscitur autem facile pro vera inflammatione ex febre acuta continua comite; siti ingente, calore magno, pulsu duro, dolore igneo, urina flammea, debilitate subitanea.

963 Si flexum Coli occupat (959.), facit Colicum dictum dolorem; si Recti intestini ultima infestat, tum pro hæmorrhoidibus cœcis haberi solet: solvitur dysenteria blanda subcruenta biliosa.

964 Simulac noscitur præsens per signa (959. 960.) in eo statu, statim maximo molimine tentanda sanatio, quæ acquiritur 1. missione larga, et repetita sanguinis, ut in pleuritide (890.) 2. assiduo injectu clysmatum(*a*) laxantium, diluentium,

(*a*) C. Celsus, si dolor aliis enematibus non quieseit jubet *etiam in alvum ex parte inferiori tres aut quator cyathos olei calidi dare.* Optimum medicamentum! Alimenta etiam per viam istam injicienda. Ob eandem causam prudens opiatorum usus in iisdem clysmatibus præcipue commendatur cum nullum ad spasmos solvendos remedium potentius opio habeatur. Verum hæc non conveniunt nisi prius sanguinis missio, et clysmata adhibita fuerint, secus enim contingere posset, ut per opiata sopito doloris sensu, causa doloris, inflammatio nempe destrueret, gangræna nata, partem affectam. Virium robur etiam requiritur; alias ægri statui, et Medici decori turpiter nocebit illa exhibitio.

antiphlogisticorum, sæpe repetitorum ad tertiam, quartam, et ultra, vicem uno die. 3. potu assiduo calido eorundem, additis prudenter opiatis, et iis, quæ causæ singulari (*a*) compertæ (959.) adversa sunt. 4. fomentis (*b*) ex similibus toti abdomini applicatis, maxime ex junioribus, vivis, validis, sanis, animalibus impositis. Atque 5. interim caute cavendo ab omni acri, impetum augente, calefaciente, potu, cibo, medicamento, motu, animi affectu; 6. tamdiu persistendo in usu horum, donec omne malum sedatum sit, nec tribus diebus redierit.

965 Si malo hoc (959. 960.) prægresso; nec debitis remediis curato; et ultra triduum semper cum vehementia persis-

(*a*) Si ab acri acido nascatur absorventia prosunt. Si à putrida materia, acescentia et acida. Decocta emolientia, oleum, jus pulli . . . generice conveniunt.

(*b*) Inter *fomenta* huic malo propria in primis hic laudatur tepor ille naturalis, qui ex vivis et sanis animalibus abdomini impositis habetur ubi simul et subtilissimum exhalans de animalis corpore balneum quasi vaporis exhibet. Calidum adhuc de recens mactati animalis abdomine evulsum *Omentum* oleo molli et penetrabili plenum, pulchrum pariter in hoc morbo remedium dat. Aræteus et Celsus laudaverunt cucurbitarum applicationem. In doloribus flatulentis abdominis præsentissimum istæ levamen adferunt.

tente, loco doloris, ardoris, distractionis, successerit horror vagus per totum corpus sine causa, obtusus cum gravitate dolor in loco, signum erit ibidem formari abscessum, unde intra quatuordecim dies eo rupto effluet pus; quod si in cava abdominis effluit, facit mala multa similia (939); si autem effluit in cava intestinorum, facit dysenteriam purulentam magnam, parvam, longam, brevem, prout ulceris ibi facti natura dabit; inde sæpe integræ intestinorum membranæ exeunt, et sæpe tabes fit.

966 Simulac id (965.) adesse noscitur, statim inhibendus omnis victus, unde stercus multum, durum, crassum, acre nascitur; æger pascendus solis jusculis cum leniter detersivis radicibus incoctis; decocta balsamica, detergentia, multum bibenda, et instar clysmatum injicienda; aut aquæ fontanæ medicatæ (*a*) larga copia bibendæ, in his pergendum usque ad perfectam sanationem.

967 Si vero morbus habuerit causas violentissimas (959.), et produxerit sævissima symptomata (960.), poterit facile in illo loco (959. 963.) producere gangræ-

(*a*) Aquæ istæ vel solæ, vel cum lacte exhiberi possunt. Frid. Hoffmannus Dissertationem scripsit *De mirabili connubio aquarum mineralium cum lacte.* Opera Medica. Tom. V. pag. 222.

nam (388.), misserrime dein letalem (*a*).

968 Quam futuram ex iisdem observatis prægressis facile prævidemus (967.), si simul nulla benignæ resolutionis (963.), vel medelæ (964.), signa apparuerint.

969 Eam fieri docent signa prægressa (968.), tum subita, et sine causa, remissio acerrimi doloris, manente pulsu debili, intermittente, sudore frigido, dysenteria fœtida, cinericea, ichorosa, livida, nigra, fœcum sine sensu demissione; unde brevi placida mors.

970 Malum id, eousque provectum, raro (*b*) medelam capit; curandum prius; cæterum sola methodus (966.) prodest.

971 At si causæ (392.) hic scirrhum produxerint, longe alia mali idea nascitur, quæ clare certe pernoscenda.

972 Ergo, si in intestinis dictis (392. 963.) inflammatio cum conditionibus (291.); diu perdurans, nec in summam sævi-

(*a*) Finis iste funestus certo, citoque aderit si inflammatio fuerit erysipelatosa, erysipelate præprimis bullato.

(*b*) Aliquando extrorsum patet via puri gangrænoso et manui chirurgi datur aditus ut artificiosa pateat excrementis via. Aliquando cortice peruviano gangræna sistitur. Verum licèt ita impediatur gangrænæ progressus, et separatio bona sequatur, tamen eadem dificultas manet nisi post separationem factam continuitas tubi intestinalis adhuc supersit.

tiem (960.) adscendens, nec resolutione (963.), nec medicamentis (964.), nec suppuratione (965.) soluta, deinde reliquerit in loco affecto stuporem, gravitatem, distractionem, constantem, cogitandum est, scirrhum ibi nasci.

973 Qui si naturam suam (392.) sequens, effectusque suos (486.) producens in hoc loco (959. 963.) multa, gravia, pertinacia mala producit; qualia in primis: stupor, pondus, incrementum; assiduo aucta; hinc cavitatis intestinalis angustatio; fœcum ibi et chyli stagnatio; horum in locum resistentem actio, maxime putrida, ob moram, materie; hinc intestini occlusio; intorsio; ingestorum remora; Ileus, volvulus; vel ab acri irritante dysenteria (*a*) siccior convulsio; singultus; vomitus: dolor assiduus; febris, macies; atrophia; mors.

974 Medicamenta parum valent, quæcunque demum sint: victus sit (966). Sic fertur diu, sine magno malo.

975 Si autem scirrhus ille hoc loco conceptus per causas (492. 495.), signis (497. 498.) cognoscitur, tum vero miserrimus rerum status, et immedicabilis cernitur: qui intelligi potest ex (498.) collatis cum natura, functione; nervosa textura

(*a*) De Dyssenteria, Ileo, Colico dolore in APPENDICE tractabitur.

intestini: maxime autem dysenteria acerrima, assidua, rebellis, cuncta, per quæ vadit, exurens, erodens, consumens, cum convulsionibus accerrimis; doloribus omni patientia majoribus, fixis, diuturnis, donec tandem mors unico sit miseriæ solatio.

976 Si simulac scirrhi præsentia noscitur (972.) tractatur methodo (974), hoc malum (975.) multum cavetur. Sed si, ad id superandum acria (490. N. 3. 495. 502.) applicata imprudenter, maxime per valida purgantia, tum cancer illic oritur, sævitque: tum autem potus ex solo lactis recentis sero; victus ex jusculis farinosis, carnosisve solis cum vitellis ovi; clysmata blandissima ex solo decocto seminum lini, foliorum solani officinarum, vel capitum papaveris albi injicienda; medicamenta summopere demulcentia, anodyna, leniter opiata, non facile in acre transeuntia, danda.

977 Hinc demum liquet, cur practicis toties occurrant dolores œsophagi, oris ventriculi, hepatis, lienis, pancreatis, intestini Ilei, intestini Coli, adeo sævi, fixi, pertinaces, intolerabiles, insuperabiles? quod in omni Ileo vero sit semper causa physica transitum contentorum per intestinum absolute impediens, quæcunque demum hæc fuerit, sive in ipsa scilicet intestini fabrica male affecta, sive in materie quadam cavum occupante, quæ multi-

plex quidem deprehensa fuit? (*a*) item quam sit multiplex, miraque omni modo, dysenteria; quam male in hujusmodi malis sæpe accusetur acrimonia quædam hectica humorum singularis, et contra eam fictam dentur nocentia medicamenta? quanta sit prudentia opus Medico daturo purgans (*b*) in magno dolore illarum partium? quænam sæpe sit illa post hæc in nonnullis sequens, immedicabilis hypercatharsis? quam varia remedia, et methodus medendi requirantur ad dysenterias curandas? quam vanum, fallax, et damnosum sit, ad has commendare unum, qualecumque demum sit, medicamentum proprium? aut unam universalem (*c*) medendi methodum? Et infinita similia.

(*a*) »Sive in parte quadam vicina, intestinum »præmente, stringente: an et quando frigida, »potu, epithemate, enemate, balneo, affusione, »frictione adhibita in ileo, bonum, quando ve»ro letale." Hæc Stollius.

(*b*) Emeticum, carminans, narcoticum eandem prudentiam in Medico exigunt.

(*c*) Dysenteria à causis variis producta variam medendi methodum requirit. *Unicum medicamentum* illis omnibus adaptare agirtæ, empirici, andabatæ . . insania est; non Medici.

APHOR. 996.

Victus Medicamentosus.

R. Radicis Scorzoneræ
Tragopogonis
Sisari
Petroselini
Cichorei singularum uncias duas.
Cum jure carnis secundum artem decoctis ad uncias triginta
Jusculo admisce
Vitellorum ovorum numero duo,
Salis quod sufficiat.

Decoctum balsamicum detergens.

R. Radicis valerianæ hortensis uncias duas,
Foliorum levistici manipulos duos,
Florum hyperici manipulum unum,
Agrimoniæ uncias duas.
Cum aqua decoctas libras duas exhibe.
Bibat uncias duas omni hora.
Ex eodem etiam fit clysma.

APHTHÆ. (a)

978 Quum vero in multis morbis acutis cum visceribus inflammatis Aphthæ (b) oriantur, de his nunc paucis agendum.

979 Sunt autem parva, rotunda, superficiaria, ulcuscula (c), os internum occupantia.

(a) Sauvagesius Clase III. Ordine I. Gen. IX. *Aptha*. Species : lactucimen, febrilis, maligna, syphilitica, scorbutica.

Cullenius Clase I. Ordine III. Gen. XXXV. *Aphta*. Caracter : lingua tumida ; linguæ et faucium color purpurascens ; escharæ in faucibus et ad linguæ margines primum comparentes, os internum totum demum occupantes, albidæ, aliquando discretæ, sæpe coalescentes, abrasæ cito renascentes, et incerto tempore manentes. Species : Aphtha Boerhaavii, febris aphthosa Vogelii. Idiopathica unica Aphtha infantum.

(b) Veteres Medici aphthas agnoverunt præsertim idiopathicas quales sunt infantiles, quæ benignæ, vel malignæ observabantur. Hippocrates in pulmonis fistula, in ore, in pudendis descripsit. Boerhaavius videtur hic agere de aphthis symptomaticis, morbis acutis supervenientibus. Tamen revera aphthæ idiopathicæ observantur.

(c) Aphthæ proprie loquendo ulcuscula non sunt, sed pustularum in morem supra superficiem partium oris interni elevantur, et dum separatæ decidunt integram omnino partem, cui adnæserunt relinquunt. Optime hoc notavit Vin-

980 Quæ examinata accurate videntur esse ultimi emissarii, quo in os liquor secretus effunditur salivosus, mucosusque, exulcerationes factæ ex obturatione ejus canalis extremi per humorem lentum, viscidumque eo delatum.

981 Hinc occupant omnia loca, ubi talia emissaria hiant; adeoque labia, gingivas, genas internas, linguam, palatum, fauces, tonsillas, uvulam, gulam, stomachum, intestina tenuia, ubique fere eadem specie.

982 Gentibus Borealibus (*a*), paludosa loca inhabitantibus, tempestate calida, pluviosa, infantibus, senibusque, frequentes.

983 Solent autem Aphthas in ore apparituras præcedere febris continua putrida (*b*), aut intermittens, continua facta; incipiens cum diarrhœa, vel dysenteria; magna et perpetua nausea, vomitus,

centius Ketelaer, qui in uliginosis Zelandiæ locis praxim Medicam exercens frequentissimas ibi in morbis aphthas viderat, et brevem, sed optimum commentarium *De aphthis* conscripsit. Cl. Penrose de his etiam ex professo egit.

(*a*) In calidioribus regionibus vel omnino non, vel rarissime occurrunt aphthæ. In istis corporum habitus rarior est, et ad sudores magis comparatus, hinc morbus iste per hos sæpe diflatur.

(*b*) Febris ista sæpe biliosa, atrabiliaria est, sæpius bilioso-putrida observatur.

prostratus appetitus ; anxietas ingens, sæpe repetens circa præcordia ; debilitas magna ; evacuatio quæcumque humorum ; stupor et hebetudo, somnolentia levis, inæqualis, perpetua ; perpetua querela de pondere et dolore circa stomachum.

984 Solet in initio aliquando hinc inde sparsa apparere solitaria pustula, jam primo in lingua, in labiorum angulis, in faucibus, et alibi, sine ulla certa constantia loci primi : et illæ fere semper boni genii : aliquando primo apparent in imis faucibus adscendente quasi ex œsophago crusta alba, densa, splendente, instar recentis lardi, tenacissime adhærente, lente adscendente : atque hæ fere pessimæ, et ut plurimum certo letales : aliquando duris, crasis, densis, tenacibus crustis totum cavum oris ubique, usque ad extrema labiorum, obsident, omnia tegentes simul ; et ab his raro resurgunt ægri.

985 Varius harum color : albus pellucidus instar margaritarum ; albus sincerus ex densitate magna ; fuscus ; flavus ; lividus ; niger : quorum malignitas pari ordine, ac hic recensetur, procedit, ut prior optimus, pessimus posterior sit.

986 Ubi hæserunt aliquamdiu, solent inferne solvi, laxari, frustulatim decidere, sicque sensim, et successive omnes partes prius affectæ liberantur. Tum nonnullæ cadunt cito, aliæ tarde. Quædam illico re-

nascuntur, quædam tarde, aliæ non: renascuntur quandoque æque densæ ac priores, et etiam nonnumquam adhuc densiores: patetque iterum tum diversitas periculi, et ubi.

987 Hic locus (981.) natura (979. 980), causa (980. 983.), symptomata hujus mali (984. ad 987.), unde de genio statuere licet; atque inde effectus ejus facile deduci possunt.

988 Ubi enim talis crusta aphthosa totam superficiem tegit partium descriptarum (981.), tum sensum nervis imprimendum tollit, unde sapor omnis sublatus; exitum liquidorum per sua emissaria impedit, unde siccitas, vasorum supposito rum dilatatio, liquorum sub his stagnantium putrefactio, inflammatio partium ipsarum; cavitates vasorum absorbentium claudit, unde ingressum novi chyli, potus, medicamentorum impedit, vitia à denegata refectione corporis nata producit, unde tandem inde mors; crustis deciduis, major per dilatata vasa jam aperta humorum effluxus, unde salivatio; diarrhœa, quæ bonæ si non renascuntur aphthosæ crustæ; malæ, si iterum procreantur; deciduis crustis, dolor inflammatarum, et jam denudatarum partium, sæpe vivum cruorem stillantium, unde saliva sanguinolenta, talisque dysenteria; hæc autem omnia, si stomacho, emissario he-

patis, pancreatis, intestinorum applicantur, nos docent infinita mala, quæ ex hoc uno morbo oriri possunt: ut non opus sit aliam prognosin dicere.

989 Si vero ulcerosæ crustæ hæ admodum lentæ, crassæ, latæ, compactæ, tum sæpe suffocata caro subjecta inflammata, suppurata, gangrænosa, in dira ulcera mutatur, eroso quandoque in os palati usque ejus involucro; qualia autem in stomacho et intestinis hinc mala, per se patet.

990 Ut curetur optime hoc malum, debet 1. humorum vitalium impulsus internus in partes obsessas excitari, temperari, ut suppeditato liquido inferne resolutio, laxatio, lapsus concilietur crustæ ulcerosæ: id efficitur potu multo, calido, diluente, resolvente, abstergente (*a*). Et quia in mala specie hujus morbi vasa lactea obsessa introitum facilem negant, hinc fomenta, vapores, balnea mirifici hic usus ex eisdem; cibus autem optimus ex aqua, pane, coctis, dein vino et melle mistis.

(*a*) Ea, quæ hanc expulsionem materiæ morbosæ juvare possunt exhibenda. Hoc in primis ideo notandum est quia quandoque minus periti veterum aphthas, ad quarum curam adstringentia laudabantur, cum aphthis morbos acutos sequentibus confuderunt, et refrigerantibus, atque adstringentibus curam moliti sunt magno cum ægrotantium damno.

2. debet crusta in facilem citumque lapsum disponi: id fit fomento, gargarismo, clysmate: quæ liquore calido laxante, emolliente, detergente, et satis diu adhærendo humectante, putrefactioni (*a*) resistente, constare debent. 3. simulac lapsus conciliatus est, tum anodyno, demulcente, et simul parum corroborante medicamento simili utendum. 4. simulac rursum febris sedata, urina hypostatica, pulsus paulo liberior, tum potus corroborans prodest. 5. in fine mali purgans corroborans per alvum exhibendum.

991 Ex hac historia et curatione aphtharum multa obscura problemata practica solvuntur. Cur enim in febre cum diarrhoea et dysenteria (*b*) in fine morbi aphtæ? Cur id in pueris, senibusque in primis? Cur maxime, si medicamenta, victus, regimen, calefacientia, aut adstringentia, in initio morbi hujus data? Cur si in talis

(*a*) Aphthæ aliquando in gangrænam tendunt (989.) Cortex peruvianus internè sumendus. Hujus tinctura spiritu nitri dulcis sociata aplicanda, Cortex iste in aphthis febrem epidemicam remitentem, seu intermittentem subsequentibus utilissimus. Purgantia in fine mali prudenter exhibenda. Mirobalani minori dosi quam in materia medica præscribuntur possunt esse utiles.

(*b*) Videtur in primis hæc esse ratio quod liquidissima subducta fuerint de corpore copiosis illis evacuationibus, adeoque humores residui

morbi initio purgans datur aphthæ hujusmodi præcaventur? Cur in pessimis aphthis molestus et funestus singultus? Cur ora aphthosa, ventres turbati, appetitus prostrati junguntur ab Hippocrate? Cur aphthosa tunica ventriculi lienteriam creat? Cur aphtæ nigræ pestiferæ habentur? Cur aphthosum os gravidæ abortus prænuncium? Cur in putridis pulmonibus, hepate, &c. Aphthæ adsunt? Cur tumor, calor, suffocatio, angina ab aphthis refrigeratis? Cur deliria, jactationes, pervigilia, sudor frigidus, adeo hic funesta?

992 Regula ergo est: aphthæ pellucidæ, albæ, tenues, sparsæ, molles, facile cadentes, parum renascentes, superficiariæ, bonæ; contra vero, candidissime opacæ, flavæ, fuscæ, nigræ, densæ, crassæ, coëuntes, duræ, tenaces, assiduo refectæ, erodentes, malæ.

magis viscidi facile in vasis illis extremis hærere possint, et aphthas producere. Peculiaris morbi indoles ad hoc multum facit. *Purgans* in initio morbi in aphthas propendentis, illas poterit præcavere. Tunc enim acer ille stimulus expellitur, qui et dysenteriæ, et febris sequentis, vel comitantis illam causa est. Hoc Medici prudentiam, et consumatam praxim expostulat. *Singultus* in pricipio morbi aphthosi funestus est. Ille autem singultus, qui deciduis jam aphthis fit, molestus quidem est, sed raro perniciosus. Reliqua facile percipiuntur. Dubitari potest num sit morbus iste contagiosus?

APHOR. 990. Num. 1.

Potus emolliens, leniens.

R. Amygdalarum dulcium excorticarum contusarum uncias duas,
Pistachiorum unciam unam,
Seminum quatuor frigidorum majorum, minorum contusorum singulorum drachmas duas.
Avenæ excorticatæ drachmas tres.
Cum aqua vase clauso decoque spatio unius horæ, tum adde
Radicis excorticatæ glycirrhizæ unciam unam.
Ebulliant denuo parum, tum decocti accurate contriti libras duas exhibe.
Hoc bibat, fauces eo colluat, et os.

Vel.

Decoctum magis aperiens, et abstergens.

R. Radicis Pastinacæ tenuifoliæ rubræ
Sisari Raparum, singula-
Chinæ rum uncias qua-
Sarsaparrillæ tuor.
Hordei integri unciam unam.
Minutim contusa cum aqua decocta, et fortiter expresa.
Unciis triginta admisce

Syrupi altheæ unciam unam.
In usus eosdem.

Succus diluens, resolvens, abstergens.

R. Bulborum raparum cum cortice quod sufficiat.
Tyrocnesti, vel radula, ex bractea ferrata, radantur; tum exprimatur succus, qui ebulliens leniter despumetur; hujus unciis sexdecim admisce
Vitellorum ovorum numero duo
Syrupi violarum drachmas quatuor.
Bibat unciam semis omni semihora.

Cibi optimi.

Vid. Aph. 35. Num. 1. 3.

APHOR. 990. Num. 2.

Decoctum emllioens, detergens.

R. Foliorum malvæ,
Brancæ ursinæ, Mercurialis,
Altheæ, Alchimillæ, singulorum uncias
Parietariæ, duas.
Verbasci,
Radicis altheæ unciam unam
Bulborum raparum uncias decem.
Cum aqua decoctis, et expresis unciis triginta sex admisce
Vitellorum ovorum numero quatuor.
Mellis rosarum uncias duas.

Fiat collutorium semper in ore tenendum, et gargarisma assiduum.

Ex fœce ressidua fiat cataplasma, externe faucibus applicandum.

Clysma ex iisdem.

APHOR. 990. Num. 3.

Mixtura emolliens, anodyna, parum roborans.

R. Syrupi papaveris albi uncias duas.
Cremoris lactis dulcis drachmas duas.
Vitellorum ovorum numero duo.
Aquæ stillatæ rosarum uncias duas.
Misce. Hujus pauxilum ore assiduo contineat.

Vel.

R. Gelatinæ cornu cervi, aut carnis bene spissæ in frustra concissæ parum; quod suficiat.
Assidue imponatur linguæ, ut soluta ibi obliniat, et sic lente deglutiatur.
Hæc leniunt excoriata.

Decoctum in aphthis deciduis resolvens, corroborans.

R. Decocti foliorum recentium agrimoniæ uncias septem.
Mellis rosarum unciam unam.
Misce. In eosdem usus.
Hoc laxata roborat.

APHOR. 990. Num. 4.

Decoctum post aphthas, adstringens magis roborans.

R. Radicis oxylapathi unciam unam,
Corticis peruviani,
Tamarisci, singulorum drachmas sex.
Foliorum agrimoniæ manipulum unum.
Cum aqua decocta libra una, et semis admisce
Syrupi kermes unciam unam.
Bibat unciam semis omni hora.
Hoc intestinorum laxata vascula roborat.

APHOR. 990. Num. 5.

Haustus purgans, et simul post operationem roborans.

R. Rhei drachmam unam et semis,
* Myrobalani citrini sine nucleis unciam unam et semis.
Cum aqua decoctis, et expresis unciis tribus admisce
Syrupi cichorei cum rheo drachmas duodecim.
Fiat Haustus.

NEPHRITIS (*a*).

993 Ipsos Renes vera inflammatione (*b*) occupari scimus ex dolore ardente, pungente, magno, inflammatorio loci ubi Renes siti sunt; ex febre acuta, continua concomitante; ex urina pauca, sæpe parva copia emissa, admodum rubra et flammea, vel in summo malo, aquosa; stupore cruris vicini; dolore inguinis, testisque vicini; dolore iliaco; vomitu bilis; ructu assiduo.

994 Hanc (993.) producunt omnes causæ generales inflammationis renibus

(*a*) Sauvagesius Clase III. Ordine III. Genere XXIV. *Nephritis.* Species: vera: calculosa.

Cullenius Clase I. Ordin. II. Gener. XIX. *Nephritis.* Caracter: pyrexia, dolor in regione renis sæpe ureteris iter sequens; mictio frequens urinæ vel tenuioris, vel decoloris, vel ruberrimæ; vomitus; cruris stupor; testiculi ejusdem lateris retractio aut dolor. Species. Idiopatica: *Vera.* Symptomatica: *calculosa.*

(*b*) Renes *nephroi* græce nominati, ob viciniam cordis, et magnitudinem arteriæ emulgentis, quæ renem ingressa statim in minimos ramos dividitur valdè impetui sanguinis, expositi facile inflammantur. Febris acuta istam à dolore, qui *nephralgia* dicitur, distinguit. Hæc varias habet species, inter quas, hæmorrhoidalis, hysterica, rheumatica, quæ *lumbago* etiam nominatur, sunt præcipuæ.

applicatæ; adeoque 1. quidquid fines arteriæ ad transmittendum impedit, vulnus, contusio, abscessus, tumor, decubitus diuturnus, nixus corporis validus, lapillus. 2. quidquid urinam in pelvim, ureterem, vesicam transire impedit, ut similes causæ, ac mox enarratæ, applicatæ his partibus. 3. quæ crassiora sanguinis vi adigunt in canales urinosos, ut cursus, equitatio diuturna et vehemens, æstus, nixus, plethora, diuretica acria, venena. 4. spasmodica (*a*) omnium illorum vasculorum diu permanens contractio.

995 Si summa inflammatio hæc vascula occupat, ita sæpe stringuntur, ut nihil reddatur lotii: aliquando ut valde parum, pellucidum, tenue, aquosum, quod pessimum. Irritatis sæpe nervis (*b*) cohæren-

(*a*) Hystericæ mulieres, et viri hypochondriaci huic malo sunt obnoxii. In his renalia vasa adeo constringi per spasmum possunt, ut solitos humores transmittere nequeant.

Monialis hysterica post ventris dolores, motus convulsivos, et inflationes, incidisse fertur in urinæ suppressionem, illamque postea urinam evomuise per quadraginta dies et ultra; et toto hoc tempore nullam emingebat urinam, nisi unciam circiter quotidie, quæ cathetere in vesicam immisso educebatur (Academ. des Sciences. An. 1715.)

(*b*) A renibus inflammatis varia symptomata quandoque producuntur in aliis partibus corporis licet causa mali in solis renibus hæreat, atque

tibus, et vicinis, dolores et convulsiones facit per stomachum, mesenterium, intestina, ureteres; unde ructus, nausea, vomitus, dejectiones alvi, ileus, urina intercepta, crurum stupor, horum immobilitas, lumborum ardor.

996 Sanatur bonitate naturæ, et morbi, 1. per resolutionem. 2. urina (*a*) copiosa, ruffa, crassa, continuato fluore reddita ante diem morbi septimum, aut ad summum quartumdecimum. 3. Hæmorrhoidibus inito morbi large fluentibus. (*b*)

ideo sæpe turbari diagnosim hujus morbi cum tot aliæ partes in suis functionibus lædantur. Quandoque post symptomata, quæ renes, aut vesicam laborare docent sequitur colicus dolor, et etiam ileus, qui frequenter letalis est, ut videtur indicare Hippocrates dicens: *quibus ex stranguria volvulus succedit intra septem dies intereunt, nisi oborta febre copiosa urina efluat.* (VI. Aph. 44.)

(*a*) Vidit van-Swietenius in nephritide inflammatoria optimo cum eventu excretam urinam crassam, fuscam, potum *caffe* dilutiorem referentem, qualis urina in aliis morbis non adeo boni ominis esset.

(*b*) Per *hæmorrhoides* morbus iste etiam sanatur, his enim large fluentibus, et copia, et impetus sanguinis à renibus derivantur. Minuitur enim resistentia sanguini, qui per viscera abdominalia movetur, adeoque per cœliacam et utramque mesentericam transibit majori copia, sicque minus urgebuntur renes. Sanguisugæ ano applicatæ utiles, si non sponte fluunt.

997 Sanatur, ubi in statu inflammationis per sua signa noscitur (993. 995.) 1. per remedia generalia omni inflammationi sanandæ propria, venæ sectionem, avulsionem, dilutionem. 2. decocta lenia, emollientia, antiphlogistica magna copia ingesta. 3. Clysmata, fomenta, balnea ex iisdem constantia. 4. victu humido, leni, quiete, vitatione lecti (*a*) calidi, in primis autem decubitus in dorso.

998 Si nimia symptomata doloris, vel convulsionis urgent, opiata (*b*) prosunt.

999 Vomitum autem nimium, morbi symptoma, sæpe ingestu tepidæ mellitæ juvare prodest.

1000 Atque hac sola methodo tuto curatur ipsa nephritis à calculo renibus, ureteribusve impacto orta.

1001 Si causæ nephritidis magnæ, nec malum resolvitur (996.), nec sanatur (997.), sed excurrit ultra septimum diem, abscessus metuendus; quem fieri, docet remissio doloris, ejus in pulsationem mutatio,

(*a*) In morbis inflammatoriis hoc maxime commendabat Sydenhaamus. In nephritide magis necessarium hoc est, quoniam dorsum calescit; et in situ corporis supino à mole viscerum incumbentium renes comprimuntur.

(*b*) Hæc doloris sensum tollunt non hujus causam, nisi spasmodica tantum fuerit. Per clysteres tutius applicanda *opiata*.

horror sæpe recurrens, gravitas, stuporque partis; jam factum esse docet prægressus priorum, tum pulsus, ardor, tensio in loco, urina purulenta, fœtida, instar urinæ salsæ putrefactæ: simulac abscessus ille factus scitur, utendum valde maturantibus primo et emollientibus, dein purulenta apparente urina (*a*), diureticis puris ex aquis medicatis, sero lactis, similibusque, usurpatis simul balsamicis.

1002 Si vero suppuratio illa (1001.) diu durat, totus ren exesus saccum format, nulli usui servientem: tumque frequenter tabes renalis adest.

1003 Si scirrhum hic format, paralysis (*b*), vel claudicatio cruris suppositi oritur, immedicabile malum: unde sæpe lenta tabes, hydrops &c.

(*a*) Quandoque pus in aliis locis corporis collectum, venis resorptum, per urinæ vias exit. *Aquæ medicatæ*, quæ loco ferri soluti parcam copiam salis blandi et detergentis continent valde utiles, in primis si æqua lactis copia addatur. *Balsamica* blandiora usurpanda. Terebinthinæ gummosa pars à resinosa separata præferenda. Aliquando pus in rene collectum versus exteriora dirigitur. Hippocrates (de internis affectionibus vers. 334..) *Nephrotomiam* consulit. An imitandus? Videantur Prosper Marcianus, et Joannes Martinus in istum locum VENERANDI SENIS.

(*b*) Renes scirrhosi in primis si mole nimis aucta fuerint simul musculos psoas et quosdam nervos ad artus inferiores ex medulla spinali

1004 Si autem parva copia materiæ inflammatæ coagulata in folliculo urinæ minimo hæserit, basin format, cui apposita sabuli in urina materies crustatim accrescens calculum renalem creët, sicque eundem augeat : de quo postea.

1005 Quin etiam aliquando in gangrænam transit, quod docet vehementia causæ (994.), symptomatum (995.), absentia levaminis per remedia (997.), et subita remissio doloris sine causa, cum sudore frigido, pulsu debili, intermittente, singultu, urina vel nulla, vel livida, nigra, capillosa, fœtente, carunculis fuscis, nigrisve fœda, defectu virium subito, summo : ubi nihil juvat, vel medicina (902).

1006 Hinc patet, infinitas esse nephritidis species (*a*), causasque : et inter eas unam à calculo ; tamen esse omnium ferme eandem curationem. Cur in febribus toties nephritis (993.), ejusque crisis (996.)? Imo et inde Ischuria vitio renum, vel ureterum orta intelligitur, sanatur.

tendentes comprimere, illorumqne actiones turbare possunt, paresi tantum ; non vera paralysi.

(*a*) Inter *indefinitas* nephritidis species à van-Swietenio proponuntur inflammatoria, suppuratoria, scirrhosa, spasmodica, *verminosa*.. et hujus duo exempla ex Tulpio citat.

APHOR. 997. Num. 1.

Decoctum antiphlogisticum, leniens aperiens.

R. Foliorum recentium chærophylli
Becabungæ
Parietariæ singulorum manipulos duos.
Radicis acetosellæ
Cichorei
Bardanæ singularum uncias duas.
Cicerum rubrorum unciam unam, et semis.
Seminum contusorum papaveris albi,
Cardui mariæ, singulorum drachmas sex.
Cum aqua decoctas spatio dimidiæ horæ libras tres exhibe.
Capiat uncias duas omni quarta parte horæ

Similis.

R. Radicis graminis unciam unam
Seminum contusorum melonum unciam unam, et semis.
Glycirrhizæ unciam unam.
Cum aqua decoctas libras tres exhibe
In eosdem usus.

APHOR. 1000.

Remedia hic propia.

Agrimonia
Alcea
Alchimilla
Althea
Becabunga
Bellis minor
Bugula
Chærophyllum
Daucus sylvestris
Dens Leonis
Fœniculum
Fraga
Glychyrrhiza
Gramen
Herniaria
Lactuca
Lingua cervina
Mercurialis
Nummularia
Nymphæa
Ononis
Parietaria
* Persicaria
Scabiosa
Virga aurea
Urtica.

Syrupi Altheæ Fernelii
Capillorum veneris
Cichorei cum rheo
Papaveris albi
Erratici
Violaceus
Sal Ammoniacus
Gemmæ
Marinus.

APOPLEXIA. (*a*)

1007 Summma velocitas, nexus sæpe cum inflammatione, fœcunditas multorum inde pendentium (*b*) malorum, requirit, ut ordine nunc de Apoplexia agatur.

1008 Quæ tunc dicitur adesse, quando repente actio quinque sensuum externorum, tum internorum, omnesque motus voluntarii abolentur, superstite pulsu plerumque forti, et respiratione difficili, magna, stertente, una cum imagine (*c*) profundi perpetuique somni.

(*a*) Sauvagesius Clase VI. Ord. V. Gen. 30. *Apoplexia.* Species: sanguinea, traumatica, temulenta, hysterica, arthritica, exanthematica, pituitosa, epileptica, febrilis, suspiriosa.

Cullenius Clase I. Ordin. IV. Gen. 42. *Apoplegia.* Caracter; motus voluntarii fere omnes imminuti cum sopore plus minus profundo, superstite motu cordis et arteriarum. Species: sanguinea, serosa, seu pituitosa, hydrocephalica, atrabiliaria, venenata, mentalis (à pathemate mentis) sufocata, metastatica, verminosa, ischuriosa.

(*b*) Cognita debet esse apoplexiæ historia, antequam de Paralysi, Epilepsia, Catalepsi, Caro agatur; cum illi morbi apoplexiam sequantur sæpius; quandoque et præcedant, et sæpe à similibus omnino causis producantur.

(*c*) Diuturna vigilia, defatigatio, ebrietas.. somnum naturalem quamvis profundum producunt: iisdem à *sopore* distinctum.

1009 Accuratissima et multiplex valde observatio docuit, hunc morbum accidisse, quoties illæ prægressæ essent causæ, quæ potuerunt impedire integrè, vel multum (*a*), effluxum liquidi cerebrosi spirituosi in organa sensuum, motuumque voluntariorum, et vicissim hujus refluxum ab his organis in ipsum sensorium commune; superstite interim cerebellosi (*b*) liquoris in cor, et naturalia respirationis organa, itu, et forsan reditu aliquo, qui ad has functiones sustinendas quodammodo sufficiat.

1010 Quæ causæ omnes recensitæ ab observatoribus in aliquas classes redigi possunt in commoda Praxios.

1. Nativa corporis fabrica, Caput magnum; Collum breve (*c*), et sæpe sex modo vertebris extructum; Corpus valde cras-

(*a*) Causæ omnes multum comprimentes originem nervorum, vel integre destruentes mobilitatem potentiæ nervosæ hunc morbum faciunt.

(*b*) Observationes aliquæ docuerunt, cerebello læso pulsum et respirationem satis bonam mansisse. Hinc cerebello soli vitalium motuum origo non potest adscribi. Hæc van-Swiet.

(*c*) 1. Sanguis per magnos satis ramos recto fere decursu ex corde ad caput fertur: et ita quo brevius iter major est impetus (vid. Inst. medic. §. 235.) In *obesis* omnia vasa corporis comprimuntur pinguedine accumulata; in cranio tamen nulla fere pinguedo observatur, hinc facilis in hac parte vasorum dilatatio, atque compresio.

sum et pingue, Temperies plethorica, cachochymia pituitosa multum excellens.

2. Quæcunque sanguinem, lympham, materiem spirituum ita mutant, ut per arterias cerebri libere ire non possint; sed impacta hæreant: talia sunt sæpe *a* polyposæ in carotidibus, vertebralibusque arteriis concretiones, sive circa cor primo, sive intra ipsum cranium factæ; quæ cordis palpitatione, pulsu inæquali, vertigine, scotomia, frequentioribus, et ad auctum motum caloremve, increscentibus, se manifestant. *b.* spissitudo inflammatoria cruoris; quam docent febris acuta continua, phrenitis, dolor capitis ingens, inflammatorius, diu prægressa; tum omnia signa, quæ oriuntur à sanguine, qui impeditus ire per vasa cerebri, eo majore copia, et impetu per ramos carotidis alios ruit, unde rubor, tumor, inflammatio oculorum, cum lachrymis excussis, faciei, et colli. *c.* crassa, glutinosa, pituitosa iners sanguinis totius natura; unde senibus, catarrhosis, frigidis, humidis,

In *plethoricis* cortex ipse cerebri, in quo sanguis ruber non invenitur isto impletur: hinc hujus partis dilatatio atque aliàs compresio.

2. Hic recensentur humorum vitia, quæ sunt vel spissitudo inflammatoria, vel pituitosus lentor, vel polyposæ concretiones. Illa frequentissima: ista rarius observantur.

pallidis, leucophlegmaticis, hic morbus admodum familiaris; quin et præsagitur iis futurus jam ante adventum suum, per otia, hebetudines, somnolentiam, pigritiam ad motus quoscunque, vocem solito tardiorem, tremores, stertores, incubos, oculos pallidos, turgidos, humentes, caliginosos, vomitum pituitæ frequentem, vertigines, respirationem ad minimos motus anhelosam, cum narium pinnis compressis, omnes causæ, unde glutinosum iners fit, accumulatur (69. ad 75).

3. Quæcunque arterias ipsas, vasave nervosa cerebri ita comprimunt, ut cruor, spiritusque, transfluere non possint. *a.* plethora (*a*), cacochymia replens, calida valde temperies, hinc obnoxia huic malo, maxime si motus, calorve ingens velocitatem adauxerint; hinc his accidere solet à lauto valde cibo, potu, medicamentis acribus et valde moventibus, ut sunt cardiaca, volatilia, vomitoria, &c; æstu, motuque exorbitantibus, intentione animi summa, diuturna, sæpe repetita. *b.* tumores quicunque intra cranium nati, inflammatorii, abscessus, serosi, pituitosi, steatoma-

(*a*) Plethora ista potest adesse in arteriis, vel in venis ipsius cerebri, et apoplexiam *sanguineam* facere. Si ex his vasis ita compressis exudat serosus humor apoplexia *serosa* fiet, à præcedenti tamen serosa-pituitosa (2. *c.*) diversa.

tosi, scirrhosi, ossei, vel arterias, vel venarum coitum circa torcular, vel nervorum initia medullosa comprimentes, aut medullam cerebri ipsam. *c.* nimia velocitas cruoris in caput determinata, dum per inferiora arteriosa vasa impeditum iter per quascunque ex infinitis causas. *d.* quæ extra cranium venas cerebri sanguinem referentes comprimunt rursum quacunque causa. *e.* effusi humores sanguinei, purulenti, ichorosi, lymphatici, supra duram piamve matrem externe comprimentes.

4. Omnia, quæ arteriosa, venosa, lymphatica vasa interioris cerebri, circa cavitates ita solvunt, ut exeuns liquor aggestus, compressu suo fornicatas cerebrosorum nervorum origines lædat. Talia sunt, serum acre in hydropicis, leucophlegmacisque; sanguis in plethoricis; acrimonia atrabilaria in melancholicis, scorbuticis, podagricis; quæ vulgaris causa intra 40 et sexagesimum ætatis annum agens; quæ omnia latentia per causas moventes excitata, sæpe subito morbum hunc creant. Hujus ergo prænuncia ex natura materiæ prius natæ, et cognitis causis excitantibus, peti debent. Maxime his animi affectus

4. *Animi affectus*, metus v. gr. terror fibras musculosas vasorum constringunt, respirationem accurtant: hinc apoplexiam facere possunt.

summi, et intensissima studia nocent.

5. Huc venena quædam referuntur, quæ tamen vel ex vi trium ultimarum causarum (N. 2. 3. 4.) agunt, vel potius pulmoni prius, quam cerebro nocent.

1011 Causas has (1010.) docuit Anatomica inspectio cadaverum apoplexia extinctorum, atque observatio historica eorum, quæ in ipsa horum ægrorum curatione observari possunt: meditatio autem facile in dictas (1010.) classes ordinat, curationi inveniendæ quam aptissimas.

1012 Ex iisdem constat à diversis et oppositis quidem causis, morbum hunc sæpe produci; adeoque bene dividi in sanguineam et pituitosam; sed non perfecta divisione, quum et serosa, et atrabiliaria, et polyposa sit, et alia.

1013 Locus vero affectus in apoplexia exquisita est totum sensorium commune; in parapoplexia vero ejus quædam pars

5. *Venena* apoplexiam producentia sunt aer mephyticus, halitus fermentantis liquidi, carbonum, mercurii, plumbi vapores, opium, frigus, electricitas, pathemata. Spiritus sulphuris, nitri, salis marini . . dum halitus forma una cum aere hauriuntur pulmonem constringendo subitam mortem inducunt; adeoque pulmoni potius quam cerebro nocent. An omnia ista systemati nervoso potius, quam vasculari nocent? Quomodocumque sit ista omnia deleterea sunt.

præ cæteris, reliquis quodammodo, sed tamen minus, pressis. Cerebello, ut plurimum, in initio illæso.

1014 Unde patet, cur pulsus et respiratio exerceantur, sensibus interim, motibusque voluntariis destructis? imo cur sæpe pulsus et respiratio crescant pro rato, quo sensus, motusque plus decrescunt, ut et circa mortem?

1015 Magnitudo igitur apoplexiæ censetur ætate, temperie, fabrica ægri; tum vehementia symptomatum, et in primis absoluta destructione sensuum, motuumque; respiratione valida cum profundo stertore; spuma circa os copiosa, viscidaque; sudore tenui, guttatim hærente; frigidiusculo; ortu ex debili primo parapoplexia prægressa; ortu ex epilepsia (*a*) ingenti præmissa, vel ex causa nota vehementiori.

1016 Levitas et sanabilitas (*b*) mali con-

(*a*) Frequenter in fine paroxysmi dormiunt epileptici cum stertore, et paulo post ad se redeunt. Apoplexia ista ab defatigatione et immobilitate potentiæ nervosæ ut plurimum dependet, quæ stimulantibus facile excitatur.

(*b*) Magna requiritur cautela ne Medicus in prognosi hic erret cum ægri, et suæ famæ periculo. Memor sit Aphorismi illius hippocratici: *Apoplexiam fortem solvere est impossibile; debilem vero non facile.* (III. Aph. 42.)

tra decernitur ex levitate symptomatum, absentia dictorum (1015).

1017 Lenis apoplexia solvitur superveniente sudore multo, æquabili, rorido, calido, levante; urina multa, crassa; hæmorrhoidibus largis, diu fluentibus; fluxu menstruo restituto; alvi fluxu; febre magna (*a*).

1018 Paulo gravior, superata causa, solet mutari in paralysin alicujus partis musculosæ; totius lateris unius, unde *hemiplegia*; vel omnium cervici supposita-rum partium, unde *paraplegia* dicitur; quæ raro curatur, semperque memoriæ, judicii, motuum læsiones relinquit; unde soporosi, hebetes, tremuli, vertiginosi, pusillanimes remanere solent.

1019 Exquisita apoplexia (1015), attrito cerebello, corruptis liquidis, causa

(*a*) Ista maxime proderit in apoplexia pituitosa. Sanguinis lentor inflammatorius per ipsam febrim etiam sic solvi potest, ut aptus fiat transire vasa cerebri in quorum angustiis hæserat. Febris ista *magna* debet esse: et ab initio morbi supervenire, dum natura adhuc in suo robore existens extremos conatus efficere potest: *si enim febris mediocris insuper accedat, quæ diu trahat mortifera est* Hippocrate decisivè aseverante (Prædict. lib. I. sent. 82.) et Prospero Martiano fidelissimo dogmatum Hippocratis perscrutatore confirmante (Comment. in lib. 2. de Morb. sect. I. vers. 67. et in Aphor. 5. Sect. V.

in cerebellum propagata, in mortem cito finitur, raro septimum diem excurrens.

1020 Futura apoplexia prævidetur: 1. ex cognita naturali temperie (1010. N. 1.) 2. materie morbosa cognita ut causa proëgumena (1010. N. 2. 3.) 3. ex procatarcticis. 4. ex primis effectibus incepti mali, ut sunt tremor; vacillatio; vertigo (*a*); scotomia; stupor; sopor; memoria vacillans; tinnitus aurium (*b*); inflatus superiorum; respiratio solito profundior, cum naribus compressis; incubus (*c*).

(*a*) Effectus iste incepti mali aliquam discussionem ulteriorem exigit. Petr. Mich. de Heredia longo sermone de *vertiginosa febre* egit, ad quem doctissimum virum hispanum tyrones accedant. Hi interea sciant varietates istas: cum omnia circumagi videntur *Dinos*: quando repentinæ tenebræ oculis offunduntur sine circumactione, aut illa sane levi *scotoma*: dum utrumque contingit *scotodinos* seu tenebricosa vertigo nominatur. Hæc quæ gravior ita definitur: *hallucinatio, qua objecta licet quiescentia è loco moveri, vel in gyrum versari nobis videntur*. Ita Sauvagesius, qui retrogrado motui sanguinis in vasis reticularibus retinæ hunc affectum tribuit. Hujus species sunt; plethorica, seu idiopatica, stomachica seu sympathica, hysterica, fugax, ab ictu, à venenis.

(*b*) Iste solet contingere etiam sanis hominibus, quibus alias apoplexiæ metus non est; cum à levibus satis causis oriri posse videatur, quæ ipso auditus organo hærent. (Sauvag. *de Vertigine.*)

(*c*) *Incubus* dicitur adesse quando somni tem-

1021 Præsens facile noscitur, si modo inter diversos ejus gradus distinguitur.

1022 Curatio hujus mali generalis nulla dari potest : oportet enim ut pro varietate causæ (1010.), modo applicandi, et loci affecti, varia omnino sit ; et ut applicetur antequam malum adoleverit.

1023 Si ergo ex lenta, inerti, frigidaque causa (1010. N. 2. lit. *c.*) oritura prævidetur per signa ibi posita, statim conandum. 1. ut pressio glutinosi à capite avertatur. 2. lentor in cerebro et in toto corpore attenuetur.

1024 Pressio in vasa cerebri minuitur 1. derivatione in alia, et opposita loca. 2. evacuationibus universalibus.

1025 Vapor, fotus, balneum, suctio, epispasticum, rubefaciens, vesicans, causticum, fonticulus, setaceum, frictio, ligatura determinata, venis majoribus, pedibus, cruribus, femoribus, applicata primo scopo attingendo (1025. N. 1.) valent. Collutiones, gargarismi, masticatoria, salivam moventia, apophlegmatis-

pore ingens anxietas cum sensu ponderis incumbentis percipitur una cum impotentia motus et loquelæ. Aecius dixit : „qui incubus appellatur „non est Dæmon, sed magis præludium, et „proemium morbi comitialis, aut maniæ, aut „apoplexiæ." (lib. IV. cap. 12.)

mi, ori, faucibus, naribus applicata eidem inserviunt.

1026 Vomitoria, purgantia valida, certo determinata; scarificatio; venarum pertusio secundo scopo (1024. N. 2.) satisfaciunt; licet aliquid semper incerti (*a*) secum ferant.

1027 Lentor vero, præmissis (1024. 1025. 1026.) determinantibus, dissolvitur remediis generalibus contra gluten descriptis (75.) cum prudentia adhibendis, capiti applicandis omni forma: inter omnia vesicæ per cantharidas (*b*) prosunt, et insecta similia sensim usurpata.

1028 Si ab iisdem causis (1023.) apoplexia jam facta est, raro curatur: si vires ferunt, eadem tentanda (1023. ad 1028.) naribus, ori, capiti applicanda omnia, quæ sensus excitare queant; acerrimi usurpandi stimuli quicunque; alvus acri clysmate laxanda.

1029 In usu tamen horum omnium (1028.) augetur sæpe malum, materie ma-

(*a*) Vomitoria licet magnam humorum crassorum copiam minuant, horum tamen partem impetuose versus caput ferunt. Purgantia tutiora sunt. Sanguinis evacuatio in apoplexia ista pituitosa vix prodest. Clysmata nihil incerti secum ferunt. Vomitoria atque purgantia in materia medica proposita nimis valida atque *incerta* pro nostratibus censeri debent.

(*b*) Emplastra vesicatoria nudæ capitis cuti-

gis mota, et impacta, per omnia stimulantia : viribus tamen mox projiciundis per evacuantia. Hinc in concilianda dissolutione semper evacuationi et avulsioni studendum, quantum res pati queat: inde regula ; Venæ sectio, ni juvet, occidit. (*a*)

1030 Si autem per sua signa (1010. N. 2. l. *b*. N. 3. l. *a*. l. *c*.) apoplexia oritura prævidetur, illico confugiendum ad ea, quæ velocissime inanire, resolvere, avertere, queant. 1. ergo fiat larga, cita, missio sanguinis, et quidem ex jugularibus venis ; quæ, pro re nata, repetatur : post hanc enim, si statu est morbus sanabili, statim levamen oriri solet. 2. tum purgans antiphlogisticum detur magna copia, et aliquoties repetatur, ut fere assidua diarrhœa excitetur ; si autem purgantia non satis cito operantur, clysmate satis acri determinentur. 3. toto dein decursu mor-

rasæ applicata insigniter prossunt. Insecta ut millepedes, cochinella . interne possunt adhiberi impune ; non ita cantharides.

(*a*) Celsus in isto casu pronuntiavit VEL OCCIDIT, VEL LIBERAT (l. 3. c. 27.) Hoc ita ex eodem declaratur : *post sangunis missionem si non redit motus et mens nihil spei superest : si redit, sanitas quoque prospicitur.* Venæ sectio in apoplexia sanguinea necessaria : in pituitosa cum prudentia poterit fortè exequi ut tutius postea acria stimulantia applicari, et adhiberi possint.

bi medicamenta refrigerantia, diluentia, attenuantia, ad urinas ducentia, exhibeantur. 4. assiduo simul revellentia fortia addantur, donec malum superatum sit. 5. victu, potuque utatur tenuissimis. 6. caveatur summopere ab omni medicamento valido (*a*) stimulante, movente, calefaciente; à calore externo; à decubitu in lecto, maxime declivi et supino.

1031 At si illa ipsa (1030.) jam facta est, vix ulla spes supererit; eaque sola in exercitatione eorundem (1030.)

1032 Quæ vero ab extravasatis liquidis inter cranium et membranas, inter membranas ipsas, à vulnere, contuso, fracto, suppuratove oritur, jam tractata est in vulneribus capitis (267. 268. 273. ad 297.), unde petenda.

1033 Quæ ab effusis jam liquidis in interioribus cerebri cavitatibus orta jam est (1010. N. 4.), per sua signa ibi data, cognita, vix requirit medelam, quum plerumque mors certa cito adsit: si quid tentandum, id omne sperandum 1. à resorptu effusi in venas iterum (279. 280.) 2. à correctione acrimoniæ prædominan-

(*a*) Agitur hic de apoplexia à plethora, vel ab inflammatoria densitate, vel nimia velocitate sanguinis in caput determinata. Stimuli, qui adeo prudenter in apoplexia serosa commendantur, potiori jure hic excluduntur.

tis, et glutinis simul, quæ nulla re felicius quam per saponacea (*a*) Chemica absolvitur.

1034 Quæ à prædominio lymphæ extravasatæ orta est, facilius tollitur, omissa, utpote hic fere nocente, missione sanguinis; datis hydragogis fortissimis statim ad alvum determinatis; tum dissipantibus applicatis; maxime vesicatoriis largissimis, diu apertis; victu exsiccante; fortibus epispasticis, fonticulis, setaceisque.

1035 Si vero à venenis jam producta fuerit, nulla (*b*) hactenus medela descripta habetur; ut nec illi, quæ à polypo.

(*a*) Ista vix videntur aliquid efficere posse in humores jam extravassatos; adeoque potius usum habent ad præcavendam apoplexiam à tali causa nascituram, quam ad curandam ubi jam adest.

(*b*) Venena, quæ apoplexiam producunt dum in ventriculo hærent, per promptum vomitorium excuti possunt facile, sicque morbus sanari. Neque omnino pro desperatis relinquendi videntur illi, qui à carbonum nidore sic affecti fuerunt. Memorabilis casus legitur de homine, qui tetro hoc nidore afflatus conciderat, et ultra dimidiam horam derelictus manserat; tuncque oculis apertis, ore hiante, totus frigidus absque ullo pulsu, aut respiratione jacebat; unde ab omnibus pro mortuo habebatur. Periti chirurgi tamen opera et industria intra quadrihorii spatium adeo benè se habuit, ut pede domum redire potuerit. (Essais d' Edimbourg. tom. 5. part. 2. observ. 55.) Docet iste casus non temere pro mortuis derelin-

APHOR. 1025.

Collutoria, et gargarismata in hoc casu.

Decoctum sialogogum, impetum sanguinis à capite revellens; ingruente apoplexia frigida utilissimum.

R. Radicis Imperatoriæ
Pyrethri
Galangæ, singularum unciam unam.
Foliorum recentium origani
Rutæ
Thymi, singulorum manipulum unum.
Florum Lavendulæ
Matricariæ, singulorum unciam unam.
Corticis Magellanici drachmas sex.

quendos esse licet nulla omnino vitæ signa superesse videantur; et admodum credibile videtur plures à simili causa periisse, qui servari potuissent. Videantur Auctores qui ista tractaverunt, præsertim: Michael Barnades Archiater hispanus jam alibi laudatus: Medicinæ Doctor Gardane hispanicè à Medicinæ profesore Joanne Galisteo ex gallico conversus sub hoc titulo: *Cathecismo sobre las muertes aparentes; con el modo de remediarlas.* Matriti prælo deditus anno 1784. cum figuris æneis. Libellus iste omnium, Professorum præsertim manibus versandus.

Cum aqua decoctis vase clauso libris tribus admisce
Spiritus salis ammoniaci drachmas tres.

Masticatoria salivam moventia.

R. Mastiches
Ceræ albæ
Zingiberis, singulorum unciam unam.
Fiant secundum artem parvi pastilli.

Apophlegmatisantia fiunt ex iisdem.

APHOR. 1026.

Vomitoria.

R. Vini emetici uncias duas et semis.
Oxymellis scillitici unciam unam.
Misce. Fiat haustus.

R. Cremoris tartari emetici grana septem.
Fiat una dosis. (*Nimia.* Vid. Sylloge. Tom. II. Pag. 372.)

R. Succi ex raphano rusticano expressi unciam unam.
Oxymellis scillitici uncias duas.
Misce. Fiat haustus.

R. Mercurii vitæ grana duo.

Purgans.

R. Diagrydii grana decem.
Resinæ jalappæ grana decem.

Spiritus vini rectificati drachmas duas.
Accurate tritis, et solutis admisce
Syrupi rosarum solutivi cum senna drachmas sex.
Fiat haustus.

APHOR. 1028.

Vapor stimulans nares.

R. Tincturæ castorei
Spiritus salis ammoniaci, singulorum drachmas duas.
Misce. Subolfaciat sæpe.

R. Aceti accerrimi
Tincturæ castorei, singulorum drachmas duas.
Misce in eosdem usus.

Balsamus in apoplexia lenta calidus.

R. Olei stillati Rorismarini
Tanaceti
Lavendulæ
Rutæ
Abssinthi singulorum guttas quatuor.
Infusi castorei drachmam unam,
Unguenti nervini unciam unam,
Salis volatilis oleosi drachmam unam,

Misce. Fiat secundum artem balsamus pro suffitu sub naribus, et circa tempora, affricandus.

Acre clysma.

R. Pulpæ colocynthidæ drachmam semis
Foliorum tabaci drachmam unam, et semis
Aquæ unciis decem incoctis ad misce
Salis gemmæ drachmas duas.
Fiat clysma.

APHOR. 1030 Num. 2.

In primis vero ex senna, et tamarindis.

Vid. Aphor. 396. Num. 2.

APHOR. 1030. Num. 3.

Vid. Aphor. 954 966.

CATALEPSIS.

1036 Catoche, Catochus, Catalepsis (*a*), dicitur morbus, quo laborans repen-

(*a*) Catalepsis, cathocus, catoche vi vocis idem sunt; omnes enim veniunt à *catalambano* verbo, quod *congelo*, *prehendo* significat. Status,

te, immotus, nec sentiens, illum corporis statum retinet, quem primo momento accedentis morbi habebat.

1037 Hujus ergo proxima causa immobilitas sensorii communis (*a*), prout primo momento insultus se habebat.

1038 Ergo sanguinis cerebrosi, glandularum cerebri, emissariorum ejus absoluta quies (*b*), ut in initio.

quem corpus retinet, et cerea flexilitas, qua membra manent in situ, qui ipsis datus fuit mirabilem eum reddunt. A tetano universali differt, quia in isto omnes articuli rigidissimi manent. Aliquæ diversitates in illo observatæ fuerunt: aliqui enim *nihil sentiunt*, alii audiunt, immemores alii, alii quorundam memores.

(*a*) Mirabilis hujus morbi indoles in primis est, quod sopiantur omnes sensus interni et externi, superstite tamen efficacia causæ muscularis motus; sed abest potentia mutandi directionem illius causæ; unde omnia manent in eodem situ, quem habebant illo momento dum morbus ingruebat. Probabile est sensorium *commune* dictum esse illud organum corporeum, per quod hoc *Velle* in mente producit motum in corpore; si ergo uno momento immobile fiat illud sensorium commune nec transmittat, ut ita dicatur, hoc imperium mentis in corpus, manent omnia in eodem statu ut ante erant, et sic videtur haberi optima hujus abstrusi morbi *Catalepsis* idea.

(*b*) Van-Swiet. summa ut solet moderatione Præceptorem suum emendans ait: interim tamen in catalepticis quos vidi inveni pulsum manifestum in carotidibus; facies non semper erat

1039 Omnes quidem in eo morbo functiones cerebri læduntur, et illæ, quæ inde pendent; soli musculi sic manent tensi ut in initio erant; cæterum respiratio et pulsus supersunt, at plerumque leves.

1040 Febris intermittens diu perdurans, maxime quartana; melancholica, sicca, strigosa temperies; menstrua, et hæmorrhoides retenta; terrores summi, subitique; profunda, protracta diu in unum objectum meditatio; febres validæ in homine sanguinolento accensæ, morbum hunc (*a*) plerumque antecedunt.

1041 Dissecta (*b*) cadavera demonstra-

turgida et inflata, imo in quibusdam collapsa potius: adeoque videbatur sanguis per vasa arteriosa cerebri ire, et per venas redire satis libere Verum illa quies videtur in primis esse in subtilissimo fluido, quod à fabrica arteriosa cerebri secretum per minimos canales nerveos movetur, et cujus fluidi motus non à corde, et arteriis pendet, sed à mentis corpori nexæ imperio producitur. Hæc ille.

(*a*) Præter causas hic memoratas aliæ etiam sunt non in encephalo, sed in alio corporis loco hærentes. Atrabilis viscera abdominalia grabans, lumbrici in ventriculo.. catalepsin etiam aliquando produxere; hinc dividenda ista in idiopathicam et symptomaticam.

(*b*) Sola repulsa rei admodum concupitæ, vermes ventriculum irritantes, *stomachus imbecillus consentiente principio, quod in cerebro et nervis est* inter alios morbos *catalepses* producunt ex Galeno

verunt arterias venasque cerebri valde turgentes fortiter impacto denso cruore.

1042 Sanatur sæpe excitata larga narium hæmorrhagia.

1043 In alios morbos raro transit ; aliquando tamen Epilepsia , Convulsio , Dementia , *atrophia* , eum exceperunt , in mortem plerumque (*a*) finitur.

1044 Curatio tentatur pro varietate causæ varia. (*b*) Excitando per objecta valide in organa sensuum agentia , ut sunt lux , sonus , stimulus , sal volatilis acer, dolor , frictio , motus continuatus ; hæmorrhagiæ ex naribus prolectu ; hæmorrhoidalis , menstruive fluxus prolectu; sternutatoriis, vomitivis; vesicatoriis; fonticulis ; setaceis ; victu humectante.

(Lib. I. De Sympt. Caus. Cap. 7.) Hoc in primis notandum videbatur ne quis crederet in methodo medendi ad solas illas causas attendendum esse, quas inspectio cadaverum docuit.

(*a*) Si morbus iste à vermibus , à consuetis evacuationibus retentis , si ab animi affectibus . . oriatur sanari utcumque poterit.

(*b*) Curatio hujus morbi duplex debet esse, in paroxysmo nempe , vel extra eundem. Hystericæ et hipochondriaci cataleptici leniter tractandi. Validi animi affectus difficile moderantur. Inter alia peregrinationem præsertim exigunt.

CARUS. (*a*)

1045 Carus est apoplexia levis, somnus vero gravissimus, cum febre, ex causis maxime cerebrum illæsum comprimentibus (1010.) N. 3. l. *a. b. c. d.*), aut causis obstruentibus, sed facilius, quam in apoplexia, solvendis (1010. N. 2. l. *b. c.*): est in hoc aliqua perceptio, sed subitanea; aliquis sensus, sed parvus.

1046 Hinc à caro soluto sanitas, nisi quod forte titubatio vacillans capitis aliquamdiu supersit.

1047 Curatio petenda ex curatione apoplexiæ tradita (1020. ad 1036).

(*a*) Morbi soporosi variis nominibus insigniuntur, sed gradu præsertim discriminantur. Somni isti morbosi sedulo à somno profundo, et diuturno, qui aliquando salutaris est, distinguendi. Infantes multum dormiunt. Ebrii quandoque, sed rarius in apoplexiam degenerant, per longum somnum frequentèr liberantur. Isti aliquando à minus peritis pro apoplecticis habentur.

Carus est capitis gravitas cum sopore. In isto motus, et sensus non integrè deficiunt nec respiratio læsa est. Ab apoplexia distinguitur, quia facilius sanatur, et integrè quidem, quod in apoplexia exquisita raro fit, si enim evaserit æger semper fere aliquam læsionem functionum animalium relinquit. Febris non semper carum comitatur. In fœminis, ebriis, epilepticis . . carus sæpe sine febre conspicitur.

1048 Coma vigil, Coma (*a*) somnolentum, Cataphora, videntur tantum esse Cari leviores species (703. ad 710.)

1049 Lethargus (*b*) autem levior est apoplexiæ species ex causa frigida, lenta, aquosa: unde ex historia apoplexiæ ejus cognitio et curatio petenda (1008. ad 1036).

(*a*) Coma, carus, cataphora, catalepsis, et Thyphomania sunt frequenter aliorum morborum symptomata, non morbi primarii, quemadmodum lethargus, et apoplexia. *Coma* est somnolentia præternaturalis, qua ægri sine sensus, et motus amissione, modo sopore tantum, interdum sopore vigili jacent. *Typhomania* est affectio præternaturam, qua ægri alternis vicibus delirio, et sopore vexantur. In melancholia, febribus malignis . . non raro fit ut æger repente exiliat, clamet, agitetur, inania loquatur, iisque cessantibus subito in soporem profundum delabatur vicisitudine alterna. Symptomata ista suam curationem, licet palliativam tantum exigunt.

(*b*) Morbus iste longiorem, quam hic Boerhaavius apponit disquisitionem exigit: est enim frequenter morbus acutus idiopathicus, et valde periculosus. Lethargus à *lethe* dicitur, quæ oblivionem significat, et *aergos*, quæ inertiam; hinc lethargus vi vocis est segnis et otiosa oblivio. Lethargus seu veternus, qui à Boerhaavio hic describitur, lethargus lentus potest judicari, qui *levior* erit apoplexia serosa, et in eam incidens, ad quem reduci possunt etiam somni illi, qui per plures septimanas imo, et menses duraverunt, quibus aquæ frigidæ immersio inter alia, et præ aliis prodesse poterit.

DE MORBIS CHRONICIS.

1050 Hactenus de morbis principibus acutis internis, et externis : nunc de Chronicis (*a*) agendum. Illi vero, si in cor-

Observatur tamen alias lethargus acutus, cujus brevis descriptio ita se habet.

Contrarius phrenitico morbo, at æque acutus is morbus est, in quo, et marcor, sèu impotentia, et inexpugnabilis pene dormiendi necessitas adest cum febre ad tactum levi, reipsa vehementi, et acuta. Lethargici etsi vigilare minime possint, neque dormire vere valent. Æger oculis perpetuo clausis immotus jacet : quocumque modo interpellatus, vix respondet : excitatus aliena loquitur, et obliviosus est. In augmento pulsus inordinatus, et tremor periculosus adest. Causa; humor corruptus serosus in cerebro : inflammatio in ipso, quæ ob præsentiam hujus humoris serosi *humida* potest dici. Morbus iste idiopathicus, seu exquisitus, sive sympathicus sit periculosus admodum. Idiopathicus pure ex auribus, vel naribus profluente, aut abscessu pone aures exorto interdum solvitur.

Curatio febri et sopori dirigenda. Venæ-sectio, hirudines pone aures, clysteres, vesicantia cruribus, cervici ac toti capiti raso . . ante diem quartum exequenda. Castoreum ad scrupulum dimidium quatuor granis scamonei sociatum vertente morbo maxime prodesse poterit.

(*a*) Optime Celsus definivit morbos longos: *sub quibus neque sanitas in propinquo neque exitium est.* In præsenti aphorismo recensentur tantum

pore nati, ortum duxerunt vel ex vitiis liquidorum sensim natis, vel ex vitiis relictis à morbis acutis non bene sanatis.

1051 Vitia liquidorum sensim nata oriuntur 1. ex ingestis (*a*) aëre, cibo, potu, condimento, medicamento, veneno, tam

causæ illæ, quæ in corpore natæ morbis chronicis originem dederunt. Sunt etiam aliæ causæ applicatæ corpori, non præexistentes in corpore, quæ difficillimis morbis chronicis producendis sunt quam aptissimæ. Compressio imprudens capitis in recens natis, vel et junioribus perpetuæ stultitiæ, et convulsionibus toties dedit originem. Collaris nimia adstrictio narium hæmorragiam frequentem, et cephaleam diuturnam produxit. Plurima mala à constrictione sola abdominis per thoraces rigidos in sequiori sexu, observantur. A lapsu, gravi contusione.. loco motis vertebris immedicabiles paralyses, asthmata... toties producta fuerunt. Quartanæ endemicæ sanissimos homines per plures menses inficiunt. Solidorum degenerationes v. gr. laxitas, rigiditas, soluta unio, caries.. morbos quamplures chronicos producere etiam valent. (1053.)

(*a*) Aer in debilibus cum alimentis ingestus elasticitatem non amittit in horum tarda et difficili digestione. Hinc forte molestæ in istis illæ flatulentiæ perdurabiles. *Medicamenta*, quæ sani ad præcavendos morbos inconsulto exequuntur v. gr. purgans, emeticum, venæ-sectio.. vere et autumno sanitatem pessumdant, ad chronica sustinenda disponunt. Adversus errorem istum insurgit longo satis opere J. B. Werloschnig sub hoc titulo : *curationis verno-autumnalis.. abusus.* Vina,

alienis, ut nostris humoribus similia non sint, tam validis, ut vi nostrorum viscerum et humorum nobis assimilari non possint. Eaque sunt *a. Acor* (60. ad 69.) *b. Austerum*, ex acore et terrestri plurimo unitis, ut à fructibus immaturis, vel adstringentibus, succis, vinis, et similibus; quæ liquores coagulant, vascula constringunt, hinc obstructiones duras pariunt (31. 36. 40. 50. 51. 113. N. 1. 117.) Sanatur diluentibus, alcalicis fixis, saponaceis alcalicis, diu, prudenter usurpatis. *c. Acre pingue aromaticum*, ex cibis, potibus, condimentis, calidis odore, sapore; hæc calorem, attritum, læsionem minimorum vasculorum, dolores calidos, attenuatio-

et præsertim spiritus fermentatione parati, quibus abutuntur homines, chronicos solent parare morbos, scirrhosa induratione omnia fere viscera obsidente. Venena ista perniciosiora quoniam gratiora, et ideo communiora bibuntur, eluuntur. Præter *spontaneas nostrorum humorum vitiosas permutationes* numeris in textu citatis explicatas consideranda suspensio illa sanguinis, quæ in casu ab alto, in syncope .. accidit, ex qua polypi emergent tota vita indisolubiles, et pessime turbantes vitalium viscerum actiones. Bilis stagnans resorpta parte tenuiori lentescet inspissata, et calculosas concretiones producet, quæ icterum pertinacissimum, et chronicum toties faciunt. Ex his patet in indagatione causarum, quæ morbos chronicos producunt maxime attendendum esse, plurimæ enim atque diversæ recensentur.

nem liquidorum, horum putrefactiones, extravasationes, et similia multa producunt: curantur aquosis, farinosis, gelatinosis, acidis. *d. Pingue iners*, ab nimio usu pinguium ex animalibus terrestribus, piscibus, vegetabilibus oleosis; hinc obstructio (117.), ranciditas biliosa, inflammatio, corrosio, putrefactio pessima (82. 526.) Curatur diluente, saponaceo, acido. *e. Salsedo muriatica*, ex sale, salitisve; vascula destruit, liquida solvit, acria reddit illa, hinc *atrophiam*, solutiones vasorum, extravasationes liquorum, non cito putrescentium, sed maculas producentium. Tollitur aqua, acidis, lixivio calcis vivæ. *f. Alcali* (76. ad 91.) *g. Glutinosum* (69. ad 76.) 2. à viribus nostris nimiis in ingesta (50. ad 58. 92. ad 106.) 3. à spontaneis nostrorum humorum vitiosis permutationibus (58. ad 91.)

1052 Ex morbis acutis male sanatis oriuntur vitia in humoribus quocunque corporis loco: *a.* Purulenta (158. N. 5. 6. 7. 402.), quæ producunt multa mala (936. N. 4. 941.): sanantur (942.). *b.* Ichorosa (158. N. 4. 206.), quorum effectus rodere, consumere. Sanantur blandis, demulcentibus, inspissantibus: *c.* Putrefacta, quæ recensita (1051. N. 1. l. *c. f.* N. 3).

1053 Morbi acuti male sanati in partibus solidis, compositisve, relinquunt Abscessus (387. 402.), Fistulas (413.), Em-

pyemata (894.), Scirrhos (392. 484. 485. 486.), Cancros (492. 494.), Caries (526).

1054 Ex his in morbis (1051. 1052. 1053.) simplicibus, aut omni modo compositis inter se infiniti sane alii, ut effectus, sequi possunt; adeoque ex eorum dato intellectu hactenus optime perspici, et curari.

1055 Quum vero inde pendeant, ut patebit, omnes Chronici; horum ergo generalis (*a*) doctrina, divisioque hinc haurienda.

1056 Unde etiam statim apparet, hos varietate quidem infinitos ratione symptomatum (*b*), tamen ex origine non adeo com-

(*a*) Magnum hoc usum in praxi Medica habet ut determinetur indicatio curatoria, et methodus medendi si in classes quasdam dispositis morborum causis memoria Medici juvetur ut ordine sic indagari possint. Si enim Profesor attento animo has classes percurrat in morbis etiam intricatissimis chronicis inveniet quid agendum sit ut tollatur morbus, vel saltem mitigetur.

(*b*) Morborum varietas ratione symptomatum posthabenda. Ista sanatis morbis sanantur, et sanationem tantum paliativam si vehementia sunt expostulant. Varietas morborum ab origine sive causa omnimode circunspicienda. Ista sedulo notanda ad critice legendos Nosologos. Innumeri varietate symptomatum morbi chronici diversi observantur, quæ diversitas tribuenda diversitati materiæ morbosæ, locorum in quibus hærent, functionum quas lædunt, et peculiari ipsius ægri

posita pendere, neque tam varia medicamenta, medendive methodum requirere; tum simul perspicitur diuturnitatis in plerisque, incurabilitatis vero in multis ratio; id ipsum pertractando jam patebit.

idiosyncrasiæ. Omnium maxime mirabilia symptomata solent oriri in morbis ubi sensorium commune, et qui inde pendent nervi à causa morbosa afficiuntur. Valde notandum quamplures morbos chronicos quamvis diversos, thermarum, et aquarum medicatarum usu per tot jam sæcula probato sanari. Succi recentes herbarum, serum lactis, fructuum horæorum usus, sapones, mel, frictiones, equitatio, mutatio loci . . summi usus et communissimi habentur. Circa postremum istud jam dixerat Hippocrates : *in longis morbis solum vertere convenit* (Lib. VI. Epidem.) Celsus postea dixit : *pessimum cœlum quod malum fecit.*

Hac soli mutatione alius victus, alia aëris temperies conciliatur dum simul à curis omnibus rerum agendarum liberi oblectantur continua varietate objectorum, quæ peregrinantibus se oferunt. Ægri isti non fallaci spe brevis curæ lactandi sunt : longe enim animosius, et morbi et *diuturnæ* curationis tædia ferent prænoniti, majoremque fiduciam ponent in Medico, qui vanis promissis illos numquam deluserit. Vid. Instit. med. §. 1180. Num. 8, 9, 10, 11.

PARALYSIS. (*a*)

1057 PARALYSIS vocatur musculi laxa(*b*) immobilitas, nullo nixu voluntatis, vel vitæ, superanda; sensus aliquando simul

(*a*) Sauvagesius Clase VI. Ord. III. Gen. 17. *Paralysis.* Species: plethorica, rachialgica, metallariorum, rheumatica, traumatica (*à vulnere.*) scrophulosa, scorbutica, polonica, febrilis, biliosa, serosa.

Cullenius Clase II. Ord. I. Gen. 43. *Paralysis.* Caracter: Motus voluntarii nonnulli tantum imminuti, sæpe cum sopore. Species *idiopathicæ*: partialis, nervea, mutitas à glossolysi, spasmodica: *symptomaticæ*: intermittens, exanthematica, syphilitica.

(*b*) Paralysis dicitur *musculi laxa immobilitas* ut distinguatur à tetano, in quo morbo omnia rigent cum motus impotentia. Tamen paralysis aliquando cum convulsione sociatur (Hipp. I. Epidem. ægrot. 13.) Trallianus paralysin aliam à frigore cum humiditate: aliam à calore cum siccitate fieri animadvertit (lib. I. cap. 16.) Paralysis ista à calore sicco fit, à bile atra, ab humore arthritico, ab herpete, ab ulcusculis, et scabie improvide sanatis, aliisque similibus. Notanda ista pro varianda curatione. Sensus in malo isto aliquando superest, et contra. Notum est ex physiologicis nervos quosdam sensui, alios motui servire, qui distinctissimi licet sint in sua origine intra encephalum, tamen in truncos majores nervorum collecti ad partes corporis una deferuntur: potest ergo impediri functio nervorum moventium, dum nervi sentientes adhuc illi-

absolute perit; aliquando levis cum stupore, sensuque quasi punctorio levi superest.

1058 Causa hujus proxima semper (*a*) impeditus fluor liquidi nervosi à cerebro in musculum paralyticum; vel liquidi arteriosi in eundem.

1059 Ergo oriri potest 1. ab omni causa apoplexiam generante (1010.) 2. ab omni ea, quæ nervum transmittendo spiritui ineptum reddit. 3. Quæ introitum arteriosi cruoris in musculum impedit. Inde paraplegiæ, hemiplegiæ, paralysios partis singularis, natura intelligitur.

1060 Itaque apoplexia; levior parapoplexia (1009. 1910. 1015.); epilepsia; convulsio; dolor ingens et diuturnus; omnes solitæ evacuationes retentæ cum subsequente vertigine, ut hæmorrhoidum, menstruorum, abscessum, fistularum, al-

bati sunt, vel minus læsi, et vicissim. Mirabilis observatio habetur apud Senacum de homine cujus unum brachium omnino paralyticum erat superstite sensu acutissimo: alterum vero brachium omni carebat sensu, sed motu naturali gaudebat (Traite *De la structure du Cœur*. Tomo II. Pag. 291.)

(*a*) Præter causam duplicem in textu indicatam, potest etiam paralysis fieri vitio degenerantis fabricæ musculosæ. Tunc aliquando paralysis verificatur licet nervi, et arteriæ adferentes liquida suo munere rite fungantur. Vid. 1063. Not. (*a*).

vi, vesicæ, salivæ; metaptoses (*a*) cujuscunque materiæ morbosæ in acutis, vel chronicis; quidquid obstruendo, solvendo, comprimendo, ligando, distorquendo, distrahendo, constringendo, nervos lædit; adeoque crassi humores, vulnera, erosiones, abscessus, gangrænæ, tumores inflammatorii in integumentis nervosæ medullæ, in gangliis, in nervis ipsis, serosi, purulenti, ichorosi, scirrhosi, et similes, fortes arctæque ligaturæ, fracturæ, luxationes, adstringentia valde alimenta, medicamenta, venena; inde frigus summum, calor maximus, humiditas frigida, usus aquæ calidæ nimius, assiduus, vapor arsenici, antimonii, calcis recentis, mercurii, et aliorum venenorum, Paralysin creare possunt.

1061 Causa proxima (1058.), et remota (1059. 1060), adeoque his nata paralysis ipsa, varios admodum producit effectus, pro varietate sedis, ubi illa causa

(*a*) Nullum morbum chronicum frequentius sequitur paralysis, nunc artuum superiorum, nunc inferiorum, quam *colicam pictonum* dictam. Illa tamen sæpè sanatur solis remediis internis, et aliis abdomini tantum impositis. *Integumenta nervosæ medullæ* in suis vasis obstrui et inflammari possunt. Plurimi ergo morbi in nervorum tunicis sedem habere possunt, à quibus nervorum actio lædi, vel integre aboleri potest, licet nihil mali in ipsa proprie dicenda nervi substantia hæreat.

hæret; pro varietate magnitudinis, qua ibi hæret; pro diversitate partis affectæ, prout vitæ necessaria magis minusve, magis mediate, vel immediate; inde enim letalis, minus letalis, sanabilis, incurabilisve haberi potest.

1062 Paralysis Cordis, pulmonum, musculorum respirationi inservientium; gulæque, brevi letalis: stomachi, intestinorum, et vesicæ, à causis internis, valde periculosa: musculorum faciei (*a*) mala, et facile in apoplexiam mutabilis. Paraplegia valde periculosa, apoplexiæ prænuntia, hac nata letalis: hemiplegia mala, paraplegiæ affinis, hinc apoplexia necans; quæ

(*a*) In hac paralysi causa encephalo propinqua est. Tamen Hippocrates pronunciavit: *Distorsiones in facie si nulli alteri parti corporis communicant cito sedantur, vel sponte, vel per necessitatem, reliqui vero apoplectici fiunt.* (Prorrheticorum lib. II. cap. XVII.) Quandoque malum istud topicum tantum est non affecto cerebro, et tunc feliciter sanatur. Si tamen stupores in brachio, manu . . adsint, metuendum.

Paraplegia sæpius apparuit, nullo vitio intra cranium existente; forte numquam visa fuit *hemiplegia*, nisi encephalum similiter affectum fuerit: nam balbutiunt fere semper, atque memoriam læsam habent. Aliquando observatæ fuerunt *subitæ mortes* absque ullis signis prægressis, neque postea in cadavere inventæ fuerunt ejusmodi mutationes, quibus merito subita talis mors tribui poterat. Tunc non sine ratione creditur cor para-

cum frigore, insensilitate, atrophia partis, mala, raroque medicabilis: quæ cum sæva convulsione, et magno calore partis oppositæ, mala; ex horum vero oppositis scitur, quænam sanabilis, minusque metuenda sit: quænam vero toties causa repentinæ, nec ullo præsagio prævisæ mortis, sine ullo fere symptomate concomitante.

1063 Quæ omnia (1057. ad 1063.) si quis singulis musculis, cujuscunque demum functionis auctoribus, applicat, infinitorum certe, et maxime mirabilium (*a*)

lyticum factum cessasse à motu. Illud videtur in primis obtinuisse ubi subiti, et validissimi animi affectus hominem perculerunt. In historia Medica plures similes casus recensentur.

Atrophia significat nihil humoris vitalis nutritii adferri ad partem, quod transmissione spirituum per nervos ad eamdem denegata pejus est.

(*a*) Pleræque functiones corporis nostri fiunt per motus musculares, unde et sponte patet illas turbari posse, imo et deleri integre per paralysin. Dum nervorum origine, et nervis quantumvis bonis, fabrica musculi destructa, vel insigniter mutata fuit functionum læsio observabitur. Patet hinc quot et quam *mirabiles* morbi ex hactenus dictis de paralysi intelligi possunt v. gr. si quis consideret mirabilem laryngis fabricam, et musculos omnes adjacentes. . non mirabitur quare toties post apoplexiam sanatam omnes functiones in integrum restituantur, sola sæpe tantum loquela impedita; dum vel balbutiunt tota vita inter

morborum causas intelliget, diagnosin, prognosinque sciet.

1064 Sanavit Natura hunc morbum attenuando et dissipando materiem morbosam, mala crisi ad cerebri exteriora, ejus ventriculos, circa medullam oblongatam, spinalem, exitum nervorum à medulla, nervos, depositam; solvendo impacta per magnam febrim supervenientem; movendo per tremorem (*a*) convulsivum partis; educendo per diarrhoeam largam et diuturnam.

loquendum, vel quandoque aliquas tantum litteras distincte pronuntiare nequeunt. *Mirus* satis casus apud Wepferum habetur de muliere serosa capitis colluvie laborante, cui loquela interdum sensim minuebatur, quandoque per decem et ultra horarum spatium integre abolebatur, dum vero superveniente tussi tenue et crudum sputum copiose ejiceret loquelam in instanti recuperabat. Imo quod magis *mirum* videtur si manu cranium premeret circa suturam lambdoideam illo tempore dum loqui non poterat redibat loquela, manu amota statim denuo muta erat.

(*a*) Tremor convulsivus partis paralyticæ bonus est ut causa, et ut signum; notat enim causam muscularis motus denuo applicari musculis paralyticis, sed nondum tali cum constantia, ut durabilis sit effectus, sed mox vacillet denuo; unde incipientem sanationem indicat et integræ curæ magnam spem facit; in primis si levis convulsio tremorem hunc comitetur. Verum et ille tremor convulsivus prodest, ut causa, cum per hos concussus expediri possit sæpe omne il-

1065 Curatio requirit ablationem causæ (1059. 1060.), nervorum functionem et arteriarum impedientis, dein liberi fluxus restitutionem.

1066 Causa impediens aufertur variis modis, causæ prius perspectæ facile applicandis.

1067 Si illa causa intus hærens, crassa, stagnansque est, utendum iis remediis, quæ producere possint illa, quibus Natura (*a*) (1064.) hunc morbum sæpe sanavit.

1068 Ergo curatio tentatur 1. attenuantibus, dissipantibusque *a*. Aromaticis, cephalicis, nervinis, uterinis dictis vegetabilibus, specie succi expressi, infusi, decocti, extracti, spiritus, conditi. *b*. Salibus fixis ustione, volatilibus destillatione, aut putrefactione hinc electis. *c*. Oleis expressione, coctione, infusione, destilatione hinc productis. *d*. Saponaceis ex horum combinatione per artem productis. *e*. Virosis (*b*) animalium partibus, insectorum suc-

lud, quod adhuc immeabile in ipsis musculis, arteriarum finibus, forte et in ipsis nervis, vel saltem horum involucris, hæsit.

(*a*) Numquam ars Medica magis prodest humano generi quam ubi Naturæ morbos curantis vestigia sequi potest, atque intendit.

(*b*) Illa quæ gravem et vehementem odorem spirant latini dixerunt *virosa*. Moschus, Zibetum, ob gravem odorem hystericis et hypochondriacis molesta sunt. Castoreum præferendum

cis, spiritibus, oleis ; salibus, tincturis. *f.* Salibus fossilibus (*a*), crystallis metallicis, et iis, quæ ex his maxime composita. *g.* His omnibus, ut se mutuo juvent, cum prudentia permistis : atque horum quidem usu attenuatio, dissipatio, calor febrilis obtinetur. 2. Validis stimulantibus,

opopanaco et sagapeno mistum. Tinctura cantharidum spiritu vini facta pro friccionibus proderit.

(*a*) Inter ista remedia valida præferendæ aquæ minerales solutum ferrum continentes. Utiles etiam possunt esse sales metallicæ magna copia aquæ dilutæ, ita ut sua acrimonia non irritent primas vias, sed ad intima corporis penetralia pervenire possint. Vomitoria, purgantia . . *valida* viscera bona, vires satis firmas exigunt, et quod nullus metus sit apoplexiæ venturæ. An huic scopo totum corpus concutiendi, atque movendi; simulque ad convulsivum motum salutarem pluribus musculis inducendum inservire possit mirabilis illa concusio, quæ per *Vim electricam* partibus paralyticis applicatam excitatur?

Pro tyronibus innuere sufficiat vim electricam nedum nervos, sed et vasa sanguinea fortiter stimulare, hinc in paralysi à laxitate, absente plethora, leviter, partitis vicibus, et in partibus ipsis affectis à capite distantibus omnibus aliis remediis incassum adhibitis prudentissime administrandam. Auctores extranei plurima de re ista tractaverunt, inter quos eminet Medicinæ Doctor Mauduyt, cujus opera, methodus, observationes videnda Tom. II. Societatis regiæ Medicinæ parisiensis pag. 199. Tom. III. pag. 187. Tom. IV. pag. 243. Tom. V. pag. 160. . . Ty-

et impacta quæcunque fortiter, motu nervoso tremente et convulsivo excitato, excutientibus: eo in primis sternutatoria, et vomitoria fortia pertinent; si aliquoties in primis repetuntur. 3. Purgantibus per alvum calidis, solventibus, aromaticis, vegetabilibus, vel et fossilibus acribus, metallicisque mercurialibus, antimoniatis, adeoque fortibus hydragogis, larga dosi, pluribus diebus successive repetita datis; quorum ope copiosa, et aliquamdiu perdurans diarrhoea excitetur. 4. implendo primo vasa corporis largo potu (*a*) attenuan-

rones ipsi præ oculis semper habeant van-Swietenii prudentissimum monitum: »numerosissima »circa vim electricam à viris celeberrimis ins»tituta fuerunt experimenta, quæ summam ejus »efficaciam, sed et simul periculum docuerunt, »dum minus prudenter hæc experimenta tracta»rentur." Ant. Haen hac super re consulendus.

(*a*) Proponitur hic methodus fortassis optima pro sananda Paralysi. In primo numero præponuntur remedia, quibus copia aquæ dilutis corpus impleri potest, inter quæ decoctum Guajaci potest per aliquot dies præferri, et dein sudor elici ope vaporis accensi spiritus vini. Sic enim dilutis et attenuatis prius humoribus magnus calor, et celerior motus conciliatur, quæ simul juncta aptissima videntur, ut obstacula liberum motum subtilissimi humoris per membra paralytica impedientia removeri possint; in primis si vapor accensi spiritus vini determinetur ita, ut sedem causæ detectam (de qua Aph. 1070 agit) alluat.

tium præmissorum, dein excitatione majoris motus, et sudoris, ope vaporis spirituum accensorum.

1069 Frictiones externæ siccæ, calidæ ad ruborem usque, vel cum spiritibus penetranti et stimulante virtute præditis ex animalibus, vegetabilibusque, aut cum oleis, linimentis, balsamis, ungüentis, nervinis prosunt. Balnea (*a*) vaporum, immersiva; Emplastra acria, aromatica, attrahentia dicta; Cucurbitæ; scarificationes; vesicatoria; fustigationes; dolorem et levem inflammationem excitantia, ut urticæ, et similia juvant.

1070 Maxime autem curandum, ut ad sedem causæ detectam omnia remedia (1068. 1069.), si possibile, applicentur: pars læsa, plures simul eodem vitio læsæ, scientia (*b*) musculorum, nervorum, horum

Wepferus hac methodo frequenter usus fuit cum felici successu in paralysi, et aliis nervorum morbis curandis uti ejus observationes (32. pagin. 72. et aliæ plures) testantur.

(*a*) Medicatæ thermæ cum impetu prosilientes, vel ex alto decidentes in partem paralyticam movent, et concutiunt eam satis fortiter et utiliter. Balneum frigidum totum corpus concutiendo; istoque in lecto calido postea collocato calor, rubor, atque sudor sequentur, et prodesse poterunt.

(*b*) Medici fida anatome suffulti, et in ea ut par est exercitatissimi pulcherrima efficiunt. Ta-

unio, origo, dispersus, et cognitio functionum ab unoquoque horum pendentium, si comparantur inter se, clare docent sedem latentem mali.

APHOR. 1068.

Vid. 75. Num. 5. Aph. 54. Num. 4.

APHOR. 1069.

Pulvis aromaticus pro suffimigio.

R. Masticbes, Olibani,
Succini, singulorum unciam semis.
Misce. Fiat pulvis.
Hujus drachmæ unius super prunam sparsæ fumus excipiatur panno sicco, calido ex lana: quo dein fortiter fricentur partes.

Mixtura penetrans, nervina, ad partes flaccidas stimulandas.

R. Spiritus lavendulæ uncias tres,
Salis ammoniaci drachmas duas,
Tincturæ castorei drachmas quatuor,
Aquæ stillatitiæ lavendulæ uncias sex.
Misce. Perfricentur hac cum mixtura partes.

bulæ eustachianæ, Icones halleriani . . Myologia Albini, Vieussenii Neurographia consulendæ: sed præter istas; imo super istis cadavera ipsa sedulo, atque penitus introspicienda, et ita omnes Medici suæ conscientiæ obsequentes, suæque dignitati strenuè, naviter ausculantes indefessi exequuntur.

Emplastrum acre , aromaticum , calidum.

R. Emplastri de cuminis
Meliloti
Galbani purati singulorum
unciam unam
Olei castorei unciam semis.
Misce. Fiat emplastrum ad alutam.
Parti affectæ prius fricatæ apponatur.

Linimentum ad paralysin nervinum, penetrans.

R. Olei infusi
Absinthi
Anethi
Chamæmeli
Olei infusi Nepetæ
Rutæ
Trifolii odorati , singulorum drachmas duas.
Castorei
Crocini
Irini
Lumbricorum terrestrium
Nardini
Terræ singulotum drachmam unam.
Unguenti Agrippæ
Arthanitæ
Martiatonis
Nervini singulorum drachmas sex.
Misce. Fiat linimentum.

Emplastra acria.

De cumino
Galbano
Meliloto &c.

EPILEPSIA. (*a*)

1071 Priori malo adversus valde morbus Epilepsia (*b*) est, quæ adesse dicitur, quoties homo subito prosternitur, amissis sensibus externis, internisque, cum concussu violento, involuntario musculorum omnium, vel aliquorum, reciproco, alterna cum requie, et novo paraxysmo.

1072 Morbus hic mira facie variatus sæpè tam mirabilis apparet, ut diis, dœ-

(*a*) Sauvagesius Clas. IV. Ord. IV. Gen. XIX. *Epilepsia.* Species : plethorica, cachectica, vel serosa, stomachica, uterina, simulata, à pathemate, febrilis, à dolore, exanthematica, syphylitica, traumatica, symptomatica.

Cullenius Clas. II. Ord. III. *Spasmi.* Gen. 53. *Epilepsia.* Caracter : musculorum convulsio cum sopore. Species *idiopathicæ*; cerebralis sine causa manifesta, plethorica, cachectica, à pathemate. *Sympathicæ*, ab aura ex aliqua parte versus caput asurgente, à dolore, à dentitione, à partu, à vermibus, à veneno, exanthematica, à saburra, ab inanitione, ab ischuria.

(*b*) Morbus iste vi vocis est idem, ac comprehensio, vel subitanea invasio. Dicitur morbus sacer, herculeus, lunaticus, comitialis, sonticus, caducus, et vulgo : *gota coral*, *mal de corazon*. *Concussu violento* ab *immobilitate laxa musculi* paralytica discriminatur. Morbus iste acutissimus est ratione paroxysmi; chronicus vero ratione durationis, qua paroxysmi repetunt.

monibus, iræ divinæ, incantamentis, et similibus causis naturalibus majoribus adscriptus (*a*) sæpe fuerit.

1073 Nulla quippe gesticulatio, inflexio, posituraque noscitur, quam non aliquando exhibuerit (*b*); omnes quoque non-

(*a*) In sacris litteris exemplum habetur inter alia epileptici ab adorando SALVATORE sanati expulso dæmonio. Ita enim legitur (Marci cap. IX. vers. 25. et Luc. cap. IX. vers. 24.) *objurgavit spiritum illum impurum dicens ei : spiritus mute et surde, ego tibi impero : exi ab eo et ne amplius ingrediaris in eum. Et clamans* spiritus, *et multum discerpens illum exivit.* Casus iste et alii in sacris litteris notati à causis supernaturalibus producti fuerunt ; sed vafri homines causis similibus, et phantasticis in textu enumeratis morbum istum semper tribuunt. Legi dignus est Hippocratis liber *de Morbo sacro* cum commentariis Antonii Ponce de santa Cruze, Archiatri hispani, in quo impostores isti jam Hippocratis ævo superbientes, insanientes acerrime perstringuntur.

(*b*) Mobilis illa faciei pars, quæ sub oculis ad mentum usque extenditur numerosis musculis constans, qui in singulis fere cadaveribus diversi reperiuntur ab anatomicis, et cujus partis sola mutatione pictores et statuarii omnes animi affectus exprimere noverunt, miro modo agitari solet ; hinc quandoque celerrima vicissitudine omnes animi affectus in his miseris exprimuntur. In brachiis, manubus, digitis fiunt omnes motus extensionis, flexionis, rotationis, pronationis, supinationis ; et cum pollex plures et validiores habeat musculos flexores et versus manum adducentes, quam reliqui digiti, hinc fortissimè so-

nunquam æmulatur motus, cursus, ambulationis, gyrationis, prostrationis, decubitus, erecti, rigidique corporis species.

1074 Omnes tamen hæ varietates tantum versantur in *mutatis* motibus (*a*) aliquarum partium mobilium, *adeoque* musculosarum; *ergo* tantum ponunt varias musculorum contractiones; *hinc* varios liquidi nervosi influxus; *inde* variam hujus á sensorio communi expressionem in nervos; *tandem* itaque varias causas in cerebri medulla has expressiones producentes:

let versus volam manus adduci, quod pro signo validi paroxyssimi habetur. Levitèr hanc digiti contractionem explicare non nocet; nimio conatu hoc tentari, imprudentissimum.

Interiores corporis partes etiam agitantur. Id docent ructus, borborygmi, vomitus, alvi et urinæ excretio insciis facta, seminis expresio. Vitales actiones quam maxime turbantur, pulsus initio sunt celeres, parvi; in fine vero paroxysmi majores, sed languidi, ac tardiores. Respiratio miris turbatur modis, quæ nixu valido peragitur.

(*a*) A simplici *motu mutato* musculi miro suo ingenio assurgit gradatim BOERHAAVIUS severissimi methodi geometricæ in Medicina necessariæ antistitis in causam hujus morbi primam. Discite tyrones optimi, et antesignanum istum pro vestro acumine imitari conamini.

Epilepsia morbus est sensorii communis, per quem potestas sentiens aboletur, potentia vero motus musculares excitans summos effectus præstat, absque conscientia et voluntatis imperio.

quæ optime noscuntur enarratione harum historica.

1075 Illæ autem sunt 1. hæreditariæ ex labe gentili Patris, Matris, parentumve, aut majorum, silente sæpe morbo in genitore, dum ex avo derivatur in nepotem. 2. Congenitæ, ex imaginatione (*a*) Matris gravidæ excitata per conspectum Epilepticum. 3. Cerebrum in integumentis suis, superficie, substantia, ventriculis male affectum, per vulnera, contusiones, abscessus, pus, saniem, ichorem, sanguinem, lympham acrem, fœtidam, excrescentias osseas cranii interni, intropressiones ejus, cartilagineam sinuum venosorum naturam, fragmenta, spinasve os-

(*a*) Certe nexus causæ in matrem agentis cum effectu observato in fœtu indagatu impossibilis. Hæc erit suficiens ratio illum pertinaciter, obstinate negandi? neutiquam. Galenus jam suo tempore de hac re conquerebatur dicens: *multi Medici rerum, quæ manifestè conspiciuntur causas reddere nequeuntes eas esse omnino negant* (de locis affectis libro V. cap. III.) Plurima exempla possent adduci istius ignorantiæ in rebus veri facti sed hac in re narratur surdo fabula (vid. instit. med. §. 694. num. 9.) Narrat hic van-Swieten casum venustissimæ puellæ erucam sub collari nudæ cuti insidentem in cervice gestantis, quam à matre gravida hauserat, cui in horto deambulanti eruca ex arbore in cervicem deciderat, illamque ægrè inde amovere potuerat. Ridet suam in his credulitatem ridentes.

sium ; vel instrumentorum lædentium meningas , cerebrumve , argentum vivum (*a*) ad cerebrum quacunque via delatum. Idem cerebrum affectum male per inflammationem , corruptionem , erosionem meningum , à carie ossis , bile atra , gummatibus venereis. Has autem causas juvant omnia , quæ liquidorum in cranium affluxum augent , ut sunt , plethora , motus , calor, ebrietas, epulæ, venus (*b*), ingenium perspicax , altum , meditatio profunda , affectus animi ingentes , imaginatrix vis ingens, terror , metusque in primis. 4. omnes violentæ (*c*) affectiones generis nervosi, ut sunt magni et periodici dolores , passio hyste-

(*a*) Remedio isto magna semper circunspectione utendum : nullum tamen medicamentum aliud in manibus ineptis empiricorum , barbitonsorum . . communius. Proh dolor!

(*b*) Parvus quidam morbus comitialis coitus est. In coitu extincti (de quibus Marc. Donatus (Med. Hist. mirab. cap. 18.) epilepsia absdubio periere.

Meditatio profunda maxime caput afficit , præsertim uni, eidemque cogitationi inhærens. Optimæ spei pueri in pessimam , et incurabilem epilepsiam incidere possunt , et frequenter incidunt dum morosi præceptores urgent, ut absque ulla fere interpolatione studiis incumbant : dumque credulos parentes vana spe portentosæ filiorum eruditionis lactant , turpissime tantis excidunt promisis dum miseros discipulos epilepticos reddunt , quandoque et tota vita hebetes , et fatuos.

(*c*) Puella sanissima, dum joci gratia sub plan-

rica (*a*), rosiones et irritationes à lumbricis, dentitione, acri humore, lacte caseoso, acri, acido infantum, meconio, contagio variolarum, cardiogmo, ulcerosa materie alicubi hospitante, inedia, crapula, acribus potulentis, esculentis, medicamentis, venenis. 5. ab interceptis nonnullis, quæ

tis pedum invitam et immotam titilasent diu quædam puellæ paroxysmo epileptico correpta fuit, tota vita pertinaciter repetente. Turbato semel sensorio communi per nervos in extremis corporis partibus positos retinetur impressa quasi talis diathesis, quæ postea à pluribus aliis causis accedentibus paroxysmus epilepticus renovatur. Caveant puellæ ludibundæ ab istis titilationibus (vulgo *Cosquillas*) mutuo producendis. Medicus hujus periculi conscius istas severe moneat et absterreat. Quid sit latens ista diathesis sensorii communis, quæ prædisponens causa epilepsiæ est, ignotum. Helmontius cum in nulla re sensibili eam inveniret suo stilo emphatico pronunciavit: *sigillatur in idea entis activi, et constantis per totam vitam.*

(*a*) De affectione ista in Appendice tractabitur. Hic unice dicendum nervos per abdominalia viscera, uterum præsertim dispersos inordinatos tales motus pati posse, qui postea totum cerebrum turbent, et pessimas convulsiones producant. Aliquando in paroxysmo hysterico mens constat, omnia audiunt, intelligunt, nulla spuma ex ore prodit . . quibus distinguitur ab epilepsia, in qua sensus interni, et externi abolentur; interim tamen affinia admodum hæc mala sunt, et passio hysterica sæpius observata fuit in epilepsiam mutari.

olim excerni solebant, sanie, pure, menstruis, lochiis, hæmorrhoidibus, urina. (*a*) 6. fumis nonnullis paroxysmum integrantibus, fomite alicubi hærente, unde sensu elevatæ auræ (*b*) adscendens cerebrum petit.

1076 Quæ omnia (1075.) historia observatorum (*c*), et incisio cadaverum docuit.

1077 Effectus hujus morbi reduci possunt: 1. ad mala corrupti tot violentis et repititis convulsionibus cerebri, unde vacillatio memoriæ, hebetudo, stultitia, pa-

(*a*) Fere omnes, qui Ischuria pereunt soporosi, et convulsi moriuntur, quia retinetur urina, per quam naturaliter eluuntur de corpore sales et olea acriora sanguinis, unde producuntur capitis morbi.

(*b*) Epilepsia ista sympathica est, et aliquando observata. Fomes ille epilepticus dum prima mali indicia exhibet ligatura supra ipsum impediendus ne cerebrum petat, ita loco suo permittente; alias ferro, igne, vel alitèr destruendus.

(*c*) Causa epilepsiæ adeo latere potest, ut nullis sensibus detegi possit, nec per cadaverum incisionem. Quis dabit rationem quare nobilis fœmina toto graviditatis tempore epileptica esset dum marem utero gestaret, minime vero si sequioris sexus fœtum? Ne autem fortuito casui hoc adscribatur tres pueros peperit semper epileptica, usque ad partum, quinque autem puellas enixa fuit toto graviditatis tempore ab hoc morbo libera (La Motte. Traite complet des Accouchemens. Tom. I. Pag. 423. 427.)

ralysis, apoplexia, mors. 2. ad mala nervorum et musculorum, unde horum, et artuum contractiones, distorsiones, deformitates. 3. à violento spasmo inflammatio, gangræna, nigredo (*a*) partium sanguinolentarum, maxime quæ supra musculos sitæ sunt. 4. ad secretiones quasdam in impetu paroxysmi vi factas; cibi, potus, lymphæ, bilis, spumæ, muci, salivæ, sursum rejectio; fœcum alvi viridium, seminis, urinæ per inferiora egestio; sanguis utraque via secretus huc spectant.

1078 Inde intelligitur, quæ hæreditaria? cur ea nunquam sanabilis? quæ idiopathica? cur raro curabilis? quæ sympathica? cur sæpe curabilis?

1079 Atque etiam liquet, diversissima remedia, diversissimam curandi methodum ad hunc morbum requiri, pro nota varietate causæ, materiæ peccantis, loci, (*b*)

(*a*) Cadavera epilepticorum in ipso paroxysmi vigore suffocatorum horrendam sæpe speciem referunt. Sanguis tunc vasa cutanea urget, in tunicam cellularem effunditur, hinc superficies corporis nigra apparet, in primis facies, palpebræ, et labia. Hæc vidit Boerhaavius in puero hoc morbo defuncto, et vix persuadere potuit mœstis parentibus, quod à naturalibus causis tam horrenda mala produci potuerint.

(*b*) Aura ex pede assurgens in ipso pede suffocanda. Capitis ulcera siccata renovanda ibidem. Menstrua, hæmorrhoides retentæ denuo

ad quem applicatio remedii, per quem eductio mali fieri debet.

1080 Causa enim prima et secunda, in mala conformatione solidorum consistens (1075. N. 1. 2.), vix ullam suscipit radicalem medelam; paroxysmorum autem renovantes causas, utpote renatas assidue, tollere tuto (*a*) potest Medicus: unde hæ,

provocandæ. Hæmorrhoidarios magis juvant bina cochlearia sanguinis per hæmorrhoides excreta, quam libra ex vena alia incisa educta.

(*a*) Maxime considerandum duplicem hujus morbi curationem debere esse; vel radicalem, quæ illam causam proegumenam latentissimam sæpe delere valeat; vel eam, quæ manente causa proegumena tollit, vel cavet causas procatarcticas, seu occasionales. Prima difficilima: secunda difficilis quoniam operosa. Verum enim est illas causas occasionales numero fere infinitas esse, et in singulis ægris sæpe diversas; adeoque attentissimam et diuturnam sæpe requirere observationem. Hoc autem tædium devorandum est Medico si miseris illis succurrere velit. Certum est Medicos luculenta praxi obrutos sæpe deficere in cura hujus morbi, cum tempus ipsis non sufficiat ut singulari ægro tantam curam impendant: verum et doluerunt toties ægrorum custodes observasse illa, quæ ipsi neglexerant non sine famæ, imo conscientiæ damno. Credo firmissime, ait van-Swieten. si omnem animi attentionem adhiberent hic Medici quod sanarent plures epilepticos, et levamen adferrent fere omnibus. Galenus merito comparavit paroxysmum recrudescentem renovatæ quasi memoriæ silentis illius dispositionis epilepticæ.

quæ infinitæ, nec nisi observando cognoscendæ indagari debent sedulo, dein pro sua natura curari.

1081 Tertia (1075. N. 3.) cognoscitur ex symptomatibus aliis læsum simul cerebrum designantibus, ut est dolor, gravitas, plenitudo, læsio capitis antecedens, vertigo, tremor universalis, scintillæ oculorum, eorundem immobilitas, circumgyratio totius capitis, vel et corporis. Hujus causa solida vix tolli potest, quia vix cognoscitur singularis: revellentia, discutientia, viam parantia, depurantia juvant: hinc venæ sectio, purgatio, vomitus, inustio(*a*), fonticulus, fistula, epispasticum, vulnus capitis, cranii perterebratio, antihysterica, opiata prosunt: ex quibus quid

Quemadmodum igitur jam illæ ideæ, quarum memoria magno temporis spatio non renovatur in nobis sensim delentur, et evanescunt quasi, ita et aliqua spes est diathesin illam epilepticam in sensorio communi hærentem, diu silentem, nec excitatam per causas occasionales sensim deleri posse, vel saltem sic disponi, ut minus facile á causis ocasionalibus in actum educatur.

(*a*) Crudelis certè medicina est capitis variis in locis *inustio*; ast malum alias fere insanabile cauteriis nedum potentialibus, sed actualibus aliquando debellatur. Remedium istud occipitio applicatum plurimos infantes epilepticos Florentiæ sanavit Rondelecio testante, et Aquapendente confirmante. (River. *De Epilepsia puerorum.*)

eligi debeat, docebit inventa mali causa proxima (1079).

1082 Quæ à causa quarta (1075. N. 4.) fit, ea tractanda erit variè pro varietate suæ causæ proximæ: hinc anodyna (*a*), paregorica, narcotica; antihysterica; anthelmintica; demulcentia et corrigentia acrium; incisio apta gingivarum; ablatio, correctio materiæ ulcerosæ, tunc fiunt antepileptica.

1083 A quinta causa (1075. N. 5.) ortæ epilepsiæ medela fit solvendo materiem immobilem, laxando vias, expellendo: hinc vesicatoria, caustica, fonticulos, et fistulas producentia; aristolochica; emmenagoga; hæmorrhoidas aperientia; diuretica toties contra hunc morbum prosunt.

1084 Quæ autem à causa sexta (1075. N. 6.) oritur, tolli poterit, sanata debilitate (*b*) generis nervosi nimis facile movendi, quod exercitio motus, lusus, equitationis, vectionis; assumptu aromatum; usu

(*a*) Violentæ affectiones generis nervosi narcotica exigunt; sicuti vermes anthelmintica, et sic de cæteris causis remediis peculiaribus debellandis.

(*b*) Nonulli fumi paroxysmum integrare creduntur v. gr. Gagatis, qui quomodocumque sit prudenter evitandus. Hoc semper indicat genus nervosum debilitate, atque sensilitate nimia laborare, quæ debitis remediis corrigendæ.

chalybis, et corroborantium optime fit: tum etiam loci fomitis exulceratione artificiosa, profunda, diuturna, inducta cæsim, causticis, vesicatoriis; dein autem apertis retentis diu per suppurantia corrosivis mista: tandem ligaturis nervum comprimentibus affectum.

1085 Ex his vanitas apparet omnium specificorum, et methodorum, quæ inanis jactantia (*a*) contra hoc malum laudat.

1086 Et patet quidem, causam proximam omnis Epilepsiæ exquisitæ semper esse nimiam cerebri in nervos motorios, nullam in sentientes actionem. (*b*)

(*a*) Malum istud fœdum, terribile, insuperabile . . coegit homines probos, litteratos . . ad sanationem, paliationem, evitationem, dilationem utcumque consequendam. Empirici osores, avari, impii, jactatores . . inutilia, barbara, fœdissima, horrenda . . effuderunt, quæ referre pudet. Non sine indignatione certe videmus, ait hic van-Swieten. publicorum dispensatoriorum formulis antepilepticis fœda plurima misceri. Ungula Alcis inter ostenta ista eminet! Ferox ista Bestia rarissime hominibus occurrit, creditur epilepsiæ obnoxiam esse, et pedis dextri ungula externæ auriculæ immissa à paroxysmo resurgere. Inanis fabula, quam credat judeus apela Horatii.

(*b*) Observationes practicæ satis evincunt primam originem sensuum distinctam esse in nobis à prima origine motuum. Alterutrum ergo ex his affici potest altero manente incolumi; adeoque diversam sedem debent habere in sensorio

1087 Atque causas, quæ reciprocos paroxysmos creant, numero et varietate plurimas (*a*) esse.

communi. Paralysis historia, et epilepsiæ exquisitæ id evincunt. In hac omnes sensus interni, et externi abolentur, adeoque paroxysmi tempore cerebrum in nervos sentientes nullam actionem exercet; motus autem fiunt summi, et quidem longe violentiores quam in sanitate ab eodem homine exerceri potuissent; adeoque actio cerebri in nervos motorios nimia est. In fine autem paroxysmi etiam afficitur origo motuum; nam cessare tunc solent convulsiones, et sequitur profundus somnus cum stertore ut in apoplepticis adesse solet; et qui ex paroxysmo epileptico pereunt, fere semper moriuntur apoplectici.

Observatur quandoque in hominibus cæterum sanis sensus omnes sopiri, manente tamen motu musculari corporis, quod iterum docet sensuum, et motuum origines in sensorio communi sic dispositas esse, ut una possit cessare ab omni actione dum altera pergit agere. In somno naturali sopiuntur sensus et motus; verum in *Somnambulis* sensus dormiunt, non autem silent motus, quorum somnambulorum exempla numerosa in historia Medica habentur.

(*a*) Morbus iste in suo caractere remediis directis hucusque infeliciter resistit. Causæ procatarcticæ reciprocos paroxysmos creantes consideratæ hactenus: dispositio tamen illa infamis sensorii communis inaccessa superbit! Mutatio maxima totius corporis tentata fuit, ut presens corporis epileptici constitutio immutaretur . . quæ non mediis fundentibus, ima summis aproximantibus . . sed mutatione aeris, victus, locorum . .

1088 Tandem vero spasmi (*a*) singularis, opisthotoni, emprosthotoni, tetani universalis origo, natura, effectus, sanatio, sponte patent; quum sint modo species Epileptici insultus singularis.

procuranda. Quartana febris morbum istum celare; ejus pertinacia sanare creditur. An quando supervenit relinquenda? An procuranda? Purgantia et emetica, mercurialia, et antimonialia valida suspecta, infida. Moschus, Opium, Camphora, Assa fœtida, Oleum animale Dipellii, Flores Zinci, Ens vel sal ammoniacum veneris.. Cardamine, Valeriana, Viscum, Cortex Peruvianus, Aurantiorum folia.. pro specificis hujus mali proponuntur. Vegetabilia ista ultima fere innocua sunt, sed infausto insuficientia; reliqua in manu prudentis medici proficua utcumque esse poterunt; in manu homicida empiricorum ensis sunt, in manu furiosi, immanis, truculenti!

(*a*) *Spasmus* græce, latinè *convulsio*, *conductio* vel *nervorum Distentio*, cujus species: Tetanos, Emprosthotonos, et opisthotonos alibi (Inst. med. §. 864.) explicatæ. Hic addendum, quod musculo in contractione manente, aut saltem paulatim se retrahente dicitur *convulsio tonica*; si vero contractio et retractio mutuo, et citò sibi invicem succedant *convulsio clonica* nominatur. Cullenius spasmum à convulsione distinguit, spasmum dicens esse convulsionem tonicam; et convulsionem clonicum spasmum (N. 1254.) His convulsionibus particularibus addendus *Trismus*, qui est: *maxillæ inferioris convulsio*, *vel tonica*, *vel clonica*. Musculi maxillam deprimentes alibi notati (Inst. med. §. 61.) Nervi sunt maxillares, sympatici.. Hujus species variæ, cujus præcipuæ sunt: Tris-

MELANCHOLIA. (*a*)

HYPOCHONDRIASIS.

1089 Melancholia vocatur Medicis ille morbus, in quo æger delirat diu, et pertinaciter, sine febre, eidem fere et uni (*b*) cogitationi semper affixus.

mus nascentium, traumaticus, spasmodicus, capistratus, verminosus. Considerandæ hic etiam sunt : *Raphania*, quæ est : *articulorum contractio spastica cum agitatione convulsiva, dolore violentisimo periodico*, et *Eclampsia*, quæ est : *Epilepsia puerilis clonica acuta* (quo ab epilepsia ut chronica difert) *cum sensuum in paroxysmo feriatione*, cujus species præcipuæ sunt verminosa, stomachica, exanthematica, à cicuta, à dentitione.

(*a*) Sauvages. Clase VIII. Ord. II. Gen. XIX. *Melancholia.* Species : vulgaris (*Pictores, Poete, Zelotypi*), amatoria, (*amor insanus*), argantis, (ægri imaginarii). Moria (læta et jucunda, Moria Erasmi), attonita (stupida), errabunda, saltans, (choræa) anglica (tædium vitæ), zoantropia, entusiastica.

Cullenius Clase II. Ord. IV. Gen. 66. *Melancholia.* Character : insania partialis sine dyspepsia. Species : delirium melancholicum : nostalgia : nervea cl. Lorry : hysterica : verminosa.

(*b*) Melancholici circa hanc, illamve opinionem delirant tantum ; in reliquis omnibus sanam ostendunt mentem, et sæpe acutissimum ingenium. Hæc deliria *partialia* dicuntur quorum varia, et mira exempla frequenter observantur.

1090 Hic morbus oritur ex illa sanguinis et humorum malignitate, quam bilem atram dixere Veteres; et rursum idem morbus à mente initium ducens brevi in corpore bene sano ipsam bilem atram facit.

1091 Ideo opus hic erit paucis ideam pingere mirifici hujus mali, et de quo tam obscura doctrina habetur, ut injusti criminis rea agatur Antiquitas. (*a*)

1092 Si in toto sanguine mobiliora dissipata reliquerint immobiliora unita, tum ille erit crassus, ater, pinguis, terrestris. Ei vero nomen dabitur *humoris atrabilarii*, vel *succi melancholici*. (*b*)

1093 Cujus (1092.) causa, omne id quod mobiliora expellit, reliqua figit: vehemens mentis exercitatio, noctes atque dies in unum fere objectum occupata; pervigilium; animi motus magni, sive hilaritatis (*c*), sive mœstitiæ, magni et operosi

(*a*) Veteres Medici non imaginariam hujus morbi causam statuerunt, *atram bilem* in visceribus congestam, stagnantem, vel tardius motam designantes. Recentiores sanguinem concretum mora in ventriculo, vel intestinis corruptum, et nigricantem hujus loco admittunt.

(*b*) Hæc est illa cacochymia, quæ *atrabiliaria* dicitur, quæ lento gradu nascitur, et augetur.

(*c*) Licet tristitia et animi mœror ut plurimum hunc morbum comitentur, non semper et absolute adsunt. Horatius melancholicum hilarem producit (lib. II. epistol. 2.) Hilaritas perspiratio-

motus corporis multum repetiti, in primis in aëre valde sicco et calido admodum; eo et immodica venus; cibi austeri, duri, sicci, terrestres, cum quiete et torpore corporis diu assumpti; potus similes; huc fumo, aëre, sale induratæ animalium partes, maxime durorum et annosorum; fructus immaturi; farinacea non fermentata, medicamenta adstringentia, coagulantia, figentia, refrigerantia, venena lenta, similia; febres calidæ diu hærentes, sæpe repetentes, sine bona crisi, et sine diluentibus abeuntes.

1094 Ubi jam in cruore (*a*) id malum

nem auget, et humores ita liquidissima parte orbantur. Immodica venus præsertim vetita mordaces animi curas, luis venereæ metum . . incutit. Utinam Deum ultorem hi metuerent et præcaverentur. Febres calidæ sudoriferis multis, et refrigerantibus paucis tractatæ sanguinem olim exurebant. Nos tempora vivimus feliciora.

(*a*) Triplex melancholiæ gradus à Boerhaavio sapientissime describitur. Agitur hic de primo, in quo universalis humor per vasa circunductus à prædictis causis hae cacochymia depravatur. Omni cura cognosci debet: illico efficaci medela succurrendum, alias mora, atque neglectu gradatim pejor, et curatu difficilior redditur. Minor humorum per lateralia vasa secretio in hoc morbo alios præexistentes tollere, vel minuere poterit. Hydropem abdominis sanasse melancholiam asserit Cel. Richard. Meadius.

Affectus animi præcipuè hunc morbum com-

(1092.) per suas causas (1093.) natum adhuc omnem circumeuntem humorem æquabiliter inficit, producet aliquos morbos statim conspicuos, qui fere sequentes: color externus, internusque, primo pallidior, flavior, magis fuscus, livescens, niger, cum maculis similibus; pulsus lentior; frigus majus; respiratio lenta; circulatio per sanguinea vasa bona, per lateralia parcior, minus bona; hinc humorum secretoriorum et excretoriorum omnium minor, tardior, crassior, exitus; minor consumptio; parcior appetitus; macies; mœstitia; solitudinis amor; affectus animi quicunque pertinaces, magni; in reliquis *adiaphoria*; torpor ad motus; summa tamen simul studii cujusque et laborum constantia.

1095 Habet ergo pro materie terram et oleum spissum sanguinis unita, com-

mitantur. Pertinacia unius ideæ gratæ, vel ingratæ hunc morbum facit. In reliquis, quæ non spectant illud unicum circa quod delirant, sapienter sæpe raciocinantur, sunt enim illis res *adiaphoræ*, id est nec placentes multum, nec displicentes. Affectus isti uni, et eidem ideæ pertinaciter adherent, hinc nulli citius proficiunt in studiis quam melancholici, qui constanti mentis attentione idem objectum considerant, cum aliis comparant, tumque judicium formant ex pluribus ideis inter se mutuo collatis per attentionem præsentibus redditis menti.

pactaque simul (*a*): quæ prout liquidiore, blandiore, diluente parte magis privata, quoque ipsa magis condensata, tenacius mista, et diutius nata, eo effectis pejor, eo curatu difficilior est.

1096 Inde diagnosis, et prognosis (quæ clarior ex sequentibus) patent, quin et sanationis ratio hinc constat.

1097 Statim enim ac initiis primis (1093. 1094.), causa, effectuve se prodit, animo assidua objectorum variatio (*b*) concilianda, et quidem ipso ignaro; eligenda autem, quæ affectui prædominanti oppositum in ægro creare solent; diluentibus, demulcentibus, paregoricis, narcoticis, quiete conciliandus somnus est; aëre utendum humido tepescente; cibi dandi leves, liquidi, sanis humoribus similes, re-

(*a*) Analysis sanguinis exactior apud recentes chemicos quærenda.

(*b*) Hæc non meliùs obtinebitur quam per itinera. Aquæ minerales ex ipso fonte haustæ virtute sua, et longo itinere, quod impenditur valde prosunt. *Fructus horæi* bene maturi blanda vi solvunt, alvum laxant, et melancholicam saburram expellunt. Cerasa, fragæ . . magna copia sumpta diarrhœam, qua fœx atrabilaria ejicitur, producunt. Pane et aqua sumendi fructus isti. Serum lactis graminei cum melle affatim sumendum. Cucumeres, qui tamen apud plurimos tam male audiunt ab Hoffmanno (Med. Rat. System. tomo IV. part. 4. cap. 8. pag. 238.) commendantur.

centes, blandi, vi leni saponacea laxantes, atque in horum usu diu persistendum; medicamenta danda diluentia, acre demulcentia, oleosum terrestre resolventia, vasa laxantia, leni stimulo expellentia, ut succi bene maturorum fructuum horæorum, mellita, olera, juscula ex his confecta; aquæ minerales; potus optimus ptisana mellita leviter; abstinentia sedula à causis mali (1093.)

1098 Si autem illa ipsa materies (1092.) per easdem causas (1093.) magis densa, tenax, immobilis reddita est; necessario in vasa hypochondriaca (*a*) depelletur: id

(*a*) Ex Physiologicis noscenda vasa, et viscera hypochondriaca. Leges hydraulicæ motum partium mobiliorum præ viscidis mensurantes aliquod subsidium adferent. Sedentaria vita studiis pertinaciter inhærens incurvo corpore abdomen apprimendo mensæ, cui assident litterati ad remoram istam disponunt.

Congesta materie ista atrabilaria adest jam alius morbus *hypochondriacus* dictus cum materie à spasmodica anxietate hic etiam hærente. Hic morbus hypochondriacus est secundus Melancholiæ gradus, qui ita dicitur quando humor atrabiliarius abdominalia viscera obsidet distinctus à priori, et aliis symptomatibus stipatus.

Morbus iste hypochondriacus tamquam à Melancholia distinctus diversis capitibus à variis Auctoribus pertractatur. Pro tyronibus inuendum Cullenium hos morbos distinguere in eo quod in Melancholia dyspepsia non adest, et est insania, in morbo hypochondriaco dyspepsia adest.

enim natura hujus humoris, situs et conditio horum vasorum, et leges hydraulicæ docent. Inde sensim hic hærebit, accumulabitur, stagnabit : tum vocatur *Morbus Hypochondriacus*, (*a*) lienem, ventriculum ; pancreas, omentum, mesenterium obsidens.

1099 Hinc ibi producit sensum assidui ponderis, anxietatis, repletionis (*b*), maxime ab assumptis, cibo, potuque ; respirationem ob gravata viscera abdominalia difficilem ; bilis utriusque, pancreatici, stomachici, intestinorum, mesenterii succi in confectione, secretione, permistione, efficacia in cibis, impedimenta ; inde digestionem primam omni modo læsam (*c*);

(*a*) Sauvagesius Clase VIII. Ord. I. Gen. 5. *Hypochondriasis*. Species : biliosa, sanguinea, melancholica, pituitosa, hysterica. .

Cullenius Clase II. Ord. II. Gen. 46. *Hypochondriasis*. Character : dyspepsia cum languore, mœstitia, et metu ex causis non æquis in temperamento melancholico. Hæc est ; morbus hypochondriacus Boerhaavii, et malum hypochondriacum Hoffmanni. Speciem idyopathicam unicam tantum admittit, et hæc est Hypochondriasis melancholica Sauvagesii : reliquas hujus Auctoris species parvi pendens.

(*b*) Quando acidæ acrimoniæ particeps est illud tenax atrabiliarium, sepe famelici sunt tales ægri, et ab assumptis cibis quam maxime gravantur.

(*c*) Hæc est dyspepsia à Cullenio tanto molimine pertractata. Bosquillonius asserit hanc ab

esculentorum corruptionem in crudum acidum, si ex vegetabilibus, in putridum alcali, rancidumve oleosum, si ex animalibus; hinc ructus, flatus, spasmos, adstrictam alvum, fœces induratas; iterum pejorem gradu, quam prior (1094.); omnia mala (1094.) jam pejora.

1100 Ubi jam eousque adolevit (1098.) et per effecta sua (1099.) se manifestavit, summa ope nitendum in curationem, quia aliter tetra mox oritur mali indoles; difficultas autem maxime vitanda hæc est: si malum perseverat, fit incurabile, et sæpe letale, ut in sequentibus liquebit: si evacuantibus pugnatur, sani, et facile mobiles humores expelluntur, tenaces malique hærent, unde pejor morbus: si per stimulantia et solventia valida tentatur (*a*), sæpe subito soluta materies acris fit, et impetu magno ruens in tenera vasa hepatica, ea destruit, unde multa, et immedicabilia mala.

1101 Hinc 1. lente mobilis reddenda materies est, indagando naturam prædominantis acrimoniæ; tum dando medicamenta saponacea (*b*), in quibus prædomine-

hypochondriasi non nisi per affectionem spiritus discriminari. Nota 3. in Num. 1191. Elemen. de Medicin. pract.

(*a*) Humor melancholicus mitiora respuit et à fortioribus efferatur. Ita veneranda Antiquitas meritò pronunciabat.

(*b*) Sapo dicitur salis cum oleo arcta unio,

tur acrimonia opposita illi, quæ in illo humore adest; in his pergendum, donec pulsus inæqualis, debilisque, nausea, tenesmusve, anxietas, febricula, signa dent motæ materiei; tum 2. statim leni laxante purgatione; clysmate simili, sero lactis, aqua minerali, similibusque expellenda est.

1102 Verum si eadem illa materies (1098.) jam fixata, compactaque, ibi diu hæsit, ipsa acris fieri incipit, et rodens, per stagnationem, motum viscerum, calorem ambientium; nova assiduo aggeritur, quia jam obstructio facta est, et causæ eædem perdurant; hinc mole aggesta, acrimonia nata, motu assiduo, vasa extendit, rodit, corrumpit; inde lienis, stomachi, pancreatis, omenti, mesenterii, intestinorum, hepatis, similis destructio; adeoque omnia mala (1099.) priora multum auget, maxime vero assiduo putrefacti vapore venis recepto omnes functiones, in primis cerebri(*a*), perturbat. Tumque vocatur vero nomine *Bilis Atra.*

ita ut compositum ex his binis æquabiliter aqua dilui possit. Sapones sunt prout sales: alcalini, vel acidi, et ut olea: crassa, vel ætherea. De his egit Med. Doct. Bassianus Carminati. Opusc. Therap. I.

(*a*) Dictum fuit (1090.) atra bile in corpore nata mutari cogitationes. Mœstitia, delirium, furor . . ab ista bile atra nasci possunt, licet nullus ex ea vapor caput petat.

1103 Quæ deprehensa per hæc ejus signa data (1093. 1094. 1099. 1102.), non nisi prudentissima arte eliquari, moveri, educi potest, ob difficultates (1000.) hic adhuc majores, et facile excitandam, dein vero vix moderandam morbi acerrimam materiem : hinc sit omnis victus oppositus acrimoniæ in humore prædominanti cognitæ ex (1051.), sit ille idem semper leniter solvens, stimulans, laxans alvum, paucas fœces à digestione relinquens; potus, vel ex ptisana mulsa, vel ex succis horæis, vel ex sero lactis sit; motus corporis sit levis, continuusque; calor admodum temperatus; somnus multus; balnea, fomenta, clysmata (*a*), potus in crebro usu sint ex his, quæ sine acrimonia, diluendo, solvendo, abstergendo,

(*a*) Per clysmata possunt injici remedia solventia, quæ diu retenta per absorptionem à venis intestinorum directe ad hepar veniunt vix mutatis viribus. Evacuationes illæ, quibus lente per alvum ista bilis evacuatur, tutissimæ sunt. Si his præsentibus bono, et idoneo nutrimento vires conservantur, et augentur, ægri obstinata medicatione non gravandi. *Naturæ remissionem* (ait Aetius lib. VI. cap. 10.) *dare oportet : videtur enim una cum curationibus vexari ; in quiete vero invalescere et superare morbos jam attenuatos antea.* Optimum, et sapientiæ veterum Medicorum respondens documentum, Professoribus, aptius Empiricis officiosis, et osoribus merito inculcandum!

macerando, materiem eliquent, et dein quam lentissime et prudentissime excernant, via à natura præmonstrata, habita semper ratione acrimoniæ singularis, quæ simul adest.

1104 Id autem malum (1102.) ad magnam jam acrimoniam provectum, cum visceribus jam valde corruptis, si durantibus iisdem causis (1102.), dein motu musculari; calore solis, ignisve; victu acri, copiosoque; medicamentis acribus valide moventibus, cum acrimonia mali effervescentibus; venenis simili actione lædentibus; vel tandem morbis nonnullis validis (*a*) movetur, tum acrior, mobilis, et jam agens reddita, vasa sua rumpit, cor-

(*a*) Causæ atram bilem *turgentem* reddentes vitari debent v. gr. nimius calor, medicamenta valida . . Febris ipsa tertiana simplex in corpore melancholico præsertim atram bilem movere poterit, tumque periculum non à febre sed à bilis atræ motu desumendum. Hoc sensu Hippocrates pronunciavit: *febricitanti si atra bilis in principio sursum aut deorsum prodierit letale* (*Coac. Præn. Num.* 71.) Generalius in aphorismis (IV. 22.) *Quibuscumque morbis incipientibus si bilis atra sursum, aut deorsum prodeat letale.* Hæc bilis atra turgens sedulo distinguenda ab humore *nigro* simpliciter apelato, cujus evacuatio non raro salubris observatur. Hic humor dicitur melancholicus mitis temperamentum melancholicum constituens, seu efformans Hispanis, utpote Virorum ingeniosorum proprium, familiare.

rumpit, putrefaciendo resolvit, cum atra bile ipsa in vomicas putrefactas mutat; jam est *bilis atra turgens*: hæc jam hucusque provecta, si liquefacta in suis vasis, mota versus hepar, in exesos venæ cavæ ramulos serpens, cordi infertur, damnosa illa mala producit: si enim de acido coagulante participat polypos cordis, pulmonis, aortæ, carotidum, horum mala, mortem creat. Si in cerebum perrexerit, apoplexiam, paralysin, catalepsin, epilepsiam, deliria, maniam, pessimi generis, et fere immedicabiles, producit. In genere arterioso omnia mutat, febres immanes, brevi omnia putrefacientes profert: si de alcali putrefaciente participat, gangrænas subito letales, ubicunque impegerit, ibi nasci facit. Unde infiniti morbi in toto corpore, et qualibet ejus parte, non curabiles, nisi hoc fomite extincto: si autem ruptis viscerum vasculis elapsa materies cava peritonaei occupat, debilitas mox exoritur ingens, et insuperabilis, putrefactio acris elapsi, ejusque accumulatio; tum erosio gangrænosa omnium abdominalium viscerum, unde mirabilia phænomena; Tympanitis; mors cum fœtore immani: si autem mota ruerit in jecur, indeque per exesa et dilatata vascula biliosa in vesicam fellis, ductum hepaticum, communem, in intestina, facit nauseas, vomitus, dysenterias atrabilarias, cum anxietate,

impetu, dolore, rosione, intolerabilibus, unde inflammationes, exulcerationes, putrefactiones intestinorum, stomachi, œsophagi, faucium, oris, inde convulsiones terribiles, tandemque placida fere mors, gangrænam, adeoque indolentiam, sequens omnium.

1105 Materies vero sic reddita (1104.), una cum tenacitate summa et fere picea simul habet acrimoniam acerrimam acidam, quæ metalla rodat, terram fermentet, aut alcalinam salinam, corrosivam quammaxime; aut oleosam putrefactam, omnium teterrimam. Quæ singulæ species, unde oriantur, quomodo cognoscantur, qui curentur, supra satis demonstratum habetur (58. ad 107. 1051. 1052).

1106 Atque facile patet consideranti dicta (1000. 1003. 1004.), et situm, structuram, circulationem viscerum, in quibus hæret hic malignus humor, morbum turgentem curatione majorem: diluentia cum opposito acri ad acre prædominans, et opio, primaria sunt.

1107 Ex quibus (1090 ad 1107.) jam facilis intellectus melancholiæ descriptæ (1089.), malique hypochondriaci; nam liquet à diuturna moestitia prægressa, vasa viscerum abdominalium stricta creare stagnationem, mutationem, accumulationem bilis atræ (1092. 1093. 1095. 1098. 1102. 1104.), sensim increscentem, licet

corpus fuerit paulo ante quam salluberrimum : Iterumque natam ex corporeis causis eandem bilem atram producere illud delirium (1089).

1108 Evidentes ergo causæ Melancholiæ (1089.) observatæ sunt : 1. omnia, quæ liquida cerebri nervosa figunt, exhauriunt, perturbant; ut summi terrores, iique subitanei, studia accerrima cujuscunque objecti, amor ingens, vigiliæ, solitudo, metus, affectio hysterica. (*a*) 2. quæ sanguinis confectionem, refectionem, circulationem, secretionem, excretionem variam impediunt, perturbant, maxime in liene, stomacho, omento, pancreate, meseræo, intestinis, hepate, utero, hæmorrhoidalibus vasis; adeoque morbus hypochondriacus, acuti male sanati, præ-

(*a*) Inter causas melancholiæ assignantur hic affectio hysterica, et morbus hypochondriacus. Hi duo morbi quatenus spasmodici, atque flatuosi distentiones ventriculi, et intestinorum frequentes producunt, quæ liberam humorum circumductionem per hæc viscera multum turbant.

Ingenium acre penetrans altum hunc morbum frequenter producit. Acri enim, et penetranti ingenio prædíti ideo frequenter in hunc morbum incidunt, quia vehementibus mentis exercitationibus apti, illis indulgent, sicque mobilissimam sanguinis partem consumunt. Isti absdubio sunt Hispani in morbos istos melancholicos adeo proni van-Swietenio ipso hic asseverante.

primis phrenitis, caususque, omnes secretiones, et excretiones nimiæ, cibi potusque frigidi, terrestres, tenaces, acerbi, adstringentes, æstus ingens diu protractus et exassans cruorem, aër stagnans, palustris, umbrosus. 3. nativa corporis indoles, nigra, hirsuta, sicca, gracilis, mascula, ætas media, ingenium acre, penetrans, altum.

1109 Si morbus hic (1089.) diu perseverat, producit dementiam, epilepsiam, apoplexiam, maniam, convulsionem, cæcitatem, imaginationes mirificas, risus, ploratus, cantus, suspiria, ructus, flatus, anxietates, urinam copiosam, limpidam instar aquæ, alio tempore valde crassam, sanguineæ fœcis in vasis viscerum abdominalium retentionem, accumulationem, subitaneam sæpe excretionem, alvum pertinaciter stipticam, sputationem (*a*) tenuem, frequentem, vigiliarum, inediæ, frigoris tolerantiam incredibilem.

(*a*) Ob hanc causam melancholici vocantur *sputatores*. Nocet autem frequens talis sputatio ut signum, et ut causa. Significat enim vasa abdominalium viscerum infarcta esse, simulque copiosa talis tenuis sputi excretio orbat sanguinem liquidiore, et mobiliore parte; adeoque morbum auget. Nisi certissima observata docerent, omnem fidem superare videretur *tolerantia frigoris, vigiliarum, inediarum*.. in melancholicis, et omnium maxime ubi jam maniaci evaserunt.

1110 Attulit sæpe curationem superveniens scabies (*a*) fœda, aliquando Elephantiasin æmulans; aut varix numerosa, ingens, enata; tumentium valde hæmorrhoidum fluxus; atrae bilis per superiora et inferiora rejectio.

1111 Ingens damnum capere solet ab omni medela labefactante vires; acriter evacuante; rursumque ab usu eorum, quæ liquida vehementer exagitant, sive cardiaca fuerint; sive alio quocunque titulo exhibita.

1112 Unde optima sanandi hunc morbum methodus est, si causa prima bene observata, et temperiei varietate, his opposita medela, variis varia, adhibetur.

1113 1. Itaque erit indicatio liquida cerebri et nervorum excitare, augere, in ordinem redigere; quod fit: *a.* avertendo mentem ab objecto consueto ad alia priori

(*a*) Summi semper momenti est in morborum curationibus attendere ad illa, quæ sponte in morbis contingunt cum levamine. Scabies fœda melancholicum sanavit vidente van Swietenio. Parva olei vitrioli dosis, mala fortuna deglutiti, in habitum corporis delata in plurimis cutis locis cinereas crustas, fœdaque excitavit ulcera, ex Tulpio (Lib. III. Cap. 43.) Acrimonia atrabiliaria *acida* frequenter est: non ergo mirum videri poterit *acre* istud ad cutim protrussum talia facere; et ita atrabiliarium liberari.

contraria. *b.* inducendo caute alium animi affectum, melancholico oppositum. *c.* inserviendo falsæ imaginationi. (*a*) *d.* aut sæpe magna vi (*b*) ei repugnando.

1114 2. Obstructiones, vel causam, vel effectum falsæ imaginationis, reserando, emolliendo, incidendo, stimulando per aquas minerales, serum lactis, mulsam, decocta splanchnica, hepatica, anthypochondriaca, aquas salibus lixiviosis

(*a*) Maxima hæc sunt pro regendis melancholicorum affectibus perturbatis documenta: sed proh dolor! frequentissime inutilia, et insufficientia. Casus tamen aliqui docuerunt tentamina proficua. Milesiæ virgines insanientes, et suicidæ, lege promulgata deferendi per forum cadavera earum nuda, resipuerunt. Ita refert Plutarchus Lib. de virtutibus mulierum. *Sæpius assentiendum, quam repugnandum est: paulatimque et non evidenter ab his, quæ stultè dicuntur ad meliora mens adducenda.* Ita optimè Celsus Lib. III. Cap. 18.

(*b*) Morbus iste miserrimus, et fere insanabilis aliquando cedit durissime tractatus. van-Swietenius laudat hominem apud Batavos celebrem, qui simulac delirarent ipsi comissi tractabat eos impie verberibus, catenis, perfusione aquæ frigidissimæ . . Dum mitescebant omni modo blandiebatur illis, nihilque omnino negabat illarum rerum quas desiderabant. Hoc modo effecit, ut metus verberum coerceret incipiens delirium, et tandem deleret vanas illas imaginationes: et contra dum in pacato statu concedebantur omnia, quæ placere ipsis poterant felix sæpe successit curatio. An methodus ista atrox, crudelis . . imitanda?

vel compositis acutas, Mercurialia (*a*) laxantia, vomitoria, motus, exercitia, Equitationes, Navigationes, Uterina, Aristolochica, Hæmorrhoidalia evacuantia, balnea, litus, emplastra.

1115 3. Symptomata leniendo per venæ sectionem, immersionem in aquam frigidam, carminantia, opiata. (*b*)

1116 4. Præmissis evacuationibus (1114. 1115.), exhibendo ea, quæ exhilarare (*c*) docet observatio, et roborare omnes corporis partes.

1117 Ex quibus (1110. ad 1117.) liquet, sanationem hujus mali (1189.) absolutam esse in curatione bilis atræ (1197-1100. 1101. 1113. 1116.), atque inde peti debere non hanc modo, sed infinito-

(*a*) Remedia ista leniora præsertim tentari merentur. Antiqui, Hippocrate præeunte, Helleborum famosam plantam præscribebant. Consulatur elegans peræque utilis tractatus totus de Morbis melancholicis Caroli Anæ Lorry, præsertim ubi de Veterum Helleborismo. T. II. *Appendix*. P 288.

(*b*) Furores sævi sæpe debilitatis viribus per sanguinis misiones leniri possunt, hoc tamen prudenter exequendum. Anxietates, et pervigilia opio dato tolli quidem solent pro tempore. Prudentia suadet leniora præferenda esse.

(*c*) Grata amicorum colloquia, lusus, objectorum continua varietas.. moderatus vini generosi usus, quo nullum præstantius cardiacum habetur, nec majus exhilarans.. Cortex peruvianus.. ad vasa debilia roboranda princeps.

rum, falso pro incurabilibus (*a*) habitorum, morborum.

MANIA. (*b*)

1118 Si Melancholia (1182.) eousque increscit, ut tanta accedat agitatio liquidi cerebrosi, qua in furorem agantur sævum, Mania (*c*) vocatur.

(*a*) Maximam curæ dificultatem sæpe facit ægrorum morositas, qui vix diu obedire volunt præceptis medicis, cum tamen rebellis morbus diuturnam curam postulet. Quot morbi *falso pro incurabilibus* habiti hac methodo pro melancholia sananda proposita sanari utcumque poterunt, dum obstruens nempe materia solvitur, soluta de corpore educitur, integris manentibus visceribus, et dein roborantibus ac cardiacis restituuntur vires.

(*b*) Sauvagesius Clas. VIII. Ord. III. Gen. 20. *Mania.* Species: à pathemate, lactea, ab hemicrania.

Cullenius Clas. II. Ord. IV. Vesaniæ. Gen. 67. *Mania.* Caracter: Insania universalis. Species: mentalis, seu à pathemate, terrore, amore, corporea à vitio corporis: obscura (ista ridicula) metastatica, à represso herpete, scabie; à retentis menstruis, lacte, lochiis; à graviditate, hysteralgica .. et præsertim melancholica, et sanguinea.

(*c*) Cavendum ne mania cum feroci delirio phreniticorum, cum ebriorum furoribus, cum ferocibus illis deliriis, quæ hyosciamo, solano furioso, aliisque pluribus venenatis plantis asumptis sequi solent .. confundatur.

1119 Quæ gradu modo differt à Melancholia tristi, hujus proles est, ex iisdem causis oritur, iisdem fere (*a*) remediis curari solet.

1120 In quo morbo est ut plurimum immensum robur musculorum, pervigilium incredibile, tolerantia inediæ et algoris mirabilis (*b*), imaginationes horrendæ, Lycanthropiæ, Cynanthropiæ, &c.

1121 Notandum vero, anatomica (*c*) sectione constitisse, horum cerebrum siccum, durum, friabile, in suo cortice flavum; vasa autem turgentia, varicosa, atro tenaci cruore distenta fuisse.

1122 Tum etiam in hoc morbo omnes excretiones fere cessasse pariter.

1123 Præcipitatio in mare, submersio in eo continuata; quamdiu ferri potest, princeps remedium (*d*) est.

(*a*) Dantur casus, in quibus mania accidit, quin Melancholia neque Hypochondriasis præceserint v. gr. Mania metastatica . . quæ diversam, atque peculiarem curationem expostulant.

(*b*) Hæc non nisi observationibus deprehenduntur. Majus excitamentum nervosum æque est imperceptible. Huic tribuitur Mania furens, sicut nervoso collapsui mitis, sive tranquilla. Misserrimi sunt maniaci quando jam canes, vel lupos ululatibus imitantur, et se tales esse credunt.

(*c*) Præter ista, meninx utraque indurata, glandula pituitaria parva, et dura . . inventæ sunt, et etiam aquosa colluvies.

(*d*) Præter remedium istud tentanda alia, quæ

1124 Frustra tentantæ per omnia remedia, varix, hæmorrhois, dysenteria, hydrops (*a*), hæmorrhagia magna spontanea, febres tertianæ, quartanæve accedentes, salutaria fuerunt.

subtili fragrantia per omnia corporis loca penetrent, quæ sæpe felicem succesum produxerunt. Moschi satis audax dosis ad grana sexdecim vel viginti profuit quandoque. Camphora mane, et vesperi ad drachmam dimidiam valere creditur. Extat opusculum cl. Abembrugeri remedium istud majori dosi propinantis, quod pro specifico proponit sub signo specifico retractione nempe unius testiculi in mania Virorum. Submersio proposita vel in mari, vel alia aqua maximè vitæ periculo prudenter evitato, tentari poterit. Consulendus Peclini Tractatus *de vita sub aquis.* Balnea tepida in Mania melancholica; frigida in colerica valde proficua sunt.

Alia etiam remedia pro isto horribili malo domando cum fructu quodam administrata fuerunt. In primis æger commode custodiendus est, sive vestitu aliquo proporcionato, sive manicis, et compedibus ex corio factis. Cum hi furibundi sint, metus, et terror ipsis, ut supra dictum, injiciendus, et dum aliquatenus resipiscant blande, atque humaniter tractandi. Acetum distillatum cochleatim pluries in die exhibitum superbibendo meliloti infusionem aliquando profuit. Vesicatoria capiti raso pluries aplicata præsertim in mania exanthematica prodesse poterunt.

(*a*) Hydrops supponit tenax atrabiliarium solutum jam esse. Ad id asequendum, an etiam salivatio mercurialis intentanda? Febres periodicæ frigore,

1125 Hujus Maniæ species (*a*) oritur postquam autumnali, valida, diuturna, intermittente febre, corpus exhaustum, debilitatumque, tam per morbum, quam per iteratas missiones sanguinis, et evacuationes alvi sæpissime repetitas; tum etiam per eadem hæc renovari hoc malum solet.

1126 Hæc species solis reficientibus, replentibus, cardiacis, roborantibus, diu continuatis, sanatur. At, si evacuando tentatur, atrophiam, debilitatum, insuperabilem fatuitatem infert.

1127 Mania vero enata in robustis, vegetis, floridæ ætatis, plethoricis, calidis, (*b*) sanatur iisdem mediis, ac species Epilepsiæ (1081.); missione sanguinis iterata; purgatione forti, inter singulas interposita; dein, impetrata sedatione, opiatis, et cardiacis.

calore, sudore, quiete accedentes aliquando vissæ sunt profuisse. Num artificialiter procurandæ?

(*a*) Præter Maniam, quæ melancholiam diuturnam sequitur, alia hic proponitur, in qua non hæret malum in humoribus, nec in visceribus, sed solum sensorium commune turbatum est, et quidem à causis latentibus. Animi affectus subiti et validi toties Maniam fecerunt in primis IRA merito *brevis furor* dicta. Mania, quæ intermittentes febres sequitur primum fuit à Sydenhaamo observata, quæ peculiarem exigit sanationem sequenti aphorismo propositam.

(*b*) Ista est alia maniæ species, quæ sanguinea, non melancholica, potest appellari. Licet

APHOR. 1126.

Conditum roborans, cardiacum.

R. Corticis peruviani drachmas duas.
Magellanici drachmas tres.
Conservæ anthos unciam unam
Syrupi kermes quod sufficiat,
Ut fiat Conditum.
Capiat drachmam semis omni trihorio de die.

Vel simile.

R. Diascordii Sylvii drachmam unam.
Elæosacchari ex oleo citri drachmas duas.

venæ-sectio in mania melancholica, metastatica, gravidarum . . prudenter administrata conveniat in ista ulterius et abundantius exequenda. Plethora ista imminuta purgationes fortes interponendæ. Num purgantia levia ut tartarus solubilis, cremor tartari, tamarindi . . guttæ gambæ, helleboro . . præferenda? Ita videtur. His copiosis sanguinis et humorum vacuationibus exhausto corpore, et sedato malo, opiata, atque cardiaca v. gr. theriaca Pharmacopœæ hispanæ curationem poterunt absolvere. In mania ab animi pathematibus, vigiliis immodicis, congestionibus vacuatis . . vel sine materie dicta princeps atque potentissimum medicamentum est Opium, quod larga satis dosi à maniacis toleratur.

Radicis helenii conditæ unciam unam.
Syrupi quinque radicum apperientium quod suficiat.
Ut fiat conditum.
Usus idem.

Vel magis aromaticum.

R. Radicis Zingiberis conditæ uncias tres
Corticis Aurantii conditæ uncias duas
Nucis Myristicæ drachmas quatuor
Syrupi artemisiæ Fernelii quod sufficiat
Ut fiat conditum.
Capiat ut prius.

Vel simile.

R. Theriacæ Andromachi
Diatessari Mesue singularum unciam unam.
Conservæ Absinthi unciam semis
Radicis Angelicæ drachmas duas
Syrupi tunicæ quod sufficiat.
Fiat conditum.
Sumat drachmam unam quater interdiu.

Vinum medicatum cardiacum, calidum, roborans.

R. Corticis Citrei
Peruviani Aurantiorum
Magellanici Chinæ

Cinnamommi singulorum unciam unam.
Summitatum Serpilli Thymi Mari Syriaci singularum unciam semis.
Florum Stœchados Arabicæ Lavendulæ Tanaceti singulorum unciam unam
Ligni Agallochi, Sassafras singulorum drachmas sex.

Cum vini hispanici libris sex fiat secundum artem vinum medicatum.
Capiat uncias duas quater de die vacuo stomacho.

RABIES CANINA. (*a*)

1128 Est et alia ægritudo, quæ ob furorem sæpe comitem, huc commode referri potest, quum ob summam perniciem tractari debeat.

(*a*) Sauvagesius Clas. VIII. Gen. 16. *Hydrophobia*. Species : vulgaris, spontanea.

Cullen. Cl. II. Ord. I. Gen. 64. *Hydrophobia* Caracter: potionis cujuslibet utpote convulsionem pharyngis dolentem cientis, fastidium et horror; plerumque è morsu animalis rabidi. Species duæ: I. hydrophobia *rabiosa* cum mordendi cupiditate ex morsu animalis rabidi. Hæc est hydrophobia vulgaris Sauvagesii. II. Hydrophobia *simplex* sine

1129 Vocatur Rabies, et quia à Canum morsu ut plurimum, Rabies Canina, tum à symptomate terribili, aquæ metus, hydrophobia, &c.

1130 Oritur fere semper ab aliis animalibus, prius rabiosis, suscepto contagio, tamen et sponte in acutis (*a*) quibusdam orta legitur, et observatur.

1131 Animalia autem fere quæcunque hoc malo affici, suoque contagio alia, et ipsum hominem lædere possunt.

1132 Nempe Canes, feles, lupi, vulpes, equi, asini, muli, boves, sues, simiæ, galli gallinacei, homines, prius rabiosi, id vitium in alios propagaverunt.

1133 Nulli tamen animali frequentius, quam cani, lupo, et vulpi; hisque in primis ex causis internis, absque contagio prævio, nascitur.

1134 Regio fervida; regio magno æstu squalens, et vicissim summo frigore horrens; tempestas æstuosa, siccaque diu durans; victus ex carne putrida, fœtida, verminosa; potus absentia; vermes renibus, intestinis, cerebro, cavis narium olfactoriis, innati, sunt causæ præcedentes, in his animalibus, nascituræ rabiei.

rabie vel mordendi cupiditate. Hæc est hydrophobia spontanea Sauvagesii.

(*a*) Exempla apud Schenk. et Marc. Donatum inveniuntur. Aliquando in hystericis observatur.

1135 Incipientis rabiëi signa sunt hæc in primis, quibus tetræ luis cautela nititur : fiunt tristes, solitarii, se absconden-tes, muti quoad latratum, murmurantes tamen, cibum potumque omnem adversantes, in ignotos quoslibet iraii, et irruentes, Heri tamen adhuc et memores et reverentes, aures, caudamque dimittentes, somnolentorum instar incedentes: hactenus primus gradus mali iis adest: morsusque tum exceptus periculosus quidem, non vero pessimus est : dein anhelare, linguam exserere, spumam plurimam emittere, hiare, nunc segniter ut semisopiti, nunc subito celeriter incedere, nec recta semper via, mox ne Herum quidem amplius agnoscere, oculos habere demissos, lachrymosos, pulverulentos, linguam plumbeo habere colore, subito gracilescere, insanire, furere : hic secundus est gradus mali, quem vix triginta horis ferunt, quin moriantur. Morsus hoc tempore fere insanabilis : quo vero animal vehementius furit, diutius malo laborabit, morti propius est, eo morsus letalior, acutior, et symptomata citissime creans violentissima, et contra. (*a*)

(*a*) Aliud simul rabiei signum attendendum est nempe, quod omnes alii canes fugiant instinctu naturali, et cum signis magni terroris canem rabidum.

1136 Vix autem ullius veneni tam multiplex contagium, nam morsu vel levissimo, per vestimenta adacto, tantum radente, nec eliciente sanguinem; spiritu ex ore (*a*) in hominis pulmone adducto; spumæ contactu recentis, vel etiam dudum exsiccatæ, labiis, linguave exceptæ; osculo tantum rabido cani dato; infectione à contactu multo instrumenti, vel vulneris, quo dudum ante animal rabiosum occisum fuit; esu latis, carnisve animalis rabiosi; attactu, et pertractatione multa rerum per præcedentia infectarum.

1137 Rursum vix ullum venenum notum, cujus tam atrox, adeoque hominem immutans, virus, quodque, ubi incipit se prodere, tam violente et celeriter furit, et tamen simul adeo diu latere possit, antequam se manifestet: namque alii statim, alii ut narrant, post viginti (*b*) integros annos à morsu elapsos, alii rursum omni intermedio tempore urgeri incipiunt malis huic furori propriis: pendet vero hæc diversitas, à calore tempestatis anni, à va-

(*a*) Licet hoc non semper accidat; talium ægrorum halitus cavendus. Sauvagesius asserit *esu lactis carnisve* venenum istud non communicari. Opinio periculosa valde (Dissert. sur la Rage. pag. 32.)

(*b*) Hoc nimium est. *Pituitosus*, qui tardior, longo adeo terrore præmeretur, et tristitia immani in rabiem duci posset. Cautela hic opus est.

rio gradu morbi in animali mordente (1135.), à temperie hominis morsi, quum biliosi eo facilius vergant, pituitosi, et hydropici contra, à diverso victu, medicamentisque adhibitis.

1138 Homo optime sanus contagio hoc (1136.) infectus, post varium tempus (1137.) incipit hoc ordine fere ægrotare : dolet (*a*) locus, cui impressa contagii labes primo fuit; dein vagi per alia, maxime vicina loca dolores; lassitudo, gravitas, tarditas in toto musculoso genere; somni inquieti, turbati, terribiles, cum convulsionibus, et subsultibus; inquietudo assidua; suspiria; tristitia; solitudinis studium; atque his fere primus mali incursus incipit, his ferme primus ejus gradus finitur : sanguis tunc venis emissus omni nota bonus. Tum postea priora augentur, acceditque porro ingens circa præcordia angustia; respiratio difficilis,

(*a*) Proponitur hic optima rabiem istam per gradus dignoscendi methodus quam Tirones exacte callere debent, et in ea severissimè examinari.

Si vulnere integre sanato dolor quidam accedit rabies adest in procinctu. Aquæ metus, seu hydrophobia morbi progressum indicat. Hæc non ab aliquo impedimento in via per quam deglutitur bolus solidus, sed à natura veneni deducenda. Metus iste mortem post tertium, vel quartum diem designat. Nec febris, nec delirium perpetuo adsunt in ista terrifica ægrotatione.

suspiriosa ; horror ; ad conspectum aquæ, liquorum quorumcunque, et rerum vel pellucidarum, vel instar speculi reflectentium, horripulatio, tremor ; prostratus appetitus ; deglutitio tamen solidæ cujusque offæ possibilis ; attactus humoris cujusque, maxime labiis vel lingua, incredibilem anxietatem, tremorem, convulsiones immanes, atque furorem fere creans; vomitus glutinis fusci biliosi, aut bilis porraceæ ; incalescentia ; febris ; vigiliæ assiduæ ; priapismus ; cogitationum alienarum et insuetarum perturbata valde series. Sic procedit malum, atque hic solet secundi gradus limites ponere. Postea autem omnia enarrata exacerbantur continenter, soletque sequi linguæ asperæ exsertio ; hiatus oris ; vox rauca ; sitis ingens ; furor ad conatum bibendi, humorum adspectum, contactumve ; spumæ in ore collectio ; eam in alios exspuendi conatus vel invitus ; ardor obvia quæque mordendi invitus, nec tamen à voluntate comprimendus ; spumante rictu frendit; pulsus et respiratio deficiunt ; sudor gelidus ; rabies summa, dum interim, quod mirabile, mens prudens, constans, aliis à se metuens, adest ; hinc intra quartum fere semper à primo gradu diem, mors convulsiva, cum summa in respirando angustia.

1139 Ex tota hac historia (1129. ad

1139.) constat hujus mali cognitio : prognosis autem elicitur ex consideratione (1135. 1137. 1138.), simulque cogitando tristissimos ubique eventus, quum, à nata Medicina hucusque, omnes fere Artis Principes deplorent, *demorsorum prophylaxin vix ullam certam haberi, at jam aquam paventium sanatorum exemplum dari certa fide nullum!* (*a*) maxime vero dolendum, post sæcula elapsa, irritum successum hactenus applicatorum deplorantîa, non esse tentatas diversas à primis methodos.

1140 Dissectio (*b*) cadaverum docuit, plerumque organa deglutiendi utcunque inflammata; gluten biliosum varium in stomacho; vesiculam fellis atri plenam; pericardium siccum; pulmones coacervato omni fere cruore incredibiliter plenos; cor sanguine sæpe fere siccato plenum; arterias plenas; venas vacuas; cruorem valde liquidum, et vix in aëre concrescentem, dum missus vena concreverat ante triduum; omnes musculos, viscera, cerebrum, cerebellum, spinalem medullam, sicciora solito.

(*a*) Observationes satis exactæ, licet paucæ adsunt, quæ ostendunt aliquos evassise hydrophobos. Adsit hodierna chemia! Adsit DEUS!

(*b*) Non novi, inquit van-Swietenius in Historia medica memorari exemplum, quo rabies communicata fuerit per sectionem cadaveris hoc morbo defuncti. Hoc valde notandum pro dissectoribus.

1141 Curatio omnis hactenus, paucissima exceperis, incerta, tam prophylactica, quam therapeutica; cujus prima causa, inanis jactantia multorum specificorum, et neglectus methodi ex historia mali excogitatæ.

1142 Quantum ergo ex omni hac historia, comparatione ejus cum aliis morbis, et feliciori paucorum casuum eventu concludere licet, videtur primo consistere in affectione nervorum, proxime referenda ad convulsiones, quæ viscera, horumque vasa occupent; dein hinc vitium nasci sanguini, humoribusque, quod inflammationi gangrænosæ quasi proximum sit, sedem vero mali primum circa stomachum, et vicina hærere.

1143 Curatio in demorso prophylactica requirit, ut 1. statim à contagio suscepto totus locus affectus, una cum vicinis profundis pertundatur scarificationibus, multumque mittat sanguinis (*a*); applicentur magnæ cucurbitæ fortiter trahentes; vel ferro inuratur ignito (*b*) satis profunde; dein adigatur in suppurationem

(*a*) Evacuatio ista alibi procurata est in isto primo stadio nocentissima, sicuti ex ipsa eadem parte læsa, nedum utilis, sed necessaria est.

(*b*) Omnium efficacissimum auxilium, et forte unicum, ideo minime omittendum. Plaga dein diutius aperta tenenda. Aqua phagedenica, Præ-

perpetuam applicatu eorum, quæ assidua rosione exulcerant; interim toto illo tempore, ab initio in finem, semper foveatur muria ex sale marino et aceto, nunquam intermittendo; id continuetur usque ad sextum quidem mensem. 2. vestimenta, et cætera, quæ venenum attingere, vel afflare potuit, caute abjiciendo, vitando. 3. statim post infectionem, magno cum apparatu, metu incusso, sæpe minitando, tandem præcipitem in mare vel fluvium dando, aliquamdiu submersum tenendo, iterum mergendo, id repetendo aliquoties cum iisdem omnino circunstantiis: eas enim sanare spiritum turbando, non aquam salsam, docuit funestus exitus hominis post morsum naufragi, multis horis natantis, sæpe diu fluctibus submersi, tamen postea hydrophobi; dein Rheo, Agarico, succo corticis Sambuci, sæpe, et valde fortiter purgetur. 4. omni mane jejunus parum sudet assumpto aceto aromatico, sale marino, aqua calida. 5. quotidie pedes, manusque, balneo aquæ foveat, caput lavet,

cipit rtum rubrum ad id sufficere possunt. 2. *Vestimenta* nedum attacta, sed aflata, non purificanda, quoniam ignotum ad id medium, sed abjicienda. Tanta est hujus mirifici veneni infamia! 3. Submersio subita, atque repetita fortasse prodesse poterit. Morgagnius casum infelicem refert. (*De Sedibus, et Causis morborum* Epistola VIII.)

os, faucesque colluat, sæpe natet. 6. frigidam frequenter bibat, evomatque sæpe, tunc et potus acidulos; victus sit humidus, levis, laxans tanta copia sæpe sumptus, ut revomatur; cavendo à nimiis aromaticis, vino, calefacientibus, ut et à motu nimio corporis, vel animi.

1144 Curatio vero morbi jam præsentis videtur tentanda, maxime in primo gradu; et in initio secundi (1138.), in primis quum aliter funestissimo exitu neglectus plectatur. Apparet maxime probabile, et paucis experimentis confirmatum, sequentia fieri debere: 1. statim post prima signa invadentis mali (1138.) morbus tractandus, ut summus inflammatorius (890.), mittendo sanguinem ex lato vulnere magni vasis ad animi deliquium (*a*) usque, mox clysmata ex aqua nitrosa, modiceve salsa, cum pauxillo aceti, injicienda: hæc repetenda audacter, etiam plus, quam in aliis morbis prudentia concederet: interim hoc facto, obnubilitatis oculis in piscinam frigidam demittendus, vel aquæ frigidæ injectu humectandus tam diu; donec aquam vix amplius paveat; tum statim plurimum aquæ bibere coga-

(*a*) Licet inflammatio ista subito in gangrænam tendat venæ-sectiones, et alia valida remedia antiphlogistica in isto stadio tentanda, quæ audacter instituenda sunt.

tur ; et de die sic vexato vesperi concilietur somnus : victus sit tenuissimus , humectans semper.

1145 Ut vero methodus hæc nititur omni morbi indole, omni (*a*) artis præcepto; ita videtur nihil exitiale magis, quam acerrimis calefacientibus , exsiccantibus , nervosum genus exacerbantibus medicamentis , hic venenis , jam exsiccatos suo malo ægros enecare ; rursumque nihil crudelius, quam abjecta curatela omni , statim negligere , aut suffocare.

1146 Nec desperandum tamen , ob exempla jam in aliis venenis constantia , de inveniendo hujus singularis veneni antidoto (*b*) singulari.

(*a*) Quoniam ex isto morbo quantumvis indomabili aliqui emerserunt animose tentanda sunt summa remedia; simulque cavendum ne adstantibus ægri nocere possint , quod raro fit. Tulpius notat , quod numquam viderit rabidorum sputa cuiquam detrimento fuisse ; sed simul addit, quod curaverit sollicite semper hæc mari abluere (Observ. med. lib. 1. cap. 20.) et merito quidem, cum saliva in primis isto afficiatur contagio. Hydrophobos *negligere* nihil crudelius ; *suffocare* impium , inhumanum , criminale!

(*b*) In animalibus rabiosis cautela summa tentari possunt experimenta. Analogia cum lue venerea , qua saliva inficitur , et per eam expurgatur , ut in ista lue argentum vivum obtulit, suasit. Moschi grana XVI. Cinnabari grana XXI. remedium efficiunt chinense singulare ; sed huic,

1147 Hactenus vero nullius ea comperta fides, cui credi queat salus miserrime periclitantis hominis, quum nullum sit notum, cujus experimenta certa (*a*); sed vel speculationi ortum debent, vel descriptis ex alio confisum fuit: nec Æschrionis apud Galenum et Oribasium arcano de cancris combustis; nec Scribonii Largi famigerata opiata ad rabiem Siculorum; nec Peregrini consilio de pelle hyænæ, nec Aëtii, Rufi, Posidonii, cinere cancrorum cum Theriaca; nec jactata Palmario medela; vel nimis laudato Mayerno, Grew, et venatoribus, stanno cum mithridatio; nec in insomniis sacris revelata radice Cynorrhodonis, aliisve in cœlum elato Lichene cinereo terrestri, pimpinella, jecore rabiosi canis exusto, et similibus; exceptis.

APHOR. 1143. Num. 6.

Potus parati ex pomis, prunis sylvestribus, Limonibus, aceto rosaceo.
Victus Brassica muria condita. &c.

et aliis omnibus eminentèr præest FRICTIO MERCURIALIS salivationem excitans.

(*a*) Ad erigendam ægri fiduciam aliquid exhibendum innocuum dummodo interea Hydrargyrosis, submersiones . . . et præsertim vulneris obstinata sanatio exequantur. Remedium Palmarii ex ruta, salvia, polypodio, mentha, betonica aliisve similibus, omnibus in textu memoratis præferendum, sed æque innocuum, ac insuficiens merito declarandum.

APHOR. 1144.

Clysmata refrigerans.

R. Nitri drachmas duas
Aceti Sambuci
Mellis Rosarum singulorum unciam unam.
Aquæ decoctæ hordei uncias decem.
Misce. Fiat Clysma.

Simile.

R. Salis marini drachmas duas
Aceti florum calendulæ drachmas sex
Mellis communis unciam unam
Aquæ stillatæ rutæ uncias decem.
Fiat Clyster.

SCORBUTUS. (*a*)

1148 Scorbutus septentrionalis maris accolis frequentissimus morbus, plurimo-

(*a*) Sauvagesius Clas. X. Gen. 25. *Scorbutus.* Stomacace, et scelotyrbe Plinii : ileos hæmatites, et magni splenes Hippocratis. Species : incipiens, crescens, inveteratus, lividus, petechialis, pallidus, ruber, calidus.

Cullenius Clas. III. Ord. III. Gen. 86. *Scor-*

rum aliorum causa (*a*), neque recens, neque Veteribus prætervisus, licet haud adeo accurate descriptus, defectu longarum navigationum, et peregrinationum in plagas telluris frigidissimas.

1149 Hic, quum variatis admodum symptomatibus sæpe fallat, melius non cognoscetur, quam, si tota ejus historia præmissa, deinde demum de ejus natura constituatur.

1150 Invenitur apud Britannos, Ba-

butus. Caracter : in regione frigida post victum putrescentem, salitum, ex animalibus confectum, deficiente simul materia vegetabili recente ; asthenia ; stomacace ; in cute maculæ diversicolores, plerumque livescentes, præsertim ad pilorum radices. Species : *unica*, gradu, et symptomatibus à Sauvagesio propositis divissa.

(*a*) Eugalenus omnes fere morbos à scorbuto procedere asseveravit, quæ generalitas limitanda, tamen certum manere debet plurimorum morborum causam esse, cui maxime attendendum. Morbus iste antiquus, vel novus sit, in quo van-Swietenius ocupatur, parum refert. Quomodo plurimorum aliorum morborum causa sit licet obscura rimandum, ita enim isti, domita scorbutica acrimonia unice, sanari poterunt.

Morbus iste *Stomacacem*, et *scelotyrbem* producit. Ille dentium decessum, et compagis in genibus solutionem significat ; hic paralysim, qua quis rectus ambulare non potest, qui effectus, sive symptomata scorbuti sunt ; et eum seu ab initio, seu in progressu comitantur.

tavos, Suecos, Danos, Norvegos, Germanos septentrionales, seu inferiores; attingit adeoque Boreales populos, et frigidiori (*a*) sub climate viventes; atque inter hos maxime infestat vicinos mari, locis marina aqua submersis, lacubus, paludibus, glebæ spongiosæ pingui, solo depresso inter aggeres exaltatos, aquam coërcentes, sito; in primis sævit in otiosos, hyemali tempore in locis lapidibus instratis et extructis frigidos, in nautas salsis, fumo duratis carnibus, pane biscocto, aqua putrida, verminosaque utentes mari, terrave; item quos aves aquaticæ, pisces salsamentarii, ad ventos, fumosve indurati, caro bubula, suillave fumo et sale condita nimis delectant, vel farinacea non fermentata, pisa, fabæ, caseus salitus, acer, antiquus; hos qui Melancholiæ, Maniæ, labi hypochondriacæ, hystericæ, morbis lentis obnoxii vivunt, maximeque qui nimio Cortice Peruviano fuerunt usi.

1151 Dum vero hos aggreditur, his

(*a*) In ipsa tamen Zona torrida scorbutus sæpe infestat in orientales Indias navigantes. Causa vera, et primaria juxta *Bachstron* scorbuti nulla alia est, quam abstinentia diuturna recentium vegetabilium. *Cortex peruvianus* scorbuti causa non est, sed febrium intermitentium pertinacia (Aph. 753.) Nihil tamen officit remedia antiscorbutica alias innocua hic administrare.

fere phœnomenis incedit, augetur, maturatur.

1. Pigritia insolita, torpor, sedendi et decumbendi amor, lassitudo spontanea toto corpore, gravitas ejusdem, musculorum omnium dolor quasi à nimia fatigatione, maxime in cruribus lumbisque, ambulandi in primisque per acclive vel declive summa difficultas; mane à somno evigilanti sensus omnium artuum et musculorum quasi fatigatorum et contusorum.

2. Difficilis, anhelosa, ad motus vel parvos fere deficiens respiratio; crurum tumor accedens, recedensque, horum præ gravitate immobilitas; maculæ rubræ, fuscæ, flavæ, violaceæ (*a*), faciei color pallidofuscus; Oris fœtor incipiens; Gingivæ tumentes, dolentes, calidæ, prurientes, ad minimam pressionem evomentes cruorem: dentium ob retractas gingivas denudatio, et mobilitas; dolores varii, vagi, per om-

(*a*) Monet Eugalenus, quod his maculis lividis scorbuticorum decepti chirurgi, et empirici peste laborare sic affectos crediderint, et data theriaca, aliisque calidis medicamentis non paucis ægris mortem acceleraverint. Poupartius asseveravit pessimum scorbutum, quem in nosocomio grassantem observabat aliquam similitudinem habere cum sæva peste Atheniensium à Lucretio descripta (Academ. des Sciences An. 1699. pag. 237.) Hoc maxime notandum.

nes externas internasque corporis partes mira producentes tormina, Pleuritica (*a*), Stomachica, Iliaca, Colica, Nephritica, Cystica, Hepatica, Lienaria &c. Hæmorrhagiæ variæ sed leviores.

3. Gingivarum putredo fœtens cadaver, harum inflammatio sanguinem stillans, gangræna; dentium vacillatio, flavedo, nigritudo, caries; Varicosi annulli ad raninas venas; Hæmorrhagiæ (*b*) sæpe letales, ex ipsa cute externa, non apparente vulnere, ex labiis, gingivis, ore,

(*a*) Eugalenus refert casum pleuritidis, quam scorbuticam esse declaravit dolorum per intervalla intermisione, urina crassa lateritia . . quibus à curatione antiphlogistica ab alio indocto intentata liberavit, et antiscorbutica sanatione sanatus est. Hoc sedulo advertendum.

(*b*) Hæmorrhagiæ internæ maximè formidandæ, et his scorbutici sæpe subito extinguntur; quod valdè metuendum. Dolores summi noctu ingravescentes non à lue venerea, sed ab scorbuto provenire ex utriusque mali historia dignoscendum.

Cocchi suspicabatur, ad scorbutum referri posse elephantiasim, et in Ægipto ideo frequens malum esse, quia ibi frequens erat cibi vegetabilis defectus: et oportune notat, desperatos elephantiacos, ab hominum commercio remotos, ob morbi fœditatem, et ad deserta loca delatos, quandoque convaluisse, non ob viperas ex desperatione comestas, sed quia miseri nullum cibum, nisi vegetabilem invenire poterant.

naribus, pulmonibus, stomacho, hepate, liene, pancreate, intestinis, utero, renibus &c. Ulcera pessima, obstinata, nulli applicato cedentia, facile gangrænosa, ubique, maxime in cruribus, vagantia, cum diuturno fœtore; Scabies, Crustæ, sicca et lenis Elephantiasis; sanguis venis eductus, in fibrosa parte ater, grumosus, crasus, et tamen solutus, in parte serosa salsus, acer, muco flavo viridi in superficie scatens; dolores summi erodentes, lancinantes, cito trajicientes, noctu ingravescentes per omnes artus, juncturas, ossa, viscera; maculæ lividæ.

4. Febres variæ, calidæ, malignæ, intermittentes omni modo, vagæ, periodicæ, continuæ, *atrophiam* inducentes; vomitus; diarrhoeæ; dysenteriæ; stranguriæ sævæ; lipothymiæ; anxietates sæpe subito letales; Hydrops; Tabes; Convulsio; Tremor; Paralysis; Contractura; Maculæ nigræ; Vomitus, et Secessus sanguinis; Hepatis, Lienis, Pancreatis, Meseræi putredo et consumptio (*a*); Contagium celere.

(*a*) In tanta humorum et solidorum degeneratione mirum est, cerebrum semper sanum, et illæsum repertum fuisse; memoriam, intellectum, ratiocinium mansisse illæsa.

Scorbutici illi, qui in ultimo Septentrione hybernaverunt, et succesive perierunt, singulis diebus omnia notaverant, quæ ipsis contigerunt, et ul-

1152 Ex quibus liquet, hujus morbi naturam et effectus non difficulter elici ab his, qui prædicta expendunt.

1153 Et causam ejus proximam esse eam sanguinis indolem, qua et crassitie simul in una, et tenuitate acri salsa, alcalica, vel acida (*a*) in altera parte peccat: quæ

timus superstes concludit harum calamitatum historiam dum scribit MORIOR; unde videtur ad ultimum vitæ finem mente constitisse, nec memorat ullum sociorum delirasse ante mortem.

Dubitatur valde an in isto morbo contagium adsit *celere* ut Boerhaavius asserit, an nec celere, nec tardum, nec ullum ut alii nimis fortasse confidenter autumant. Utinam morbus unice endemius sit à causa communi, vegetabilium nempe carentia, præcipue productus. Ultro assentiendum scorbutum non ut variolæ, lues venerea, scabies . . esse contagiosum, ast in ultimo præsertim stadio, quando gingivæ putrido tabo difluunt t ab usu poculi, lecti . . scorbuticorum non abstinere Bosquillonio, Lindio . . ista permittentibus relinquenda.

(*a*) *Acida* acrimonia hic rara. Vilioris sortis homines, qui pane secalino, lacte ebutyrato acido, farinosis fere solis vivunt, simulque sedentarias artes exercent huic obnoxii. Acrimoniæ istæ in parte tenuiori sanguinis adsunt; crassities in parte serosa lymphatica crassiore. Si aliquod ex his vitium unice adesset, haud dificile emendaretur. Verum dum illud acre irretitur huic lentori manet affixum partibus, in quibus illud lentum hærere incipit, et colligi, illasque erodit. Hinc mali pertinacia, et fere incurabilitas.

in primis accurate investiganda et distinguenda sunt.

1154 Et ex his per historiam morbi (1151.) cognitis, omnia ejus morbi phænomena, utut mira (*a*), facile deduci posse.

1155 Quod ipsum clarius docent regulæ, quas curatio morbi prospero, ve sinistro eventu comprobavit; quarum præcipuæ hæ sunt.

1156 In hoc morbo crassum est reddendum tenue; stagnans mobile; cohærens fluidum.

1157 Item nimis tenue cogendum; acre leniendum, in genere, in specie.

1158 Et in correctione unius (1156.) semper respiciendum ad naturam alterius (1157.), unde summæ (*b*) artis opus tentare hunc morbum cum successu.

1159 Acria evacuantia semper hunc morbum exasperant, et sæpe reddunt incurabilem.

1160 Hinc *a.* incipiendum in specie (1151. N. 1.) prima à leni, attenuante,

(*a*) Incipiente morbo crassities sanguinis adest; hinc torpor, pigritia . . in progressu acrimonia exurgit, ita ut pari pasu non procedant: quo *mira* hujus morbi phœnomena utcumque percipiuntur et lævantur.

(*b*) Magni momenti monitum hoc practicum est. Quæ crassities sanguinis exposcit, ejus acrimonia veluti contraindicare videtur.

deobstruente, purgativo, parca dosi sæpe iterata. *b.* pergendum in attenuantibus, et digerentibus dictis. *c.* desinendum in specificis lenioribus, diu continuatis, in forma quacunque. *d.* interim sex res non naturales ita ordinandæ, ut sint contrariæ causis (1150).

1161 Ad secundum gradum (1151. N. 2.) conferent eadem, quæ in priori, (1160. *a. b. c. d.*) Tum usus Scorbuticorum acriorum paulo, forma succi expressi, conservæ, spiritus, salis volatilis Vini, Cerevisiæve Medicatæ; Balnea itidem externa et pediluvia ex antiscorbuticis; frictiones calidæ, siccæ, cum specificis liquidis; sæpe venæ sectio conducet, ut pars acris liquidi tollatur, erosio in vasa nimis distenta minuatur, revulsio procuretur, via paretur medicamentis applicandis.

1162 Prout vero tenuitas aeris, calor ingens, metus Hæmorrhagiæ, majora; vel crassities, inertia, frigus, vasorum pallor, majora; utendum specificis modice adstrigentibus, frigidiusculis, vel calidis, acribusve.

1163 Ad vitia autem oris in hac specie emendanda oportet uti his, quæ antiphlogistica, antiscorbutica, et simul huic illive scorbuti speciei appropiata sunt.

1164 Ad speciem tertiam (1151. N. 3.) valent omnia prædicta, nisi quod utendum sit maxima copia liquidorum lenium,

facile meabilium, Antisepticorum(*a*), Antiscorbuticorum, cum leni promotione sudoris, urinæ, fæcis alvinæ, diu contiuata.

1165 Ad quartam vero speciem rara medela; varianda medendi methodus pro varietate symptomatum; aliquando mercurialia(*b*) prosunt; ut et præscripta (1164).

(*a*) *Antisepticorum* Classis hic etiam necessaria. Scorbutus magnam habet affinitatem cum febribus putridis, ut longo sermone declaravit Medicinæ Doctor et Proffesor Franciscus *Salva* in Tentamine: *De Analogia inter scorbutum et quasdam febres*; quo corticem peruvianum, acidum sulphuricum, atque cruciferas plantas in succum redactas ad sanationem laudat. *Antiscorbuticorum* catalogus hic advocandus. Plantæ, quæ hunc eformant pro alcalinis habitæ hucusque à Boerhaavio ipso, in acidarum familiam transierunt. Cullenius inuit jam plantas istas in acescentiam primo suæ fermentationis tempore transire, et videntur magnam materiæ acescentis quantitatem continere (Med. pract. n. 1805.) In Actis Academiæ regiæ medicinæ parisiensis extat Analysis quarumdam plantarum cruciferarum â Pharmacopœo Tingry (Anno 1783. pag. 341.) qua evincitur plantas istas pro alcalinis habitas, acidas revera esse. Hoc uberius exponitur à prædicto D.D. Fr. *Salva* in tentamine citato, cujus lectionem Tironibus commendamus.

(*b*) Mercurialia in primo scorbuti gradu, quando viscosus lentor adest possent fortassis esse utilia: in hoc tamen præstant vegetabilia antiscorbutica. Quando scorbutica lues atque syphillitica sociantur, vegetabilia utrique adver-

Ex quibus omnibus (1148. ad 1166.) rite consideratis, et cum phænomenis morbi, et cadaverum incisorum, collatis, constat, in curatione felici hujus morbi id agendum maxime, ut indagetur indoles vitiosi humoris et singularis acrimoniæ, quæ prædominans peccat: quumque illa acrimonia sit salina muriatica, acida austera, alcalina fœtens, rancida oleosa; atque de his singulis, et universis sæpe actum sit, ordinatior mali curatio habebitur; et liquet, cur serum lactis, lac ebutyratum, aquæ medicatæ, toties desperata hujus morbi mala sanaverint? et quæ? Cur acidi succi horæi maturi pomorum aurantiorum, citriorum, limoniorum, granatorum, acetosæ, acetosellæ, aceti, vini rhenani, mosellani, toties specifica huic morbo, et quando? Cur adstringentia aus-

santia præferenda. Mercurialia ab omnibus reprobantur. Solutio humorum nimia præsens, et futura dehortantur ea.

Pro curatione hujus mali aliqua proponuntur nimium acria, quæ prudenter administranda, vel vitanda. Talia sunt Pilulæ cochiæ, Acriviola Allia, Arum, Piperitis, Gratiola, Sedum. (V. Sylloge.) Cerevisiæ, vina, serum; aquæ thermales mites præferendæ. Quæsita textus facile percipiuntur. Duo postrema nedum in isto morbo, sed in aliis omnibus consideranda. Empirici, qui artem *brevem* esse vellent, quæ merito ab Hippocrate *longa* dicitur cautiones istas operosas respuunt.

tera, ut Rheum, Lapathum, Tamariscus, Capparis, vinum austerum nigrum, rubrumve, ut et chalybs, adeo sæpe bona? et ubi? Cur acerrima aromata, Cochlearia, Lepidium, Nasturtia, Arum, Raphani, Piper, Zingiber, Sempervivum minus acre, Sales alcalini volatiles, fixi, oleosi, aromatici, saponacei, iterum sæpe sola prosint? Cur quod uni scorbutico salutare, id exitiale idem alteri fiat? Cur ergo non nomini hujus mali studendum sit, sed ejus tantum singulari, ac si alius foret morbus, genio.

APHOR. 1160. L. *a.*

Pulvis purgans.

R. Tartari vitriolati non acidi
Cristalli tartari
Salis Polycresti, singulorum drachmam semis.
Misce. Fiat pulvis,
Mane hauriendus ex sero lactis : superbibat dein
Seri uncias duodecim.

Aliud purgans, haustus forma.

R. Salis polychresti drachmas duas
Pilularum cochiarum majorum scrupulum unum

Syrupi rosarum solutivarum cum senna drachmas sex
Aquæ stillatæ cichorei uncias duas.
Misce. Fiat Haustus.

Similis virtutis.

R. Elixiris proprietatis cum sale tartari præpparati drachmas duas
Syrupi rosarum solutivarum cum senna drachmas septem
Aquæ stillatæ fumariæ uncias duas.
Misce. Fiat Haustus.

Pilulæ purgantes in scorbuti initiis.

R. Pilularum cochiarum majorum drachmam unam
Fiant pilulæ numero viginti, et una.
Capiat duas vesperi ante somnum, mane quinque ante jentaculum.

APHOR. 1160. L. *b.*

Attenuantia digerentia.

Tinctura salis tartari helmoniana ad drachmam unam
Ex *vini* unciis duabus
Harvejana ad drachmas quatuor
Ex *vini* unciis tribus
Martis Ludovici ad drachmam unam
Ex *vini* uncia una.

Tartarus vitriolatus
Crystalli, et cremor tartari
Vitriolum martis
} Singula sumi possunt ad drachmam semis.

Sal polychrestus

Sales tacheniani ex vegetabilibus ad drachmam unam.

Ex *vini* unciis tribus.

Elixir proprietatis cum spiritu aceti præparatus ad drachmas duas

Sale tartari præparatus ad drachmas duas

Aquis aromaticis præparatus ad drachmas tres.

Sales volatiles oleosi, aromatici ad drachmam unam

Sapo venetus ad drachmas quatuor

Starchejanus ad scrupulum semis

Oxymel simplex ad uncias quatuor

Scilliticum simplex ad uncias tres

compositum ad uncias duas.

Conserva	Chinensia
Acetosæ	Citrea
Lujulæ.	Limonia
Poma Aurantia	Granata.

APHOR. 1160. L. c.

Specifica antiscorbutica leniora.

Abrotanum mas, fœmina
Absinthium latifolium, tenuifolium.
Acetosæ omnes species
Acetosellæ omnes species.
Ageratum
Agrimonia
Anagalis mas, fœmina
Artemisia.
Balsamita
Bardana
Becabunga
Botrys
Brassica rubra, capitata
Bunium
Buxus.
Chærophylum
Chamædris
Chamæpitys
Cichorea
Crambe
Cuminoides
Endivia.
Eupatorium cannabinum.
Fœniculum
Fumaria.
Galegæ ambæ species.
Hædera terrestris.
Lapatha
Levisticum.
Majorana
Melissa
Mentha.
Nasturtium aquaticum hortense
Nummularia.
Rheum-barbarum.
Salvia
Scabiosa
Scordium
Sophia.
Veronica.
Urtica.

Poma aromatica odorata.

Aurantia.
Citrea.
Granata.
Limonia.
Fructus Berberis
Cerasa matura quæcumque
Fraga.
Grossulariæ
Mori
Poma acido dulcia
Armeniaca
Persica
Pruna matura quæcumque
Fructus Rubi vulgaris cæsii.
Rubri
Idæi.
Sambuci
Tamarindi
Vitis Idææ.

APHOR. 1161.

Scorbutica acriora.

Acriviola
Allia
Alliaria
Arum
Armoracia
Absinthium.
Cepæ
Chelidonium majus
Cochlearia.
Enula
Erysimum
Eruca.
Gentiana
Gratiola.
Isatis.
Piperitis, vel lepidium
Porrum
Ptarmica draco.
Raphanus hortensis, rusticanus
Ruta.
Sabina
Santonicum.
Saponaria
Sedum minus vermiculare acre
Sinapi
Trifolium aquaticum.

Succus expressus, antiscorbuticus.

R. Raphani rusticani radula rasi uncias quatuor.
Foliorum recentium Cochleariæ
Nummulariæ
Urticæ singulorum manipulos quatuor.
Succum secundum artem exprime, et Saccharo misce.
Capiat uncias duas quater, vel sexies de die.

Spiritus similis.

R. Seminum Sinapi
Raphani hortensis
Erucæ
Erysimi
Nasturtii hortensis singulorum unciam unam.
Foliorum cochleariæ
Lepidii
Raphani rusticani singulorum manipulos duos.
Conscissis, et contussis adde
Salis marini uncias duas
Florum cerevisiæ unciam unam
Spiritus vini quod sufficiat ad excessum duorum digitorum
Destilla, et cohoba ter.

Sal volatile.

Præcedentibus, loco salis marini, et florum cerevisiæ, admisce

Salis ammoniaci contusi uncias tres,
Cinerum clavellatorum uncias septem.
Destilla ut ante.

Cerevisia medicata, antiscorbutica.

R. Foliorum recentium
Cochleariæ, Trifolii aquatici
Erucæ, Singulorum ma-
Erysimi, nipulum unum.
Seminum recentium contusorum nasturtii hortensis,
Raphani hortensis, singulorum uncias duas.
Florum centaurii minoris unciam unam.
Radicis raphani rusticani uncias quinque.
Conscissa reconde in cerevisiæ recentis, et fervescentis dimidio dolio.
Pro potu assiduo.

Vinum medicatum simile.

R. Bulbi Ari recenter effossi unciam semis.
Raphani rusticani unciam unam
Foliorum cochleariæ
Trifolii aquatici singulorum manipulum unum.
Seminum sinapi uncias duas
Vini rhænani libras sex
Fiat secundum artem vinum medicatum.

APHOR. 1162.

Antiscorbutica modice adstringentia.

Capparis
Flos Genistæ
Fraxinus
Lapathum, omnesque ejus species
Lupulus
Polypodium quercinum
Rhabarbarum
Tamariscus.

Antiscorbutica frigidiuscula.

Poma odorata { Aurantia Chinensia / Limonia Granata. / Citrea

Fructus horæi acido dulces.

Acetosa
Acetosella
Cichorea
Endivia
Lujula
Lactucæ
Taraxaca
Hydrogala, æstate.
Serum lactis
Lac ebutyratum
Tartarus, et omnia acida tartarisata.

Calida, et acria.

Vid. Aph. 1161.

APHOR. 1163.

Collutoria oris.

In calidis.

R. Myriæ limonum
Mellis rosacei singulorum uncias duas

Spiritus salis dulcis drachmam semis
Aquæ stillatæ rutæ uncias duas.
Misce.

R. Spiritus salis marini drachmas duas
Aquæ stillatæ salviæ uncias octo.
Misce.

R. Succi limonum recentis unciam unam
Salis ammoniaci drachmam unam
Aquæ stillatitiæ rutæ uncias sex.
Misce.

In frigidis.

R. Spiritus theriacalis
Cochleariæ singulorum unciam unam
Mellis anthosati uncias duas. Misce.

R. Spiritus vini camphorati unciam semis
Tincturæ myrrhæ unciam unam
Rob juniperini unciam semis
Aquæ stillatitiæ absinthi uncias quatuor
Salis gemmæ drachmam unam. Misce.

APHOR. 1164.

Decoctum in scorbuto acri lene antisepticum.

R. Fumariæ unum
Acetosæ
Becabungæ
Trifolii aquatici, singulorum manipulum
Seri lactis
Lactis ebutyrati singulorum pintas duas.
Fiat Decoctum.

Serum lactis antiscorbuticum.

R. Acetosellæ manipulum unum et semis
Betonicæ
Chærophyli singulorum manipulum semis
Tamarindorum unciam unam, et semis
Conscissa infunde cum
Seri lactis æstivi libris tribus.
Spatio horæ, in calore fere fervido, absque ebullitione tamen, dein per linteum expresso, admisce
Syrupi è succo citri
Rubi idæi
Violacei singulorum unciam unam
Bibat de alterutro omni semihorio interdiu unciam unam.

CACHEXIA. (*a*)

1166 Cachexiæ nomine intelligi solet, ea dispositio Corporis, quæ nutritionem (*b*) ejus depravat per totum illius habitum (*c*) simul.

1167 Adeoque pro causa agnoscit vel

(*a*) Sauvagesius Clas. X. *Cachexiæ*. Caracter: Coloris, figuræ, molis in corporis habitu depravatio. Ordines VII. Macies, Tumores, Hydropes, Tubera, Impetigines, Decolorationes, Anomaliæ. Sub istis septem ordinibus includuntur XXXIX. Genera, sub quibus quamplurimæ species comprehenduntur. Cullenius brevior et exactior.

Cullenius Clas. III. *Cachexiæ*, Caracter: totius, vel magnæ partis corporis habitus depravatus; sine pyrexia primaria, vel neurosi. Ordines III. Marcores. Intumescentiæ, Impetigines.

Primi Ordinis Genera sunt: Tabes, Atrophia. Ord. II. Polysarcia, Pneumatosis, Tympanites, Physometra, Anasarca, Hydrocephalus, Hydrorachitis, Hydrothorax, Ascites, Hydrometra, Hydrocele, Physconia, Rachitis. Ord. III. Scrophula, Syphilis, Scorbutus, Elephantiasis, Lepra, Framboesia, Trichoma, Icterus.

(*b*) Iste morbus est veluti congeries omnium malorum chronicorum Pro eo intelligendo tota chylificationis, et nutritionis historia prænoscenda.

(*c*) Nosologi *cachexiam* in morborum classem assumpserunt. Boerhaavius hic de *cachexia* morbo determinato agit; pravo scilicet totius corporis habitu à depravata præsertim in eo nutritione, cujus efectus ab eo propositi sunt Tabes, vel Leucophlegmacia, et Hydrops Anasarca. Doctrina

liquidi nutrientis depravatam indolem quamlibet, vel vitium vasorum receptu-rorum, vel defectum facultatis applicantis.

1168 Humoris depravatio oritur 1. ab assumptis, quæ à virtute mutante in nobis non possunt assimilari restituundis: qualia cibi farinacei, leguminosi, crassi, fibrosi, pingues, acres, aquosi, viscosi (69.) Corpora indigerenda, ut cespites, creta, arenæ, calx &c. 2. Ab defectu motus animalis in otio, torpore, somno nimio. 3. à vitiatis organis per debilitatem nimiam (41. 42. 43. 44.), aut nimium robur (50. 92. &c.); liquidisve vitio non facile medicabili (60. 69. 76. 106. 107. 406.): hisce causam præbent multa, ut omnes secretiones nimiæ, qualescunque demum fuerint, vomitus, diarrhœa quælibet, dysenteria, hæmorrhagia quælibet, visceris singularis vitium scirrhosum &c. retentio quælibet secernendi.

1169 Patet vero, has causas semel positas, vel minuendo solida, vel infarciendo ea liquidis libere transfluere ineptis, agere; unde duplex notabilis hujus mali effectus; Tabes sc. vel Leucophlegmatia, et Hydrops Anasarca.

1170 Quin et pro vario colore, mole, tenacitate, acrimonia, fluiditate liquidi

tamen ista ad omnia Genera, et Species cachexiarum maxime necessaria.

infarcti varii admodum morbi, ut Cachexiæ effectus, prodire solent : Cutis sc. albitudo, pallor, flavedo, lividitas, rubedo, viror, nigritudo, fuscus color; gravitas; tumor sub oculis, et partium tenuissimarum; flatus, œdema partium à corde remotarum; Cordis arteriarumque palpitationes, ad minimum motum admodum auctæ; Urinæ crudæ, tenues; sudores spontanei aquosi plane; tandemque marcor, vel Leucophlegmatia, et Hydrops.

1171 Vitium vasorum recepturorum bona liquida nutrititia universale fingi vix potest ullum; tamen nimia contractilitas et laxitas, atque inde pendentia vitia pro causis admitti possunt : de quibus actum (24. ad 58.)

1172 Defectu facultatis applicantis nutritio universalis impeditur; si vires circulantes sunt nimis languidæ, vel nimis violentæ (92. ad 107.)

1173 Ex quibus diagnosis morbi facilis : prognosin firmat consideratio causæ, durationis, effectus (*a*), gradusque mali.

1174 Quin patet, etiam curationem semper quidem requirere 1. aliquando nimis acris, fluidique mitigationem, inspissationemque modicam. 2. Tenacis, hærentisque, dissolutionem atque fluxilitatem.

(*a*) Vertigo, somnolentia . . affectum caput; facilis anhelatio pectus gravari innuunt.

Sed quum à tam variis causis hæc duo oriri queant, (1168. 1169. 1170.) in primis necessarium esse pro harum diversitate variare et medicamenta, et modum his utendi.

1175 Maxime curandum, ut victus sit ex his, quæ liquidis sanis similia, facile transmittenda, causæ singulari morbi adversa, ægroque in primis grata (*a*) sunt.

1176 Tum ut optime digeri queant, condimentis, potu vinoso, exercitio, aëre, procurandum.

1177 Ut vero organa primarum Coctionum itidem bene disponantur, leni digestivo, vomitivo, purgante, roborante, prospiciendum.

1178 Et ubi horum usu viæ laxatæ, materies morbosa attenuata erit, tum attenuantibus, diureticis, sudoriferis (*b*) insistendum.

1179 Ultimo Chalybeatis utendum, Alcalinis, Saponatis, cum exercitio cursus, vectionis, frictionis, balnei. (*c*)

(*a*) Hippocrates ita prudentissime pronunciavit: *Paulo deterior tum potus, tum cibus; suavior tamen, melioribus quidem, sed ingratioribus præferendus.* Medici hac in re morosi despiciuntur.

(*b*) Hæc utilia sunt dum cachexia in Leucophlegmaciam, vel Anasarcam vergit, non vero in Marasmum. De venæ-sectione in chachexia prudenter pronunciandum.

(*c*) Balnea aquæ tepidæ nocerent: laconicum siccum, et balneum frigidum aliquando conducent.

1180 Hæc autem ex variis peti, varie præparari, applicarique debent, pro causa proxima cognita. (*a*)

1181 Ubi vero à nimia acrimonia consumptio, et tabes Cachectica, inquirendum in acrimoniæ speciem, si fieri quæat, per indagationem causæ Cachexiæ (1168) 2. Temperiei morbi, ægrique. 3. Symptomatum. 4. Excretorumque.

1182 Hæc cognita corrigenda suis contrariis (vid. 1166.)

EMPYEMA. (*b*)

1183 Quoties intra pulmones et pleuram pus in Thoracis cavo colligitur Empyema est.

1184 Quod semper supponit vomicam purulentam fuisse ruptam, cujus elapsum pus Thorace recipitur.

(*a*) Levia capitis tegumenta, et lotio matutina faciei, colli, cervicis aqua frigida, ita firmant vasa superiora ut aeris vicissitudinibus, à quibus cephalalgia, odontalgia, coryza . . oriebantur, resistant, præcipue si simul pedes calescant. V. Richter. Opusc. Med. t. 3. Prolus. xxxiii. p. 285.

(*b*) Sauvagesius Clas. V. Gen. 14. *Empyema.* Species: à peripneumonia, à vomica pleuræ, mediastini, diaphragmatis.

Cullenius has *Varietates* dicit esse non semper distinguendas.

1185 Tales sunt vomicæ. 1. Pulmonum ab inflammatione horum (820. 867.), à sputo sanguineo, à materie ad fluorem inepta (*a*) his impacta. 2. Pleuræ ab inflammatione hujus, (875.) à vulnere externe inflicto levi, cito externe clauso, interne rupto (298.), à contusione hujus, vel ruptione tecta in suppuratum abeunte (324) 3. Diaphragmatis inflammati, suppurati, in superiora rupti (907. 910.). 4. Mediastini similiter affecti (877.) ut et 5. Pericardii ipsius (877).

1186 Cognoscitur futurum 1. ab inflammatione quinque partium (1185.) nulla coctione, revulsione, crisi, medicamento depurata, sed cum horrore vago, febricula, noctu gravi, calore vago, gravitate loco doloris, dyspnoea, appetitu prostrato, siti majori desinente. Vid (833. 892. 913.)

1187 Cognoscitur jam præsens. 1. à tempore inceptæ inflammationis viginti (*b*)

(*a*) In catarrhosis contingit materiam crassam circa fines arteriarum in pulmone hærere, et exuri. Hoc Hippocrates jam dixit, et experientia confirmat. Vomica sive tuberculum, aliquando *non prius se prodit quam ægrotantem interimit* ex Tulpio, et calamitosius experientia frequentissima.

(*b*) Tempus ruptionis vomicæ varium est; aliæ enim XX. aliæ XL. aliæ posterius aperiuntur. Vomica rupta symptomata minuuntur, sed Medicus cautus corpori, animæ, atque famæ suæ prospiciat.

dierum sine purgatione. 2. à signis vomicæ in quinque partibus (1185.) disparentibus. 3. à novo dolore, tussi, dyspnoea, salivatione ortis, moxque disparentibus. 4. à tussi sicca, gravitate ad diaphragma, decubitu in unum latus, strepitu puris ad motus, febre lenta, genis rubentibus, oculis cavis, digitis in extremitate calidis, unguibus recurvis, abdominis tumore.

1188 Effectus hujus mali 1. puris ex ulcere rupto, nec dein sanato, vel repurgato, continua accumulatio. 2. hujus in loco clauso, calido, humido, perpetim agitato, exacerbatio, putredo, fœtor, attenuatio. 3. diaphragmatis elevandi impedimentum, pulmonumque extendendorum: unde anhelosa, difficilis, erecta respiratio, metus suffocationis jacenti, decubitus in liberam partem impossibilis, tussis sicca perpetua, anxietas. 4. Pulmonis, Pleuræ, Diaphragmatis, Pericardii, Cordis ipsius maceratio, corrosio; in tabum fluidum consumptio, unde febricula hectica cum pulsu celeri, parvo, rubore genarum, siti perpetua, fame sublata, debilitate summa, animi defectibus. 5. hinc omnium liquidorum ineptitudo ad nutritionem, circulationem, secretionem, excretionemque; unde tabes, *atrophia*, fibrarum resolutio, liquidorum putredo; adeoque vel per comesum pulmonem rejectio, vel alvi fluor saniosus letalis, cum

sudore nocturno post somnum, pustulis faciei, aduncis unguibus, flavedine pellucente, facie Hippocratica.

1189 Curatio hujus pro varietate causæ statusque mali diversa plane est.

1190 Nam 1. cognita vomica pulmonis, pleuræ, diaphragmatis, mediastini, et pericardii; quod cognoscitnr ex signis propriis, (834. 835 893. 910.) omni ope nitendum, ut id rumpatur (*a*) quantocius, et determinetur ad exteriora: quod fit igne (*b*), ferro, medicamentis, motu idoneo.

1191 2. Ubi constat jam factam disruptionem (302. 836. N. 4. 5. 894. 910), tum statim pus elapsum erit educendum, *a.* per os, si natura hanc monstraverit viam. *b.* per urinas, si in ea apparent puris evacuati signa. *c.* per Thoracis aper-

(*a*) Hoc maximam exigit præmeditationem.

(*b*) Omni artis molimine tentandum est, ut via concilietur puri versus exteriora. Veteres Medici pluribus locis urere thoracis exteriora solebant dum non constabat certo de loco vomicæ latentis. Willisius hæc habet: aliquoties novi in vomica pulmonis per membranas pleuræ adnatas humorem à cysti in fontanellam lateri inustam derivatam fuisse, adeoque sputo cesante morbum alias incurabilem visum tali epicraseos via sanatum fuisse (Cerebr. anat. cap. XII. pag. 147.)

Mollius hodie medicinam facimus, an melius? Non adeo liquet. Hæc ex van-Swietenio inustiones istas Antiquorum approbante.

turam, (*a*) factam ope instrumenti idonei in latere affecto, inter costam 5 et 6, vel 4 et 5, ab inferioribus numero ducto, pure lente, et per vices educto, et leni mulsa aliquando repurgato, ultimo bene consolidato (303.) *d.* dando simul decocta Vulneraria, abstergentia, putredini resistentia satis magna copia.

1192 Si pus album, læve, æquale, fœtoris expers, specillum non colorans exit, si æger sine febri, siti, albi fluore, bene appetit, digerit, cætera sanus est, aëri ingressus in thoracem, quantum possibile prohibetur, spes est, ægrum convalituram (304. 305.)

1193 Si pus fuscum, ichorosum, fibrillis mistum, fœtidum, specillum instar ignis colorans, subcruentum, uno impetu totum effluens, prodit, summum periculum, et mors, vel phthisis.

1194 Si exesum fuerit mediastinum, aperto thorace, sæpe subitanea suffocatio.

1195 Si Empyema vetus, vires collapsæ, capilli jam cadant, alvi fluor colliquativus adsit; Corpus contabescat; paracentesis facta mortem accelerare (*b*) solet.

(*a*) Si vomica in Mediastini cavitate adsit Sterni perterebratio tentanda.

(*b*) In isto casu absdubio curatio paliativa unice locum habet.

HÆMOPTOE : (*a*)

PHTHISIS PULMONALIS.

1196 Si ulcus pulmones exederit, ita ut totus inde habitus Corporis consumatur, Phthisis Pulmonalis ægrum afficere dicitur.

(*a*) Sauvagesius Clas. IX. *Fluxus.* Gen. II. *Hæmopthisis.* Species : accidentalis, (à plethora) habitualis (ab acrimonia), traumatica (à ruptione), catamenialis.

Cullenius classem *Fluxuum* Sauvagesii, Sagari, et etiam Vogelii, atque Linnæi non admittit, cum illa morbos tum facie, tum natura omnino disimiles conjungat ; et ideo *hæmorrhagiam* ad classem I. *Febrium* reducit, cum pyrexia quædam eam semper comitetur, activam præsertim, de qua hic agit. Genera hujus sunt : Epistaxis (profussio sanguinis è naribus) Hæmoptysis, Hæmorrhois, Memorrhagia (menstrua copiosa) Hæmatemesis (sanguinis vomitus) Hæmaturia (sanguinis per urinas excretio.)

Maxime notanda hic divisio illa hæmorrhagiæ cujuslibet in *activam*, et *pasivam* ad curationem recte instituendam necessaria.

Idiopathicæ species præcipuæ Hæmoptysis sunt: plethorica, violenta, phthisica, calculosa, vicaria (evacuationis alterius solitæ suppressæ.) Symptomaticæ sunt : pneumonica, catarrhalis, exanthematica, variolosa, hydropica, cachectica. Quæ ab anastomosi, diapedesi, rixi, atque diabrosi desumuntur, quidquid aliqui ineptè contradicant, retinendæ. Vid. Inst. Med. §. 707.

1197 Cujus ulceris origo deducitur ab omni causa, quæ valet sanguinem in pulmonibus ita sistere, ut in materiem purulentam abire cogatur.

1198 Hæ causæ possunt referri 1. ad ipsam Corporis temperiem illam, qua vergunt in HÆMOPTOEN primo, hinc in ulcus loci erosi.

Hæc consistit *a.* in teneritudine vasorum arteriosorum, et in impetu acrioris utcunque sanguinis : cognoscitur conspectu tenellorum vasculorum, et totius corporis ; collo longo ; Thorace plano et angusto ; scapulis depressis ; sanguine valde rutilo, tenui, dissoluto, acri, calido ; colore valde candido, et amœno roseo ; cute pellucida ; hilaritate, et subtilitate præcoci ingenii.

b. In ea debilitate viscerum, qua ingesta sua indole nimis tenacia obstructiones, putrefactiones, acrimonias, suscipiunt, hisque dein malis erosa vasa, post hæmoptoen (*a*), exulcerant : cognos-

(*a*) In ea conditione viscerum ventris imi, ubi sanguis venæ portarum aut ob copiam, lentorem atrabiliarium, aut ob viscera à causis præviis obstruentibus impervia tardius movetur, abundantius congeritur ; unde plethora abdominalis : inde reliqui sanguinis ad superiora nisus major, ejusdem per pulmonalia vasa transpressio laboriosior ; in eadem vis major ; horum distractio, ruptura : inde hæmoptoe, et quæ hanc exci-

citur levi febricula, tussicula sicca, calore majori, rubore labiorum, oris, genarum, auctis et insurgentibus quo tempore novi chyli in sanguinem ingressus, facili sudore dormienti, debilitate, anhelitu ad minimum motum magno.

c. In ea ætate, qua vasa incrementi apicem adepta, ulteriori productioni suæ resistunt, dum interim sanguis augetur copia, acrimonia, impetu; adeoque intra 16 et 36 ætatis annum.

d. In hæreditaria dispositione: huc refer dicta (24. 26. 29. 38. 39. 40. 41. 44. 45. 48. 60. 61. 64. 69. 72. 82. 84. 86. 100. 106.), illa enim comparata modo dictis (1198. *a. b. c. d.*) explicant, definiunt, præsagiunt, naturam, causas, effectus, hæmoptoes.

Hujus vero conditionis effectum, hæmoptoen accelerant 1. omnes consuetæ excretiones interceptæ, maxime sanguineæ, ut hæmorrhoidalis, uterina menstrua, lochiorumve, hæmorrhagia narium, missio sanguinis consueta, in primis in plethoricis, vel truncatis membra.

2. Vis quæcunque magna pulmonibus illata, tussi, clamore, cantu, cursu, nixu

piunt mala: quæ in habitu corporis eusarci, ventricosi, opiparè pasti, desidiosi, atque ex repletione hypochondriaci, hæmorrhoidarii, aut alitèr obstructi accidere possunt. Hæc Stollius.

corporis ingenti, ira, vulnere quocunque quacunque causa inflicto.

3. Victu acri, salino, aromatico; potu simili; vita; morbo alio, unde copia, acrimonia, velocitas, rarefactio, calor sanguinis augetur; unde in febribus acutis, peste, variolis, scorbuto, toties contingit.

1199 Hinc (1198.) oritur cum dolore levi, calore modico, angusta oppressione in Thorace perceptis; exit sanguis plerumque floridus, coccineus, spumans, cum tussi, strepitu pulmonis (*a*), fibris, membranulis, vasculis arteriosis, venosis, bronchialibus; pulsu molli, parvo, undoso, anhelitu; sapore salso in ore antegresso. (*b*)

(*a*) Sanguis potest vitio hepatis per os rejici. Tensio, dolor . . hypochondrii dextri id innuunt. Hoc pro curatione advertendum. Insignis Duretus istam hæmoptoen passus fuit, à qua, hirudine ano applicata convaluit (Comment. in Coac. Hipp. Sent. 46. Lib. 2.). *Pulsus* hæmoptoen prænuntians est dicrotus, seu bis pulsans ex solanianis observationibus.

(*b*) Solicita cura distinguendum an sanguis ex oris interni partibus, ex naso in fauces delatus, ex palato, capite; an à pulmone ipso prodeat. Pariter notandum non ab omni sanguinis sputo puris sputum sequi: hoc enim accidit quando sanguis acris, et mali moris est. (Galen. in Hipp. Aph. 15. lib. VI.)

Signa in textu proposita indicant sanguinem ex pulmone rejici. Capitis dolor præcedens, gra-

1200 Curatur 1. Venæ sectione larga, tertio quoque die, ad quartam usque vicem repetita vel donec crusta (*a*) inflammatoria integre disparuit. 2. Medicamentis refrigerantibus, incrassantibus, stipticis, lenientibus, diu usurpatis, intermistis subinde lenissimis balsamicis. 3. Sex rebus non naturalibus ita directis, ut adversissi-

vitas, calor, vigiliæ, nimiæ animi perturbationes . . sanguinis sputum nigrescens, grumosum.. à capite venire ostendunt; licet aliqua tussis adsit. Si sanguinis sputum simplici sputatione, excreatione fit, cum titilatione in palato, et faucibus . . ex gingivis, ore, faucibus ipsis provenit.

(*a*) Signum istud infidum est. Plethora, vires, inflammatio præsens, vel absens evacuationes istas metiuntur. *Diæta à qua, quam siccissimus, et exanguissimus fiat* ab Hippocrate (lib. I. de Morb. Sect. I. v. 223.) proposita prudenter exequenda. Agitur certe hic de hæmoptisi *activa*, quam febris aliqua comitatur, seu vasorum irritatio aucta, quo casu venæ-sectiones repetitæ, methodus seu regimen aniphlogisticum, nitrosum, demulcens, mucilaginosum . . intermixtis non *balsamicis* quantumvis *lenissimis*, sed diacodiatis, prossunt. Diæta lactea, seu potius vegetabilis instituenda. Balsamica quoniam calida, et adstringentia seu *stiptica* prudentissime administranda, seu potius timenda. Acida inter quæ Galeni Posca eminet præferenda. Mineralia acida cautè administranda. Ferrum, cortex peruvianus, aqua frigidissima . . in hoc casu phlogistico nociva sunt. An Emplastrum vesicatorium pectori, seu dorso ..icatum præstantius?

mæ sint Causis (1198.) enarratis : maxime victu, vitaque, blandissimis semper continuatis, quo lactis diæta in primis facit. 4. Corrigendo specificam naturam causæ vel morbi singularis. (*a*)

1201 Ubi semel accidit, sedatumque est (1200.), quibuslibet sex mensibus per aliquot annos mittendus sanguis, sensim tamen copiam minuendo.

1202 Si vero ob magnitudinem mali (1198.), stiptica male applicata, neglectamve veram medendi methodum (*b*) (1200.), post sputum sanguinis oritur dyspnœa, assiduo increscens ; horror vagus ; calor ruborque genarum ; tussicula sicca ; febricula hectica ; sitis major, debilitas, gravitatis in Thorace sensus ; signat, vulnus hæmoptoes jam collectam circa labia sua, et sub crusta arefacti cruoris, materiem mutare in pus, collectionem abire in VO-

(*a*) An adesse possit acrimonia biliosa congestionibus versus pectus producendis opportuna? Hoc in casu (inquit Selle, de hæmoptisi loquens) salia media exhibentur, et si sordes turgescant tuto emeticum propinare licet, dummodo ne hoc brevi ante exacerbationem fiat, quia tum semper adhuc hæmoptisis nova extimescenda est.

(*b*) Iterum advertendum, *stiptica*, sive adstringentia in malo isto prudentissime administranda esse. *Vera medendi methodus neglecta* mala insuperabilia producit. Væ illis, qui ista adeo lubrica, atque terrentia contemnunt! ipsi viderint.

MICAM TECTAM, qua rupta, in ulcus pulmonum apertum.

1203 2. Oritur itidem Collectio hæc puris, præter causas dictas (1198.), à peripneumonia quacunque terminata in apostema (832. ad 843. 867.); cognoscitur iisdem signis (832. ad 843. 867.)

1204 3. Quin Empyema (1185.) ortum potest rodere, eliquare, consumere pulmonem; ut fiat idem morbus, ac si proprio hic ulcere absumeretur (1188. N. 4.) Cognosciturque signis ibidem positis.

1205 Unde liquet, quænam signa sint cognoscendi ulceris pulmonalis, etiam tecti; quot diversæ ejus causæ (*a*), quam di-

Vomica tecta sedulo rimanda. Fernelius errores in ista prænoscenda non adscribit Arti medicæ, sed Medicis dum minus attendunt ad illa, quæ in morbis contingunt (Patholog. lib. V. cap. 10.)

(*a*) Præter causas memoratas ulceris pulmonalis addendæ *Catarrhus*, et *Tuberculum*. Catarrhus in prædispositis ad phthisim, á materie utcumque acri productus, pulmonem irritare, inflammare, suppurare, ulcerare poterit. Sputa in hoc casu mucosa erunt, et purulenta, quæ distinguere necesse est. De phthisi ista à catarrho procedente egit jam Hippocrates (Lib. de Intern. Affection.) Catarrhus pertinacia lædens pulmones fortiter, atque frequenter agitando *tubercula* in ipsis facere potis erit, à quibus *Phthisis*. Tuberculæ ista ab asthmate præsertim spasmodico fre-

versæ species, ut et quam diversa PHTHISIS? (*a*)

1206 Effectus vero Ulceris pulmonalis jam facti, sed tecti, nomine Vomicæ, hi fere observandi: puris acrimonia, co-

quentissime repetito nasci etiam poterunt. Hippocrates de Pulmonis tuberculo (Lib. II. de Morbis) egit. Tubercula ista sunt corpuscula rotunda, dura, cartilaginis instar, magnitudinis variæ sine vesiculis, celulis, nec vasis in tela pulmonis celulari, seu interlobulari existentia. Aliquæ cavitates, sive foraminula in ipsis reperiuntur pus continentes, et eructantes. Cavitates istæ aliquando semipolicares et amplius apertura rotunda ramo aliquo asperæ arteriæ communicant, quo pus in tracheam evomunt: cum aere externo communicant etiam, et Tuberculum tunc *Vomica* debet apellari. De ista ut et de illis quæ in vesiculis aereis textus celularis efformantur, quæ potius compressione vasorum contiguorum, quam aliter nocent egit Boerhaavius hic, et alibi, ubi de Peripneumonia, Empiemate . . tractavit.

(*a*) Sauvagesius et Cullenius varias Phthiseos species proponunt, inter quas præcipuæ sunt: *incipiens*, seu sicca, *confirmata*, seu humida, hæmoptoica, exanthematica, chlorotica, hypochondriaca, syphillitica, cellularis, à metastasi puris.

His addendæ Phthisis acuta, chronica, nervosa. An etiam Tabes dorsalis, Atrophia infantum, et Marasmus senilis? Phthisis etiam trachealis, pituitosa, sive catarrhosa considerandæ. De *Phthisi sine ulcere, et de Phthisi nervosa* Prolusiones extant apud Richterum Tom. III. Opuscul. medic. pag. 126. et 133. lectu dignissimæ.

pia, putredo quotidie auctæ; membranæ hoc coërcentis dilatatio, corrosio, maceratio; vasorum sanguiferorum, Bronchialiumque conversio in pus; totius pulmonis, vel alterutrius lobi consumptio purulenta; tussis fere perpetua sicca, vel sputa solo concussu tussiculoso abrasa promens; sanguinis in ulcus affluentis conversio in pus, vomicæ propagatio in pulmone; vomicæ hujus perruptio in laryngis tubos, puris suffocans aliquando secretio, vel quotidiana cum tussi, ingens, in aqua subsidens, coacta, dulcis, pinguis, fœtida, (*a*)

(*a*) *Sputa fœtida* mala, et contagiosa; circa rem tamen istam caute procedendum. Valde mirum videbitur Boerhaavium, qui in Podagra *Contagium* agnoscit, in Scorbuto *Contagium celere* . . in Phthisi Pulmonis ulcerosa Sputis gravibus, fœtidis . . purulentis fœdata . . alicujus *contagii* nec mentionem facere. Van-Swietenius in hujus sputi fœtidi . . commentario hæc ait: »Talibus autem phthisicis consuescere tutum mi»nime videtur, cum putridus sputorum halitus »ab adstantibus una cum aere inspirato in pul»mones trahatur; metus enim est, ne contagio »in sanos propagetur morbus." Galenum, Tulpium, et Benedictum, tanquam in isto consentientes hic adducit.

E contra: Cullenius (El. Med. Pract. n. 886.) hujus morbi contagium vix admittit. Bosquillonius multum de eodem dubitat. Doctor Starck et alii dissectores plurima Phthisicorum cadavera dissecuerunt omnino illæssi.

Utinam opinio hujusmodi contagii penitus abo-

alba, rubra, flava, livida, cineritia, strigmentosa, igni imposita carnem assam spirans fœtidam; Vomicæ perruptio in cavum Thoracis, unde respiratio difficillima, phænomena Empyematis (1188. N. 4.). Tum respiratio pessima, consumptio omnis sanguinis; chylique in pus; nutritivi præparatio sublata; solidorum consumptio fere integra; febris hectica cum pulsu parvo, languido, calore ad superiora acri, genis rubentibus, facie Hippocratica; an-

leatur in ægrotantium bona, assistentium tranquilitatem, atque supelectilium à flammis liberandorum conservationem! Hodierna Chemia aliqua fausta pollicetur. Aer inspiratione haustus magnam *Azoe* partem ipsi essencialem secum vehit, quæ vi ipsius vocis, *vitæ* nempe *privativum* nocentissima judicatur: sed magna Divini Numinis providentia immutatus, et innoxius ejicitur. An non idem continget miasmati ulceroso? Amplius. *Oxigenium* in ipso aere inspirato ingreditur: pars ejus Pulmonem servat, atque confortat: pars in acidum carbonicum conversa miasma putridum neutralizat: reliquum acidum cum sit, absque carbonis intermedio eum destruit, nocendique vim penitus exhaurit. Ista tamen Chemiæ sublimis cultoribus examinanda atque promovenda relinquimus. Interea Tirones consulant eruditum Tentamen Johan. Arbuthnoti de Edfectibus Aeris in corpore humano, et eruditissimum Commentatorem, et Notatorem Patr. Fortunatum de Felici . . et librum etiam utilem Antonii Perezii de Escobar Archiatrum hispanum sub hoc titulo: *Historia de todos los Contagios.* Madrid A. 1776.

xietas inexplicabilis circa vesperam plerumque ; sitis magna , sudor nocturnus ingens, pustulæ rubræ ; pedum , manuumque inflatio à parte affecta ; debilitas summa; vox rauca ; capillorum defluvium ; pruritus toto corpore , cum pustulis aquosis, diarrhœa flava , fœtida , purulenta , cadaverosa , frequens , tenesmodes , debilitans; sputi suppressio ; mors. Unde Regulæ hæ perspiciuntur.

1207 1. Phthisis hæreditaria omnium pessima , nec sananda , nisi cum præcautione (*a*) hæmoptoës.

2. Phthisis ab hæmoptoe per vim externam , sine vitio interno præexistente, levissima est , cæteris paribus.

3. Phthisis (2.) , in qua subito rumpitur vomica , expuitur pus album , coctum, æquale , facile , respondens copia ulceri, sine siti , cum appetitu , digestione , secretione , excretione bona , difficulter quidem , tamen sanari potest.

4. Phthisis ab Empyemate insanabilis.

5. Sputa gravia , solida , olentia , dulcia , cum signis ultimis (1206.) desperata.

1208 Postquam Vomica jam facta in pulmone , indicatio oritur medica , eam

(*a*) Utinam Medici in morborum prophilaxi impensius insudarent! In hoc casu alias infelicissimo, necessarium. Venæsectiones modicæ debitis temporibus repetitæ: diæta exacta . . eminent.

ilico maturare, rumpere (*a*) : quod fit victu lacteo, motu equitationis, vapore tepido, expectorantibus : ubi rupta, tum.

1. Sanguinem munire contra infectionem purulentam oportet.

2. Ulcus quantocyus evacuare pure, et labia abstergere, consolidare.

3. Hujusmodi in corpus ingerere, quæ minimam requirunt vim, ut per pulmones fluere, ibique subigi queant, tamen nutrire apta, et puris refectioni inepta.

1209 Primæ indicationi satisfit ope medicaminum leniter et grate acidorum, salsorum, Herbarum vulnerariarum, balsamicorum (*b*) lenium, omni forma, magna copia diu usurpatorum.

1210 Alteri vero per medicamina liquida, diuretica, tussim moventia, interna, externa, motum, Equitationem, Rusticationem expellendo ; tum ope abster-

(*a*) Hoc maximam cautelam expostulat. Motus equitationis caute ad id asumendus ; imo penitus vitandus. Rupto abscessu sanguis liberandus à diathesi phlogistica post hæmoptoen à causa (Aph. 1198. *a*) fere semper residua : ulcus quantocyus consolidari, et inflammatio in ulceris ambitu præcaveri, sive sanari.

(*b*) Inter remedia ad id asequendum utilia cortex peruvianus, et aqua picea eminent. Saccharum rosaceum magna copia è longinquo, ab Avicena ipso celebratur. Camphora, Alumen . . etiam ut antiputrida admittuntur.

gentium balsamicorum internorum, externorumque (*a*) depurando; atque ope Consolidantium Paregoricorum consolidando.

1211 Ad tertiam indicationem ptisana, juscula, (*b*) lacticinia spectant.

1212 Curatio vero hujus morbi pal-

(*a*) Van-Swieten. mentionem facit balnei terræ solaniani. Aqua calcis aliquando prodesse potest. Paregorica blanda in isto casu sputa non sistunt.

(*b*) Juscula ex testudinum, ranarum . . carnibus bona. Lacticinia optima. Lac humanum aptius : lac asininum, caprinum, baccinum suo ordine supplere possunt.

Maximilianus Stollius ad his tribus satisfaciendum hæc habet:

»*Primæ indicationi satisfit ope medicaminum* re»frigerantium, nitratorum, emollientium, emulso»rum tenuium ex amygdalis dulcibus, et semini»bus frigidis confectorum *omni forma, magna copia,* »parvulo tamen haustu vice singula, diu tepi»dè sorbilandorum.

»Alteri vero 1. prohibendo medicamina cale»facientia, sanguinem rarefacientia, ad pulmo»nes determinantia; illius motum, copiam, acri»moniam augentia, quocunque specioso titulo »abstergendi, depurandi, consolidandi, remedii »vulnerarii, balsamici, antipyici, antiseptici »commendata, *tussim moventia, interna, exter»na; motum, equitationem.*

»2. Conciliando quietem maximam ulceratæ »parti, quod fit pace mentis, corporisque; hinc »decumbendo assiduo, abstinendo ab omni vo-

liativa (*a*) maxime spectat tussim, anxietates, alvi fluorem.

1213 Quibus occurritur diæta (1211.), Opiatis caute adhibitis, liquidis calidis (*b*).

„luntario exercitio pulmonis, ut is quam mini„mis inspirationibus vexatus admittat ulceris sa„nationem.

„*Ad tertiam indicationem ptisanæ*, cremores, „serum lactis, lac ebutyratum, hydrogala, et „victus è vegetabilibus præparatus spectat."

(*a*) Symptomata ista saltem palliativam curam; si radicali opponuntur exigunt. Austeri Philosophi curam palliativam damnant. Vidit tamen van-Swietenius severo fastu turgentes Philosophos dum sani erant, in his angustiis constitutos à quovis obvio petiisse lenimen malorum.

(*b*) Diæta proposita partitis vicibus alimenta optima parca copia exhibens hic necessaria. *Tussis*, jam indomabilis opiata tanquam unica fere auxilia exigit. *Anxietates* à pulmonis vasis chylum et sanguinem protrudere impotentibus *liquidis calidis* partitis etiam vicibus exhibitis levari utcumque poterunt. *Alvi fluxus*, à quo morbus, et vita ipsa evanescunt, opiatis, et adstringentibus *caute adhibitis*, utcumque moderatur. Diascordium, Philonium romanum supra, et infra pro clysteribus, levamen adferunt. Van-Swieteniuslaudat Clysma istud: Terebinthinæ purissimæ drachma, vitello ovi soluta, uncia dimidia theriacæ unciis quatuor lactis recentis diluta. Mitius, et opportunius ese enema ex opio cum gummi arabico paratum; cum calida illa ut theriaca, et terebinthina febrim, æstum, et sudorem augeant.

Capiti huic *De Phthisi pulmonali* ista addit Stollius, quæ transcribere lubet:

Ex his liquet quæ sit remediorum, methodorumque æstimatio, quas praxis commendat in phthisi pulmonali:

An et quando cortici peruviano sit locus, et cur obsit sæpius:

Cur Ver, et Autumnus tabidis funestus, et quonam mortis genere; quid extispicia tunc doceant:

Unde curationis dificultas in sanando ulcere pulmonum:

Cur morbus hic in urbibus, et in quibus, et cuinam hominum generi, sexui, ætati, sit insidiosior:

Quæ prophylaxis in familiis gentilitiæ phthisi obnoxiis:

Quando setaceum, fonticulus, rubefacientia assiduò adplicata ad brachia, sub usu lactis asinini, hydrogalactis, decoctis cerealium, radicis salab, et aquis Selteranis (*seu aliis similibus*) lacti commixtis phthisi pulmonali medeantur, et à qua causa oriundæ:

Quid sit illud Hippocratis, sanguinem ex pulmonibus spuere, vel eundem spuere ex hepate:

Cur hœmoptoe larga, subito orta in non prædisposito, sine febre, aut ea mox desinente post sputum, raro in phthisin abeat, et sæpius sanetur cum constantia; contrarium vero fiat in casu opposito. *Hucusque Stollius.*

Phthisis sine ulcere, Haenni puogenia à Bosquillonio, Bonnet, Murray, Scrœder, aliisque etiam observata confirmatur.

Phthisis catarrhosa, quæ communissima est expectorantia, exicantia, vesicatoria, fonticulos, vomitoria . . post ista corticem peruvianum, vina, ferrum, balnea frigida, tonica alia exigit. Quando catarrhus suspicionem producit an inci-

derit jam in phthisim, sputa mucosa, vel purulenta definiunt. Transparentia, vel opacitas albescens, subpallida, vel subviridis: viscositas, ita ut in aqua projectus difficile solvatur, ita ut sputa separata maneant: odoris carentia: supernatantia in aqua: facilior disolutio in acido vitriolico: facilis linteorum immundorum purificatio.. mucosa esse sputa denuntiant: contraria vero purulenta. Nihilominus cautè hic procedendum. In Actis Societ. reg. medic. parisien. præmium iterato fuit propositum *super determinanda puris natura, atque signis eum dignoscendi in diversis morbis, atque præsertim pectoris*, et adhuc forte sub Judice lis est.

Phthises gastricæ sive *pituitosæ*, sive *biliosæ*, de quibus Stollius agit variis Rat. med. locis considerandæ. Emetica, seu Emetico-catartica secundum artem exhibita in his prosunt.

Phthisis nervosa consumptionem, ab ea, quam vomica rupta (1206.) producit, diversam exhibet; quæ consistit non in affectione nervorum, everso tono, et præternaturali statu spirituum animalium (ut Mortonus Cap. 1. de Phthisi nervosa judicat); sed in tertia illa nervorum specie ex arteriarum finibus nata, qua opus nutritionis dirigitur, consistit, ut ex Boerhaavio ipso (Inst. medic. §. 440. 446. 447.) demonstrat Auctor Prolusionis prædictæ de Phthisi nervosa. Hic asserit istam Phthisim vulgari deteriorem esse, quæ nervinis, stomachicis, amaris, chalybeatis in aere aprico, et sereno exercitiis gnaviter antevertenda; alias enim fallaci lenitatis specie in subitam virium stragem desinit, et tandem necat.

Phthisis exanthemathica exanthematum eruptionem ut necessariam indicat. Vesicatoria, fonticuli.. utilissima. Scabies retropulsa morbum is-

PHTHISES ALIÆ. (a)

1214 Ut ab ulcere Pulmonis, ita Hepatis, lienis, pancreatis, mesaraei, renum, uteri, vesicæ &c. phthisis produci potest, cujus cognitio, prædictio, effectus,

tum communiter producit, qui medicamentis antipsoricis internis, et præsertim scabiei ipsius contagione sananda. An scabies ista contagio, seu inoculatione comparata ad alias Phthiseos species valere possit? V. Cullen. El. de Med. Pract. N. 898.

Varia pro isto morbo remedia proponuntur. Aliqua inuam. Lichen pyxidatus lacte coctus: stabulum baccinum quod fœdum, et infidum: silentium nedum hippocraticum, sed harpocraticum . . et alia plurima.

Morbus iste PHTHISIS, ejusque prodromus frequentior HÆMOPTISIS exacte, atque penitissimè debent à Medicis introspici, atque enucleari; teterrimi enim sunt, atque communissimi. Thomas Sydenham censuit phthisi duos fere trientes eorum esse, quos morbi chronici Londini jugulant, (Dissert. Epist. ad Wilh. Cole.) quæ funera ubibis fere eadem infeliciter observantur; quod maximam Medicorum ad ista mala prævertenda, atque sananda attentionem, atque sedulitatem expostulat. Richardi Morton *Phthisiologia*, et Christophori Bennet *theatrum tabidorum*, qui ambo phthisi pertinacissima, atque ineluctabili, licet arte sua sublimi procrastinata perierunt, in manibus omnium Medicorum, atque diurna, nocturnave opera versari debent.

(a) Phthisis *hepatica* per sensum in hypochondrio dextro præssorium, per colorem cutis fla-

curatio, palliatio facile ex iisdem fontibus petitur ab eo, qui visceris cujusque effectus naturales perspectos habet.

vum, per turbas in appetitu, coctione, sedibus.. per morbum prægressum ulcus in ista parte relinquere valentem, cognosci poterit. Pus ad suras quandoque dejicitur. Aliquando vomica inter peritonæum et membranam hepatis exteriorem formatur, tumorem gignit; tumque per apertionem artificialem evacuari potest. Ita caveri poterit in cavum abdominis apertio, Ascitis purulenti productio, et mors.

Phthisis *lienalis* ex intumescentia et pulsatione in hypochondrio sinistro similiter adverti poterit. Pes sinister ut plurimum intumescit. Ægri sunt tristes, et morosi. Morbus iste rarus ulcere versus exteriora, vel sponte, vel cantaridibus, vel alitèr excitato sanari poterit.

Phthisis *mesenterica* plerumque ex acrimonia scrophulosa nascitur, cui licet difficillimè occurrendum.

Phthisis *uterina* ab exulceratione maligna, ac carcinomatosa plerumque oritur. Injectiones purificantes, et demulcentes ex radicibus recentibus consolidæ majoris, cicutæ, et scordii in corticis peruviani tinctura incoctis opitulantur. Si è fluore albo nimium frequenti, et diuturno orta, roborantia externa, atque interna prossunt. Forsitan quoque vapores ex aere fixo immediate ad partem affectam admissi eximium præstare possunt usum.

Phthisis *vesicæ* ab ulcere post inflammationem . . in ea sequuto nasci poterit. *Catharrus*, quem aliquando patitur pars ista, de quo morbo Lieutaudius agit (Prax. Med. Lib. I. Sect. V.) Phthisin etiam producere potis erit.

APHOR. 1200. Num. 2.

Conditum incrassans, stypticum.

R. Conservæ rosarum rubrarum uncias tres.
Boli armenæ lævigatæ drachmas duas
Syrupi Mirtini, quod sufficiat, ut
Fiat Conditum.
Capiat drachmam unam omni bihorio.

Conserva refrigerans, styptica.

R. Foliorum tenerorum plantaginis uncias tres.
Florum papaveris rhæados unciam unam, et semis.
Seminis plantaginis recentis unciam unam.
Misce secundum artem cum sufficiente quantitate sacchari,
Ut fiat Conserva.
Dosis ut supra.

Decoctum refrigerans antisepticum.

R. Foliorum acetosæ manipulos duos
In seri lactis libra una decocti, et expressi uncia una bibatur omni hora diei.

Phthisis *intestinalis* est, vel sequela veneni admodum corrosivi vel dysenteriæ. Demulcentia, puris exitum promoventia novasque inflammationes præcaventia conducent.

Simile stipticum.

R. Radicis Tormentillæ uncias duas
Pentaphyllodes argentinæ manipulos tres.
Florum pentaphylloides rubri palustris unciam unam.
Seminis contusi acetosæ unciam semis
Corticis Tamarisci uncias duas.
Cum aqua decoctis spatio quartæ partis horæ libris quatuor admisce
Syrupi myrtini uncias duas.
Bibat uncias duas omni bihorio diei.

Balsama lenissima.

Oleum expressum, lenissimum.

R. Amygdalarum dulcium
Nucleorum cocos
Pistachiorum
Seminis papaveris albi singulorum uncias quatuor
Accurate contusis seccundum artem sine multo igne, exprime oleum.
Hujus olei drachma una bibatur omni bihorio, vel quadrihorio, cum regimine.

Pilulæ balsamicæ, lenes.

R. Terebinthinæ nativæ unciam semis
Glycyrrhicæ quod sufficiat ut fiat
Masa pilulis formandis idonea.
Capiatur una granorum quatuor omni quadrihorio.

Vel.

R. Terebinthinæ nativæ unciam semis
Gummi Tragacanthi pulverisati drachmas quinque
Amyli quod sufficiat ut
Fiat Massa, in eodem usus.
Balsamus Lucatellæ
Capiat drachmam semis ter quotidie, vacuo ventriculo superbibendo unciam unam sequentis mulsæ.

Mulsa balsamica.

R. Florum purorum, recentium
Betonicæ
Hyperici
Paralysios, singulorum pugilum unum.
Cum aqua calida fiat infusio, vase clauso, spatio semihorii, tum infusi puri libræ uni et semis admisce
Mellis massiliensis uncias duas et semis.

APHOR. 1200. Num. 3.

R. Aquæ puræ libras duas
Lactis recens mulsi libram unam.
Misce. Hoc solo utatur pro potu, quantum lubet.

R. Lactis recens mulsi libram semis

Panis biscocti unciam unam
Sacchari drachmas duas.
Cruda misce.
Sumatur quater quotidie, nec utatur alio cibo.

Pulvis antacidus.

R. Lapidis cancrorum drachmas duas
Saponis veneti drachmam semis
Sacchari perlati drachmas duas.
Misce. Fiat pulvis: divide in duodecim doses.
Capiat semper unam ante usum lactis cum pane.

APHOR. 1209.

Mistura aperiens, acida.

R. Oxymellis simplicis uncias quatuor
Tartari vitriolati drachmam unam
Syrupi quinque radicum aperientium uncias duas
Aquæ stillatæ fermentatæ Absinthii,
Cardui benedicti,
Hyssopi, singularum uncias quatuor.
Misce. Bibat uncias tres omni bihorio.

Thea medicata, anti-phthisica.

R. Lignorum trium santalorum, singulorum unciam unam

Sassafras unciam unam et semis
Radicis chinæ
Sarsaparrilæ singularum uncias tres
Florum centaurii minoris unciam semis.

Cum aqua decoctis vase clauso secundum artem spatio dimidiæ horæ, adde

Glycyrrhizæ decorticatæ unciam unam.

Ebulliant denuo parum, dein decocti libras quatuor exhibe.

Similis magis composita.

℞. Radicis caryophyllatæ montanæ uncias duas
Apii
Bardanæ
Eryngii
Graminis
Liquiritiæ
Mei athamantta
Petroselini
Phu
Rubiæ tinctorum singularum unciam unam.
Foliorum agrimoniæ
Artemisiæ
Capillorum veneris
Chamædryos
Chamæpityos
Hyssopi
Parietariæ
Scabiosæ
Tussilaginis
Urticæ
Chærophyli, singulorum manipulum unum.
Seminis Apii
Hyperici
Peoniæ singulorum unciam unam.
Florum betonicæ
Hyperici
Centaurii minoris, singulorum pugilum unum.

Ex his, vel ex quibusdam horum fiat decoctum secundum artem, cujus unciæ tres bibantur omni trihorio.

Pilulæ balsamicæ, sanguinis corruptioni ab admisto pure resistentes.

R. Myrrhæ tenuissimæ contritæ drachmas duas,
Spermatis ceti drachmas quatuor.
Accurate trita permisce
Terebinthinæ nativæ unciam semis
Admisce
Pulveris olibani quod suficiat
Ut fiat massa formandis pilulis apta.
Capiat grana tria omni trihorio.

R. Balsami peruviani albi
Copaybæ albi singulorum drachmas duas.
Vitelli ovorum unciam semis
Accurate subactis adde
Pulveris glycyrrhicæ quod suficiat, ut
Fiat massa pilularis.
Capiat grana duo, mane, meridie, vesperi.

R. Masticches Myrrhæ
Olibani, singulorum drachmas duas.
Fiat pulvis subtilis, interim fluat in fictili ad ignem lenissimum
Succi glycyrrhizæ inspissatæ,
Terebinthinæ purissimæ, singulorum unciam semis

Tum admisce pulverem præscriptum
Sub finem addendo
Balsami ex Mecha drachmam unam
Fiat massa copioso glycyrrhyzæ pulvere respergenda.
Sumat quotidie quater, vacuo ventriculo, massulam granorum sex superbibendo uncias sex sequentis potus.

Infusum vulnerarium balsamicum.

R. Foliorum teneriorum
Agrimoniæ
Betonicæ
Botryos
Hederæ terrestris
Scabiosæ
Tussilaginis
Veronicæ, singulorum unciam semis
Glycyrrhizæ unciam unam, et semis.

Fiat infusum sine ebullitione in magno calore, vase accurate clauso cum aquæ libris duabus.

APHOR. 1210.

Vid. omnia præscripta Aph. 1209.

Decoctum detersivum aperiens.

R. Foliorum recentium veronicæ maris, manipulum unum, et semis
Parietariæ
Rutæ singulorum manipulum unum
Valerianæ hor-

tensis manipulum semis.
Seminis papaveris contusi uncias tres.
Radicis petroselini uncias quatuor.

Cum Aqua secundum artem decoctis libris sex adde
Syrupi capillorum veneris uncias duas.
Bibat uncias quatuor omni trihorio.
Vesperi summat pilulam unam harum.

R. Pilularum cynoglossæ drachmam unam.
Fiant pilulæ granorum quatuor.

Consolidans paregoricum, dandum, ubi jam desinit pus cum levamine decocti forma.

R. Foliorum recentium borraginis
Symphyti minoris,
Malvæ singulorum manipulum unum.
Florum papaveris rhœados
Verbasci
Hyperici singulorum unciam unam
Radicis symphyti majoris unciam semis.
Altheæ unciam unam.
Seminis contusi melonum,
Papaveris albi singulorum unciam unam.
Corticis peruviani drachmas sex.
Cum aqua decoctas libras quatuor exhibe.
Bibat uncias tres omni quadrihorio.

HYDROPS. (*a*)

1215 Quando serum aquosum extra vasa fusum, et cavitatibus receptum est, vel et stagnans alicubi vasa sua (*b*) nimium distendit, HYDROPS vocatur.

1216 Qui ideo obtinere potest ubicunque hujus seri vasa, id est in omni corporis habitu, atque in parte qualibet singulari.

(*a*) Omnes tumores aquei vocantur *hydropes*. Hi oriuntur, aut à secretione nimia, et resorptione suppressa humorum serosorum, aut à laxitate, et ruptione vasorum lymphaticorum ita, ut lympha restagnet. Ad ista intelligenda systema exhalationis, et absorptionis ab Hippocrate jam propositum, et vasorum lymphaticorum à Neotericis dilucidatum, et auctum attendendum. Species illorum sunt : serosus, lymphaticus .. saccatus, hydatidicus .. an urinosus? an lacteus?

Genera, et Species horum tumorum Anasarcæ nempe.. Ascitidis &c. infra suis locis proponentur.

(*b*) Vasa ista *vasa lymphatica* nominantur de quibus ample egit Cruikshank Anglus à Petit-Radel gallice conversus. Amplissime et exornatissime super iisdem tractavit et multis iconibus exornavit Paulus Mascagnius. Hæc vasa à venis, et arteriis sanguiferis diversa sunt.

Consulatur Cursus Completus Anatomiæ corporis humani à Jacobo Bonells, et Ignatio Lacaba hispanicè V. tomis editus. Tom. III. Sect. III. á pag. 369. ad 501. et Tom. V. à pag. 386. quibus tota hujus Systematis *absorbentium vasorum* doctrina, et dissectio continentur.

1217 Hinc HYDROCEPHALUS, (*a*) colluvie facta inter integumenta ipsa externa; inter hæc, et cranium; inter cranium et cerebri membranas; inter membranas ipsas, harumque duplicaturas; inter has et cerebrum; inter cerebri plicas; in cavitatibus ipsis; sine morte tamen subita.

1218 Facile cognoscitur posterior species incurabilis, reliquæ levi inustione, terebratione, punctura, prudenter, lente adhibitis, simulque hydragogis et roborantibus internis curantur; vel externis discutientibus dissipantur.

1219 In THORACIS HYDROPE (*b*),

(*a*) Sauvagesius ut Boerhaavius hunc morbum dividit in exteriorem et interiorem. Cullenius Hydrocephalum *internum* ad apoplexiam reducit: ab ea tamen distinguitur quoniam sensuum actiones in eo supersunt. An morbus iste insanabilis? An inunctio mercurialis proficua? An idem, ac spina bifida, seu spinæ aquosus tumor ex Morgagnio Epist. XII?

(*b*) De isto morbo satis frequenti serio cogitandum. Caracter ex Cullenio est: dyspnœa; faciei pallor; pedum œdemata; urina parca; decubitus difficilis; subita et spontanea ex somno cum palpitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans. Asthma spasmodicum frequenter repetitum; frigus post æstum . . eum producunt. Morbus inflammatorius pectoris empyema potius, quam hydrothoracem faciet. Paracentesis est fere necessaria. Recens malum, vires . . Operationem istam permittunt.

qui ex variis locis colligere lympham valet, eadem fere signa, quæ Empyematis, sed observatio causæ antecedentis discrimen exhibet; paracentesis sanat hunc, una adhibitis his, quæ causæ adversantur ejus.

1220 Deprehensus itidem pulmo (*a*), accumulata, effusa, inter sinus magnos recepta lympha, nunc in hydatides, nunc in vomicas hydropicas incidisse; morbus sane difficilis cognitu, curatuque, nisi alia signa præsentia fortuitam huic hydropis curationem petant.

1221 Quin et arteria aspera anteriori, et conspicua parte, quacunque vi lympham stagnantem colligens, BRONCHOCELES (*b*) sæpe speciem exhibet; quam

(*a*) Mirus et tectus satis morbus est dum ipse pulmo hydropicus fit. Hoc in tunica cellulosa, quæ nunquam adipem habet, potest colligi extravasata lympha, et verum pulmonis hydropem facere simulac tenuis halitus, quem arteriæ perpetuo exspirant, non resorbetur integre à vasculis absorbentibus. An certo certius morbus iste cognoscitur ex rubore, et livore nasi, labiorumque; atque ex vasorum oculi admirabili dilatatione, ut *Petr. Camper* confidenter asseverat? (Memoir. de la Societ. de Medicin. de Paris. Tom. VII. Pag. 79.) An in Pulmone *Œdema*?

(*b*) Morbus iste in glandula thyroidea, quæ vel ab aere retento in aspera arteria, et per validos nixus in istam glandulam transeunte, vel à liquidi imperfecta absorptione nascitur. Spiritus vini camphoratus, Bryoniæ radicis decoctum

cognitu facilem, punctura, discutientibus, avertentibus aggredi licet; si observatur, ut Auctores scribunt.

1222 Simili morbo cujuslibet glandulæ folliculus occupari, simili modo sanari potest.

1223 Notabilis itidem hydropis species ovaria mulierum sæpe occupat, qui morbus ut plurimum steriles, annosasque mulieres occupat, difficulter cognoscitur, et vix sine inciso cadavere; curatur vero nunquam, sed transit sæpe in Asciten.

1224 Imo in ipso cavo uterino, (*a*) clauso accurate ejus ore interno, sæpe colligitur tanta aquæ copia, ut integrum abdomen mentiatur Asciten; morbus itidem difficulter (*b*) cognoscendus ob signa fallacia

vino, et sale amoniaco additis . . pro fomento, lotione, seu balneo sufficient.

(*a*) Morbus iste *Hydrometra* nominatur, cujus caracter ex Cullenio est: Hypogastrii in mulieribus paulatim crescens tumor uteri figurum referens, pressui cedens, fluctuansve; citra ischuriam, et graviditatem. Species per externa signa distinguendæ vix dari possunt. Sauvagesius istas proponit: asciticam, gravidarum, hydaticam, sanguineam, puriformem.

Observatur etiam aliquando *Physometra*, quæ est: tumor levis, elasticus in hypogastrio figuram, et sedem uteri referens. Hæc flatuum emissione per uteri orificium procurata sanatur.

(*b*) In re ista cautus debet esse Medicus ob periculum graviditatem pessumdandi.

graviditatis ; curabilis laxatione oris uterini per fomenta , vapores , Uterina adhibita.

1225 Quoties in toto habitu pinguitudinis subcutaneæ eadem lympha stagnat, vel effunditur , hydrops oritur ANASARCA , YPOSARCA , LEUCOPHLEGMATIA : qui et circum abdomen , et circa scrotum. (*a*)

1226 Dum eadem aqua in duplicatura peritonæi, in cavo abdominis inter peritonæum et viscera abdominis , aut in dilatatis glandularum cavis : vasisque in abdomine contentis, colligitur , ASCITES (*b*) appellatur , ut et TYMPANITES , si va-

(*a*) Cullenius Class. III. Ord. II. Gen. 75. *Anasarca*. . Caracter : corporis totius , vel partis ejus intumescentia mollis , inelastica. Species: serosa , oppilata , exanthematica , anæmia (à tenuitate sanguinis per hæmorragiam producta), debilium. An *Leucophlegmatia* idem ?

(*b*) Cullenius Class. III. Gen. 79. *Ascites*. Caracter : abdominis intumescentia tensa , vix elastica , sed fluctuosa. Species : abdominalis, saccatus.

Tympanitis. Caracter ex eodem est : abdominis intumescentia tensa , elastica , sonora ; alvus adstricta , cæterarum partium macies. Etiam dicitur *Meteorismus*. Species : *intestinalis* cum tumore abdominis sæpe inæquali , et cum rejectione aeris frequenti tensionem , et dolorem levante ; et *abdominalis* cum resonitu evidentiori , tumore magis æquali , et emissione flatuum rariori , et minus levante.

pore rarefacto turget, ab aqua, pure, ichore, aëre; clausis hic, fotis, putrefactisve.

1227 Hydrops testium (*a*) dictus, est 1. scroti; pertinet ad (1225.); noscitur sensu tactus; pelluciditate conspicua; vesti-

(*a*) Hæ tres species hydropis testium considerandæ. 1. est proprie *Anasarca scroti*, sive collectio aquæ in tunica cellulosa hujus partis. Sedes hujus hydropis est in illo spatio, quod cutim, et tunicam vaginalem dictam intercedit, et utramque hanc cellulosam occupat. Dum à calculo in urethra hærente, vel alia quacumque causa, carunculis v. gr. impeditur urinæ excretio; tunc summis illis, et perpetuis nixibus urethra rumpitur et urina se per substantiam scroti, et penis diffundit. Excrescit aliquando scrotum, uti et penis in molem immanem, toto scroto, et penis involucro tenace latice repletis.

2. Notum est hernias inguinales, et scrotales fieri non à ruptura peritonæi vel saltem rarissime, sed à *peritonæo producto*, et extenso in processum cavum, qui recipit et continet in se intestini, vel omenti partem: talis saccus peritonæi adhuc facilius recipiet in se aquam in abdomine contentam, uti et aërem in cavo abdominis collectum in tympaniticis. Hæc species hydroceles cognoscitur in primis ex hernia prægressa, et Ascite præsente; solus enim Ascites non implet scrotum nisi in herniosis. Vesica urinaria protensa in processum quasi exire potest per anulum abdominalem in scrotum, et tumorem herniosum facere, qui urina distentus fallere posset minus peritos sub hydroceles specie. Hoc malum post diu retentam urinam accidit; et ita dignoscitur.

gio remanente impressi digiti. 2. sacci ex producto peritonæo in hernia vera orti: fit in Ascite (1226.) valido: noscitur signis Ascitis, Tympanitidisve prægressis; evanescentia per pressionem, decubitum supinum declivem, evacuationem aquæ ex abdomine; subito sæpe augmento et decremento mali, sine causa manifesta; figura tumoris farciminali per inguina ex scroto. 3. involucri vaginalis testis: fit si humor ibi secretus non resorbetur suis vasis, sed stagnat, accumulatur, vesicam suam distendit in immensum sæpe; aut si ruptis, obstructis, vasis, itidem colligitur; inflammatio, suppuratio, ichorosa collectio, sæpe hujus speciem mentiuntur. Cognoscitur tumore non elastico, non cedente, duro, lente producto; absentia signorum primi et secundi hydropis testium; figura tumoris rotunda, vel ovali saltem; pelluciditate apparente, si circumtenso scroto, saccus collectionis candelæ lucenti expositus cernitur clarus: an vero, præter hos, inter tunicam nerveam et ipsam testis substantiam, aut in ipsa hujus substantia similis sit tumor, haud ita observatur, à præcedenti specie vix dignoscitur, nec forsitan, nisi extir-

3. Hæc Hydroceles species omnium frequentissima est, quæ peculiarem expostulat curationem de qua infra.

pando, curatur. Vocantur mala hæc, HYDROCELÆ (*a*).

1228 Observatum fuit, hos omnes morbos produci ab omni causa, quæ valet liquidum serosum 1. ita coërcere, ut redire nequeat in venas, sed extensis in vasis stagnet, vel 2. ipsa vasa rumpat ita, ut intra membranulas effundatur. aut 3. vasa reducentia à cavitatibus ita obstruat, et liquida in cavitatibus deposita tam parum moveat, ut non exhalent, nec resorbeantur.

1229 Quæ causæ observatæ sunt in primis, dispositio gentilitia: potus nimius frigidæ subitus, neque vomitu, neque alvo, neque sudore, vel urina, calore motuve excitatis, excretus: Morbi acuti, in primis ardentissimi, sive cum siti potuque inexplebili, sive sine his: Dysenteria lienosa diu permanens: omnes pertinaces viscerum obstructiones, ut scirrhi Hepatis, Lienis, Pancreatis, Mesenterii, Renum, Uteri, Intestinorum: Icterus: Quartana sæva et diuturna: Lienteria: diarrhœa: dysenteria diuturna: Cœliaca: Empyema: phthoe, podagra: Evacuationes quæcunque nimiæ, maxime sanguinis arterosi: haustus acrium, fermentatorumque liquidorum: victus tenacium, durorum: Hyda-

(*a*) Cavendum ne Sarcocele cum Hydrocele confundatur, á qua illa duritie distinguitur.

tides ingentes, plures, in cavo abdominis pendulæ : et plura similia, ut Melancholia, Scorbutus, &c.

1230 Effectus adeoque, et morbi progressus hic fere est : tument pedes : maxime vesperi, sensim hic augetur tumor increscitque : tum tumor abdominis quotidie increscens: hujus extensi sonus in Tympanitide, si percutitur ; strepitus fluctuantis aquæ in moto corpore in Ascite ab aqua libera fluente in cavo abdominis ; at in Ascite ab aquis clausis in suis cistis, fallit : Dyspnœa : Sitis : Gravitas : Torpor: Alvus dura : Urina pauca : Febricula lenta : Sudor nullus : macies eo major, quo partis affectæ major intumescentia : tum femorum, scroti, cutis abdominalis aqua intercus : hydatides : aquæ, in loco calido, clauso, stagnantis, putrefactæ acrimonia : Ulcera : Gangrænæ : Hæmorrhagiæ narium : EXOMPHALI : (*a*) Viscerum sphacelus : Mors.

1231 Hydrops curandus ergo indicat 1. Liberum conciliare fluorem Lymphæ:

(*a*) Herniæ umbilicales non infrequentes sunt in fœminis præsertim. Est *Exomphalus* : cystica quæcumque collectio fluidi ad umbilicum, seu cystis umbilicalis ex Sauvagesio. Species sunt: flatulentus, aqueus, cruentus, varicosus, purulentus. Videantur Auctores Chirurgi Dyonis, Heisterus, aliique.

sive fuerit aqua, serum biliosum, ichorosum, sanguinolentumve. 2. Aquas jam in cavitates effusas inde educere. 3. Labem debilitatorum viscerum tollere, sive ea causa, sive hydropis fuerit effectus.

1232 Fluor conciliatur Lymphæ, tollendo causas hunc impedientes, quæ 1. vis vitalis minus fortiter circumagens; 2. vasculorum compressio, disruptio, obstructio. 3. liquidi nimia tenacitas.

1233 Ad primum (1232.) faciunt Cardiaca dicta, roborantia, et stimulantia: quæ, si sitis valida non urget, petuntur ex aromaticis, salinis, oleosis, calidis forma Electuarii, Misturæ, Vini Medicati, Cerevisiæ Medicatæ, Pilularum, Decoctorum, Syruporum, Tabellarum, facillime varianda.

1234 Si ingens vexet sitis, causa fuerit calida, morbus cum febre calida, quod sæpe solet fieri, ad primum (1232.) faciunt Cardiaca dicta reficientia, acida (*a*) grata, et leniter aromatica.

1235 Utroque casu (1233. 1234.) prodest frictio, motus, calor.

1236 Ad secundum scopum (1232.)

(*a*) In Hydrope morbos acutos inflammatorios parvis venæsecticnibus et multis diluentibus tractatos secuta, et in illa, quæ à suppressione mensium, lochiorum . . oritur venæ-sectio prudenter administrata prodesse poterit.

indaganda causa vasa arctans, obstruens, rumpensve, quæ tollenda, si fieri queat (1229.) vel emendanda sæpe aquis mineralibus (*a*).

(*a*) Utinam harum, et aliarum potatio ulterius excolatur, ut sine periculo *Sitis* horrendum symptoma mitigetur. Hippocrates Libr. De affect. inter. cap. 28.) usum aquæ non damnat. Franciscus Milman Med. Doct. Londinensis longo satis sermone declaravit hanc fuisse Hippocratis sententiam de concedenda hydropicis potatione. Evicit etiam abstinentiam à potu, seu siccum regimen in Anglia, Gallia, Germania . . jam esse proscriptum, plurimosque adducit hydropicos potulentis in medicamentorum opem admissis perfectissime sanatos. Constitutio nimium phlegmatica unice excipitur à Selle. Doctrina ista alta mente teneri debet ab ipso tyrocinii initio ne postea Medici impie, atque crudeliter hydropicos pertractent. Opusculum Milmani (*Animadversiones de Natura Hydropis, ejusque curatione*) typis hispanicis extundi, et ab omnibus Medicinæ Professoribus versari dignum est.

In fine sui operis Appendicem offert, in qua remedium famigeratissimum, et certe efficax, Pilulas nempe Georg. Bacheri proponit, quarum basis est *Helleborus niger* certo modo præparatus, in ipso Appendice propositus; cujus formula ad quartam partem contracta talis est:

R. Extracti hellebori,
Mirrhæ solutæ, singulorum drachmas duas,
Cardui benedicti pulverissati drachmas sex.
Misce. Fiat secundum Artem massa aere sicco exsiccanda, donec formandis pilulis apta sit. Singulæ ad granum semis.

1237 Liquidi nimia tenacitas solvetur in calido, frigidove hydrope (1233. 1234.) 1. per ea remedia, quæ ibidem data 2. per alcalinos maxime sales, tam volatiles, quam in primis fixos. 3. ope Mercurialium, Antimoniatorumque, et Venereorum (*a*) Medicaminum arte Chemica rite præparatorum, et sagacitate Medica bene exhibitorum.

1238 Aquæ in cavitates congestæ inde educuntur. 1. paracentesi. 2. Emissariis paratis novis. 3. Urinæ via. 4. Vomitu. 5. Purgatione alvi. 6. dissipatione.

1239 Si causa Hydropis Ascitis est recens, extrinsecus cito applicata, si vires integræ, corpus juvenile; si viscera bene constituta, neque alio morbo perdita; si

(*a*) Ferrum fortasse his præstat. Cerevisia in cujus duodecim libris infunduntur libra cinerum Genistæ, unciæ duæ seminum Sinapi, et unciæ quatuor limaturæ Ferri summe utilis esse poterit, sumendo uncias tres, vel quatuor bis de die. Præparata illa metallica manu propria conficiebat van Swietenius, quæ revelabat ingenuus, et probus. Helleborus, Cicuta, Aconitum, Scilla, Digitalis: Colchicum, Seneka seu Polygala Virginiæ, Armoracia, Oleum terebinthinæ, Cortex peruvianus ... prudenter administrata insignem adferunt utilitatem. Si acrimonia venerea producit, vel comitatur hydropem Mercurius nitrosus excellens est remedium, quia is provide adhibitus præsertim agit in urinam. Ita Selle.

aqua nondum putrida, neque diu in loco stagnaverit, statim instituenda Paracentesis (*a*).

1240 Quæ fiat trium pollicum longitudine infra umbilicum, et eadem distantia à linea alba, mensura in corpore sano intellecta, in latere à fonte Hydropis averso, punctura facta ope instrumenti idonei, cannula immissa, iterumque educta, aquæ copia parva, quotidie bis emissa, ad minimum impensis quindecim diebus in evacuando, interim utendo præscriptis (1233. ad 1238.), aut et recentiori methodo, qua abdomen circumductis linteis præmitur (*b*) proportione eductæ aquæ: ne laxa, et pendula viscera et vasa fluctuent in inani post evacuationem abdomine.

(*a*) *Hydropicos cito secandos esse* Hippocrates imperavit. Omnia, quæ in textu proponuntur necessaria non sunt, alias raro fieret operatio, quæ licet causam morbi non tollat, prodest semper, et potest repeti. Miles helvetus quinquagesies septies paracentesim toleravit spatio viginti et uno mensium. Prolongatur ea vita, et simul imminuitur morbi tædium.

(*b*) Hac methodo satis tuto tota simul, et semel aqua educi poterit. Facilitas, qua venter iterato impletur quin ægri inmodice bibant, et urinam retineant consistit in eo, quod tunc ex aere trahunt aquam hydropicorum corpora; quod jam Hippocrates (lib. de Flatib. cap. 6.) cognovit. Hinc Diabetes intelligitur.

1241 Si conditiones (1240.) absint, vel sint contrariæ, paracentesis mortem accelerat.

1242 Emissaria ferro candenti, medicamentis causticis, vesicantibus, lanceolis, filis facta, in parte (*a*) carnosa, loco declivi, sæpe admodum prosunt, maxime si aperta teneri permittit morbi genus.

1243 Per urinas evacuati hydropis quum citentur plura exempla, et hanc viam tentabimus præeunte natura, utendo salibus urinosis, fixis, compositis, specificis animalibus, vitriolatis, solutisve metallis, specificis renibus.

1244 Per Vomitus solvuntur cuncta tenacia, concutiuntur obstructa, expelluntur stagnantia, unde mirabiliter in hoc morbo prosunt.

1245 Sed fortiora (*b*) dari, sæpe repeti, et sine longa mora intermedia se mutuo excipere debent.

1246 Ut plurimum eadem valide solent evacuare alvum, unde duplici effectu, quin sæpe et tertio diuresi prosunt.

1247 Per alvum seri eductio fit per

(*a*) Aphorismus iste de Anasarca intelligendus. *Lanceolæ* aliis mediis præferendæ. Vesicatoria in Anasarca minus timenda.

(*b*) In Materia medica proponuntur emetica valentissima dosi, nostris popularibus minime congruentia.

usum largum, sæpe et breviter repetitum summe purgantium (*a*), variis formis, maxime liquida, assumptorum.

1248 Dissipatur calore foci, hypocausti, furni, arenæ, solis, salis, fimi, excitato sudore, vel diaphoresi.

1249 Tum maxime pertinaci (*b*) abstinentia à potu, victu panis biscocti, cum pauco sale, et pauxillo vini oleosi.

1250 Tertiæ indicationi (1231.) satisfaciunt in primis vina chalybeata, chalybs, et roborantia leniter adstringentia, debita dosi, et in tempore usurpata, victus siccus, vinum meracum, vetus, adstringens, motus.

1251 Tympanitis iisdem mediis, eadem methodo tollitur, si ortum duxit à rarefacto vapore humoris extravasati, et

(*a*) Validissima purgantia pro nostratibus moderanda. Purgantia, et Emetica proportionate valida miros quandoque produxerunt effectus suis stimulis absorptionem producendo; seu promovendo. Purgantia *hydragoga*, inter quæ Gummi Gutta eminet præferenda.

(*b*) Aliquæ sunt observationes hydropis sanatæ abstinentia pertinaci à potu, et hoc in temperie phlegmatica nimium, et non immani siti fortasse contigit. Observationes hydropum ut dictum (Aph. 1236.) sanatarum innumeræ. Sitis mitiganda alias collutorio ex aqua frigida acido sulfurico acidulata. Limonis particula, Tamarindus . . in ore retineantur.

putrefacti (*a*), tum enim, causa ablata, tollitur : si vero ortum duxit ex aere per membranas intestinorum putrefactorum perforatas in cava delapso, retroire non potente, sed calore corporis rarescente, tum cuncta cito putrefiunt, aere juvante, malumque ex posita causa est fere semper insanabile : unde hydrops siccus humido longe magis immedicabilis habetur : punctura sæpe solatio, raro sanatione suffecit, fasciæ post punctura locum habent.

1252 Hydrocele prima (1227.) sanatur, si 1. hydrops anasarca, cujus soboles est, sanatur (1231. ad 1238.) 2. per remedia (1248.) 3. summis discutientibus, et corroborantibus simul, ipsi scroto applica-

(*a*) Aqua glacie, aut nive frigidissima reddita abdomini applicata, potata, et per clysmata injecta aeris rarefactionem minuent. Aqua acido sulfurico mixta sitim sedat, et flatus coplosissimos expellit. Viscera emphysemate quandoque affecta inveniuntur. In homine, qui validissime tussiens subito perit post mortem inventus fuit »pulmo »totus durus, inflatus, valide elasticus ; aer inter »membranam pulmones investientem effussus mul»tas diversæ magnitudinis bullas efformavit. Nul»la præssione aer per asperam arteriam expelli »potuit ; pulmo in frusta dissectus nequaquam »collabebatur, et omnia frusta æque inflata, et »elastica permanserunt." Hæc Storck *Annus Medicus* pag. 115. Istum casum miserrimum hominis validissime tussientis, et qui subito perit ego ipse vidi, et horrui.

tis, perque calorem externum assiduo excitatis in majorem motum. Secunda autem species (1227.) curabitur optime 1. si hernia radicali chirurgica cura persanatur. 2. ablata ascitis materie (1238. ad 1252.) et occluso fonte. 3. tum per machinas comprimentes presso loco exitus, ut in herniis per ligamenta: raro autem semel factus hydrops hic sanatur integre. Ultima tandem (1227.) sanabitur, 1. datis hydragogis fortibus, sæpe repetitis, dum interim victus est exsiccans. 2. validissimis discutientibus et corroborantibus. 3. paracentesi scroti. 4. Causticis et suppuratione. (*a*)

1253 Ex quibus denuo apparet, in sanationem Hydropis plus difficultatis oriri

(*a*) Hydrocele tractatur *paliativa* cura, repetitis paracentesibus scroti, vel *radicali*. Hæc consistit in eo ut impediatur omnis exhalatio in cavum tunicæ vaginalis; quod obtinebitur si concrescat tunica vaginalis cum teste; dum nempe prius inflammatio et suppuratio excitantur educta aqua, in omni ambitu tunicæ vaginalis, et tunicæ nerveæ testis, ut postea puræ et vivæ redditæ hæ partes concrescant inter se, sicque totum cavum, in quo antea colligebatur hydrocele aboleatur. Cavum quod aqua reliquit non aqua sale, vel nitro acuta, nec spiritu vini, sed vino rubro injecto leviter inflammanda. Setaceum ab aliis usitatur. Prudenter tamen advertendum inflammationem in tunica vaginali excitatam esse terribilem, quandoque tam validam febrim comitem habere cum delirio, abdominis convulsione,

ab indole aquæ in stagno putrefactæ, quam quidem ab ejus causis(*a*) primis. Cur eductis his aquis acceleratur gangræna partis prius innatantis? Cur educta subito ex Thorace, vel abdomine hac aqua, mors, aut animi deliquium summum? Cur tanta in hydropicis sitis? Et quid illa notat? Cur acida sæpe adeo in hoc morbo prosunt? Cur eductis per evacuantia valida plurimis simul aquis tumor abdominalis idem, vel et major videtur? Opio autem dato subsidet? Cur fasciæ hic tanti usus? Et quousque?

et aliis malis symptomatibus, ut æger in manifesto versetur vitæ periculo; à quo tamen Sharp vidit evasisse ægros semper.

(*a*) Causæ hydropis utcumque superari possunt: aquæ putrefactæ viscera pesumdant, in gangrænam præcipitant. *Eductio* aquæ certis cautelis procurata non exitiosa adeo. Sitis à sanguine diluente vehiculo orbato, humorum immeabilitate, et putredine nascitur, et ea indicat. *Acida* sitim sedant, diuresin promovent, et putredinem arcent. *Tumor abdominis* post eductas aquas manens à distentis ventriculo, et intestinis flatu, seu spasmo oritur; *opiatis* subsidendus. In paracentesi vulnus summa cura tegatur, atque ab aditu aeris externi custodiatur, alias aqua forte remanens facile in putredinem transit. *Fasciæ* utiles dum evacuatio fit, et post eductionem factam: tumentes partes crura v. gr. femora fasciis fortiter stringere hac spe ut retroprimatur illud, quod extravasatum est, tutum minime.

APHOR. 1233.

Vinum medicatum ex stomachicis, et roborantibus, ad fluorem stagnanti lymphæ conciliandum.

R. Radicis Imperatoriæ
Aristolochiæ utriusque
Zedoariæ
Sileris montani singularum unciam unam
Zingiberis drachmas sex.
Florum Centaurii minoris uncias duas
Rorismarini unciam unam.
Gratiolæ Germanorum drachmas quatuor
Baccarum Lauri
Juniperi singularum unciam unam et semis
Thymi
Serpilli
Mari syriaci singulorum unciam unam.
Seminis Abstinthii
Tanaceti
Santonici singulorum unciam unam.
Misce. Fiat secundum artem omnium pulvis tenuis, tum

R. Pulveris præscripti uncias sex,
Vini gallici meri libras quatuor.

Fiat secundum artem vinum medicatum.
Bibat uncias duas quater de die, vacuo stomacho, cum regimine.

Vel conditum simile.

R. Pulveris prescripti uncias duas,
Conservæ anthosatæ unciam unam,
Syrupi Artemissiæ Fernelii, quod sufficiat ut
fiat conditum.
Dosis drachma semis omni quadrihorio.

Aut

R. Pulveris præcedentis uncias duodecim
Cerevisiæ meracioris quartam partem
tonnæ.
Fiat cerevisia medicata, in usus quotidianos.

Quin

R. Pulveris ejusdem drachmas quatuor,
Vini albi generosi uncias octo.
Fiat secundum artem infusio.
Bibat unciam unam omni bihorio.
Huc, Elixiria propietatis
Sales volatiles Oleosi
Aromatici.
Spiritus volatiles aeres oleosi.
Aromatici, Cephalici, Matricales
Stomachici &c. pertinent.

Vid. Aph. 75. N. 5. Aph. 54. N. 4. Aph. 135.

APHOR. 1234.

Mistura aromatica, cardiaca, acida, sitim sedans, vires vitales excitans, lymphæ fluorem concilians.

R. Olei stillati corticis Citrei
Aurantiorum
Cinnamomi singulorum guttas tres.
Florum Lavendulæ
Juniperi singulorum
guttas duas.
Cum Sacchari drachmis sex fiat secundum artem Elæosacharum, quod admisceto deinde
Rob Sambuci,
Juniperi, singulorum unciam unam,
Spiritus salis drachmam unam,
Aquæ stillatæ corticis Citrei,
Aurantiorum,
Cinnamomi singularum drachmas duas
Menthæ drachmas decem.
Capiat drachmam unam omni bihorio.

Decoctum aperiens, acidum.

R. Succi recentis expressi ex tota recenti herba conscissa

Fumariæ
Cichorei
Taraxaci. Acetosæ, singulorum libram unam.

Cremoris tartari, libram semis.

Leni igne decoque ad dimidium; dein depurati hujus decocti unciis decem admisce

Rob Sambuci drachmas decem.

Capiat unciam semis omni bihorio.

Mistura cardiaca, aperiens, acida.

R. Spiritus nitri dulcis drachmas quatuor.
Cochleariæ drachmas sex.
Syrupi Cichorei cum rheo, Quinque radicum aperientium, singulorum unciam unam.
Vini rhenani libram unam.

Misce. Bibat unciam unam omni bihorio.

APHOR. 1237. Num. 3.

Pulverum purgantium mercurialium formulæ.

R. Turbith mineralis granum semis.
Zingiberis albi grana decem.

Misce. Fiat pulvis mane sumendus alterno die, ex pauxillo pulpæ pomi tosti.

R. Mercurii præcipitati rubri granum unum.

Nucis myristicæ grana sex.
Misce. Fiat pulvis.
In usus eosdem, sumendus ut prior.

R. Mercurii sublimati dulcis grana septem,
Corticis magellanici grana octo.
Misce. Fiat pulvis. In usus eosdem.

Pulvis emeticus.

R. Tartari emetici granum semis.
Elæosochari citrei grana sex.
Misce. Fiat pulvis, tertio quoque die sumendus.

R. Emetici mitissimi, ex antimonii partibus duabus
Nitri partes quinque detonando præparati grana quatuor.
Fiat Pulvis omni mane assumendus.

Tinctura diuretica, solvens.

R. Limaturæ cupri grana decem.
Salis volatilis oleosi drachmas sex.
Misce. Fiat tinctura cœrulea.
Capiat guttas duodecim ter de die, vacuo Stomacho, ex syrupi Quinque radicum aperientium uncia semis.

APHOR. 1243.

Vid. 334.

APHOR. 1245.

Medicamenta fortia, sæpe, sine longa mora interposita, repetenda.

R. Vini emetici vulgaris uncias duas, et semis.

Pro una dosi.

R. Tartari emetici grana sex. *

Pro una dosi.

R. Turbith mineralis grana septem.

Pro una dosi.

R. Succi recentis expressi corticis medii Sambuci unciam unam.
Syrupi violarum unciam semis.

Pro una dosi.

R. Foliorum soldanellæ marinæ unciam unam.

Comedat una vice.

R. Elaterii grana quatuor.
Syrupi de baccis rhamni cathartici unciam unam.

Misce. Pro una dosi.

APHOR. 1247.

Tinctura fortiter purgans.

R. Resinæ Jalappæ.
Scammonei singulorum drachmam unam.
Foliorum Sennæ pulverisatæ
Seminum contusorum carthami singulorum drachmas quatuor.
Spiritus vini rectificati libram unam.
Fiat secundum artem tinctura, cui puræ admisce
Syrupi rosarum solutivarum cum Senna uncias sex.
Bibat unciam unam mane.

R. Lunæ purgativæ Boyleanæ
(*Ex Argento et spiritu nitri confectæ.*)
Micæ panis singulorum, grana quatuor.
Misce. Fiant pilulæ granorum duorum.
Capiatur una omni semihorio, donec incipiat purgatio.

APHOR. 1250.

Vinum medicatum roborans.

R. Limaturæ ferri recentis non rubiginosi uncias duas.
Corticis Peruviani,
Magellanici singulorum uncias duas.

Radicis Rhei exsiccatæ unciam semis.
Vini rhenani generosissimi libras duas.
Fiat secundum artem vinum medicatum.
Dosis unciæ duæ ter de die vacuo stomacho.

APHOR. 1252 Num. 2.

Cataplasma valde discutiens.

R. Radicis electæ Bryoniæ
Jalappæ
Foliorum Rutæ
Absinthii
Cinaræ hortensis
Florum Meliloti
Centaurii minoris
Bulborum Ceparum
Alliorum singulorum uncias duas.
Cum aquæ communis quantitate sufficienti decoctis secundum artem in cataplasma, sub finem admisce
Galbani in vitello ovi secundum artem subacti uncias duas
Farinæ lini uncias duas
Olei lini drachmas quatuor
Salis Ammoniaci drachmas duas. Misce.

Fomentum in eundem usum.

R. Saponis veneti drachmas quatuor

Spiritus vini theriacalis uncias duodecim.

Misce accurate pro fomento, cum laneis pannis applicando.

Epithema siccum ad hydrocelen serum dissipans, educens.

R. Salis marini decrepitati siccissimi, calidi, tenuissime triti quod sufficiat

Intra lintea consuta applicetur, renovando simulac maduerit.

Pulvis pro suffimigio, discutiens ad hydrocelen.

R. Benzoini
Olibani
Sarcocollæ
Resinæ Guajaci singulorum unciam semis.
Camphoræ drachmam unam.
Mastiche unciam unam
Salis Ammoniaci scrupulos duos.

Misce. Fiat pulvis. Cujus incensi vapor excipiatur nudo scroto, dein panni lanei fumo hoc vaporosi, calidi super-applicentur.

PODAGRA. (*a*)

1254 Podagra vocatur (*b*) dolens admodum ægritudo circa ligamenta ossium

(*a*) Sauvagesius Class. VII. Gen. I. *Arthritis, Podagra.* Species : unica. Varietates plurimæ: rachialgica , chlorotica , asthmatica , exanthematica.

Cullenius Class. I. Gen. XXIV. *Podagra.* Caracter : „Morbus hæreditarius , oriens sine „causa externa evidente , sed præeunte plerumque „ventriculi affectione insolita ; pyrexia ; dolor „ad articulum , et plerumque pedis pollici , cer„te pedum et manuum juncturis , potissimum in„festus ; per intervalla revertens , et sæpe cum „ventriculi , vel aliarum internarum partium „affectionibus alternans." Varietates sunt quatuor : I. *regularis* , seu cum artuum inflammatione perstante. II. *atonica* , seu cum ventriculi , vel alius partis internæ atonia , sine artuum dolore ullo , vel levi. III. *retrograda* , seu cum inflammatione artuum subito recedente , et ventriculi, vel alicujus interni visceris læssione mox insecuta. IV. *aberrans* , seu *anomala* , aut cum partis internæ inflammatione , vel non prægressa , vel prægressa , et subito recedente inflammatione artuum.

(*b*) *Podagra vocor quasi pedum captura sim.* Ita LUCIANUS , qui de isto morbo Poema elegantissimum conscripsit , cui hoc nomen imposuit : *Tragopodagra* , lectu dignissimum.

Dum alia loca occupat morbus iste varia nomina ipsi imponuntur. Ita dum manus invadit *Chiragra* , si genua *Gonagra* , et sic porro.

pedis, et circa juncturas horum vere et autumno maxime revertens.

1255 Qui semper idem quacunque demum causa ortus, ubi naturæ suæ decursum non turbatum absolvit, sequi solet ætatem matura majorem triginta, et plurium, annorum; sexum virilem (*a*): ingenium acutum, hujus exercitia durissima et protracta, maxime nocturna; victum opiparum, vina acidula, alba, potum generosum, copiosumque, maxime noctu, Venerem præmaturam nimis cultam, Corpus magnum, crassum, plenum, acidorum usum nimium, pedes sudantes subito refrigeratos, in humidis caligis sudantes, hinc venatum, equitationem in frigore, hæreditatem in seros nepotes, per parentem sæpe nondum podagricum, sed tantum labe genitali damnosum genitæ proli; contagium.

(*a*) Fœminæ huic etiam obnoxiæ. *Beneficium sexus suis vitiis perdiderunt*, et *quia fœminam exuerunt damnatæ sunt morbis virilibus.* (Seneca Epist. 95) Podagræ contagium dubitatur: Inveterata tamen à contactu utcumque præcavenda. Sudor certè pedum in podagricis admodum olidus, fœtidus.. est, et metalla propinqua fusco, vel et nigricante colore inficit; simili ferè modo, ac sulphuris accensi vapor ex D. *Coste*, qui de hoc morbo rectè scripsit pag. 23. Hoffmanni annulus ad ista inclinat (Med. Rat. Systematic. Tom. IV. Part. 2. Sect. 2. Cap. 2. pag. 507.)

1256 Tempus, ætas, et reliqua vice causæ fungentia, (1255.) tum et phænomena, initium, progressus, effectus, finis hujus morbi, simul comprehensa, causas medicas hujus mali demonstrant.

1257 Repetitos enim ejus, latentis diu, in semine nondum germinante paroxysmos præcedit cruditas, ructus, gravitas, torpor flatulentus, alvus adstrictior, febricula, sudor pedum solitus interceptus, horum varices, anni tempestas, mutatio cœli.

1258 Accelerat, et inexpectatos accersit vitium quodcunque admissum in sex rebus non naturalibus, unde cruditas oritur, hinc venus immoderata, lucubratio, pergræcatio (*a*), asparagorum (*b*), lardi et similium comestio, defatigatio, animi affectus, purgatio medica alvi sola, aer humidus, frigidus, procellosus, hæc adeo podagricis inimica.

1259 Locus, quem primo, quem regularis aggreditur, semper pes, hujusque illæ in primis partes, quas difficillime suum pervadit liquidum, ut periostea, tendines, nervos, membranas, ligamenta (*c*),

(*a*) *Pergræcari* est: Græcorum more intemperantius bibere, epulis, et potationibus indulgere.

(*b*) Asparagi an penetrabili sua virtute movent, et in actum deducunt materiam morbosam quæcumque sit hactenus silentem?

(*c*) Ligamenta omni carent sensibilitate ex

quæ à corde remotiores, et maxime pressæ.

1260 His (1259.) demum obstructione, infarctu, tumore occlusis, vel materia morbi quacunque vi dispersa in alia loca, alias aggreditur partes, ita tamen, ut eadem ibidem loca (*a*), easdem partes, obsideat (1259.)

1261 Dolor adest tensivus, dilacerans, coarctans, increscens sensim (*b*), decrescens iterum, cum madore, rubore, tumore,

Ill. Alberto Hallero. Nervi sunt, qui tormentum istud patiuntur.

(*a*) Hic jam innuitur divisio podagræ in regularem, et retropulsam, quæ exactior, atque expeditior est quam prædicta ex Cullenio.

(*b*) Ex natura doloris, ex constitutione partium, quas aggreditur (1260.) patet *materiam* podagræ vix adesse; esse tantum *characterem morbidum seminaliter in spiritu vitæ insertum*, ut loquitur Helmontius; vel esse quid latens, et silens, quod excitatum, et in actum deductum ad articulos deponatur, ut asserunt Medicinæ Parentes. Hinc mirum est Cullenium, et Bosquillonium ejus adnotatorem tanto molimine *materiam* podagræ productricem explodere; Stahlium tamquam primum hujus materiæ destructorem Helmontio innominato in medium adducere; systema nervosum unice fere in podagra affectum esse Boerhaavio innominato etiam, qui ista aphorismo sequenti pronuntiavit.

Circa cretæ, calcisve productionem videatur hodierna Chemia, et etiam van-Swietenius, qui ista pro dignitate tractat, concludens: „videtur „cretam, sive calcem podagricam eamdem esse

finitus diaphoresi, fotu lecti, pruritu, desquamatione, vel abeuns in cretam, calcemve, vasa rumpentem, articulorum vincula, formam, motum, usum privantem.

1262 Ex quibus cunctis liquet, Causam proximam hujus mali esse vitiatam indolem minimorum, adeoque nervosorum vasculorum in corpore, tum etiam liquidi, quod nervosas partes alluit.

1263 Et quidem liquidum peccans hic acrimonia, et majore tenacitate, solidum nimia vasculorum angustia, et rigiditate.

1264 Unde in locis à cerebro remotissimis, motui maxime resistentibus ob soliditatem, duritiem, exercitium, pondus incumbens, primo se manifestat.

1265 Ejus vitii autem (1262. 1263.) origo proxima in indigestione (*a*) viscerum, non attenuantium, assimilantiumque satis assumpta in indolem requisitam in liquido nervoso, id est ultimæ elaborationis ultimo effectu spiritui vitæ, et radicalis seminis proliferi materiæ, hinc se innectit clanculum.

1266 Cujus (1265.) ratio iterum deducitur ex causis remotis (1255. 1258.)

»cum terrea illa substantia, quæ cartilaginem in »os convertit, et qua ablata os antea durum, de»nuo mollescit.«

(*a*) Nonne ista est dyspepsia, vel ventriculi atonia à Cullenio ad podagræ productionem adeo concurrenti proposita? Ita vidit iste Boerhaavium?

1267 Supponit itaque omnes fere coctionum vitiatas functiones ad producendum hoc malum (1265.) et quidem vitio in majoribus vasis, liquidisve vix sensibili.

1268 Adeoque curatio impossibilis, nisi per medicamenta, quæ integre hæc vitia emendare queant, et subtilissimum peccans rite corrigant. Unde incurabilis fere hactenus habita, nisi paucis Empiricis. (*a*)

1269 Hæreditaria, et tophacea, curatu omnium difficillimæ. (*b*)

1270 Ex iisdem deducitur, Venæ-sectionem non attingere mali materiam, sedem, causam, prodesse (*c*) tamen aliquando

(*a*) Helmontius suo stilo ita loquitur: in sananda podagra *meditandum est quomodo è spiritu vitæ character seminalis Podagræ sit abolendus. Quo alias perstite nil actum est, electo Medico dignum. Neque enim ad intima spiritus vitalis scrinia quivis tabellarius accedit, nisi legatus amicus.* Ipse tamen, quantumvis *legatus amicus*, suo Arcano corallino, neque alius quivis Chemicus accessit. Num istud expectandum à recentiori Chemia? Utinam ista exequatur istud.

(*b*) Hippocrates hanc prognosim efformavit: Senes . . callos habentes . . sani fieri non possunt humana arte. . Juvenis . . nondum callos habens, accurate vivens . . hic sane Medicum intelligentem nactus sanari poterit (Prædict. Lib. II.) Quid accidet misero juveni Medicum non intelligentem nacto?

(*c*) Magnum hic Boerhaavii judicium practicum admirandum. Cucurbitæ cum scarificatione singu-

casu, revellendo parum, et vires urgentes minuendo (1257).

1271 Neque purgationem per superiora, inferiorave tantum præstare, quantum vulgo sperari solet, excitare sæpe tumultum (*a*) liquidi nervosi, subducere liquidiora, labefactare virtutem expellentem.

1272 Sudorifera (*b*) ex arte instituta plus proficere.

1273 Nihil autem in hoc morbo damnosius, quam impedire materiæ podagricæ jam adultæ (1263.), nec alio modo tuto eductæ, vel correctæ, defluxum ad sua loca (1259. 1260), maxime quidem dolentia, minime tamen periculosa. Tum enim retenta (*c*) apoplexias, paralyses, deliria, debilitates, sopores, tremores, convulsiones universales, si in cerebrum introivit; asthma, tussim, suffocationem, si in pulmones; pleuritidem sævam convulsivam, si in intercostalia et pleuram; nauseas, anxietates, vomitus, ructus, tormina, spasmos viscerum, si in viscera abdominalia;

lis tribus mensibus dorso pedis applicatæ ad præcavendum insultum laudantur ab Hoffmanno.

(*a*) Clysmata, et leniora cathartica, atque emetica prodesse poterunt.

(*b*) Ista etiam temperatissima esse debent, et potius præservatoria, quam curativa sunt.

(*c*) Hic videtur agere Boerhaavius de Podagra anomala, sed apertius de retropulsa.

et ita incredibile quot morbos creat, sæpe subito letales: quos frustra exquisitissimo remedio, vel methodo, fonte ignorato (*a*), tractes: nec enim cedunt, nisi podagræ recenti paroxysmo, eoque sævo, resuscitato. Contingit id damni ex applicatu incauto narcoticorum, refrigerantium, constringentium, incrassantium, vel ex omni remedio debilitante, evacuante, rursum revellente, suffocante, hinc missio sanguinis, purgatio sursum, deorsumve, Emplastra, Cataplasmata modo dicta, opiata omnia id efficiunt; ut et spontanea senii decrepiti debilitate ingruente; vel partibus omnibus extremis ita obstructis, exsiccatis, corruptis, destructis, ut mala materies per eas amplius ire nequeat: hinc liquet quæ, quibus cum symptomatibus, et cur podagricis, ex hoc morbo, mors.

1274 Proinde curatio, quam contemplatio mali, et experientia commendavit, absolvitur 1. restitutione vigoris in visceribus perditi (1265.) 2. ablatione liquidi jam corrupti fluentis in vasis, vel stagnantis ad loca (1262. 1263.)

(*a*) Mala ista à causa podagrica provenire suspicandum in podagrico, vel ob hæreditariam labem in hunc morbum proclivi. Nephritidis dolores in podagræ paroxismum quandoque migrant. Inter morbos istos quædam adest analogia.

1275 (*a*) Ad primum (1274.) spectat. *a.* Usus plantarum aromaticarum, amararum, antiscorbuticarum, maxime si per se usurpentur solo melle exceptæ. *b.* Usus salium lixiviosorum fixorum sæpe iterata, parva dosi, diu continuata, assumptorum. *c.* Tum cibi, potusque nutrientes, facile digerendi, leves. *d.* Exercitio magno, continuato, equitationis in aere puro, tum frictionibus, motibusque partium, sæpe iteratis. *e.* Somno maturo longo.

1276 Ad alterum (1274.) Usus conducit. 1. salis cujuspiam volatilis parva dosi diu assumpti, mane antequam quis surgat, cum largo haustu decocti cujusdam

(*a*) Inter remedia restaurantia eminet pulvis *Ducis Portlandiæ* dictus, ex radicibus Aristolochiæ rotundæ, Gentianæ, sumitatibus Camædryos, Camæpityos, Centaurii minoris ad partes æquales compositus. An inventus utilis? an potius perniciosus? Victus vegetabilis solus ab aliquibus laudatur tamquam antidotum. Lac pro tota diæta sumptum magna pollicetur; est alimentum, quod de animali, atque vegetabili substantia participat. *Frictiones* insigne in isto morbo levamen adferunt. Roborantur his partes, et quidquid has labefactare incipit dissipatur. Inter remedia prophylactica fortasse unicum. Episcopus hispanus Ill. Bernardinus Gomez Miedes libellum super his scripsit, et PHILIPO II. dedicavit. Inter exercitia præferendum, quod per bihorium sumitur ante prandium. Hoc debent facere præsertim litteris dediti, si sibi consulere etiam velint.

lenis, sudorisque, vel madoris, expressione levi per horam. 2. frictio calida, cum linteis siccis, partium. 3. Usus purgantis serosi, una cum mercurialibus acuti, et addito circa vesperam potu opiato sedante.

1277 Quibus equidem remediis, et curandi methodo, multum sæpe proficitur, etiam in tophacea.

1278 Ad summam doloris in loco sævitiem temperandam, urgente summa necessitate, Opiatis internis, copioso seri lactis, similisve, potu calido, externis emollientibus, anodynis, calidis, quin verberatione (*a*) cum urticis, inunctione balsami sulphuris therebinthinati, inustione cum Lino, utendum sæpe est.

1279 Cæterum non aliter usurpanda, quin summopere metuatur citior induratio loci affecti, mobilitatisque jactura.

1280 Maximum vero cuique remedium, quod oppositum illi causæ, unde originem duxerat morbus (1255. 1258.)

1281 Si autem materiæ podagricæ introversæ signa adsint (1273.) sine ulla mora tentanda est ejus expulsio in juncturas:

(*a*) An vesicatorium lene parti proximæ, vel ipsi dolenti applicatum præstantius foret? Mollis pannus laneus tegens tantum partes dolentes, perspirationem promovens forte erit utilius topicum præ inustione, ac urticarum stimulo, quæ nemo podagricus ad doloris sævitiem levandam, quantumvis patiens admittet.

ergo statim applicentur femoribus larga vesicatoria, locis, dolere assuetis fomenta aromatica salina tepida, fiat deambulatio, vel motus magnus in rheda, sumatur larga copia decocti alicujus aromatici sudoriferi, vel hoc non juvante, vini (*a*) rhenani generosi, his dein factis, dolore incipiente, in calidum lectum repositus, et opertus, sudet.

1282 Quæ si quis omnia consideret, videt difficultatem summam (*b*) curandi hujus morbi: tum rationem, cur in renovantibus hujus medelam quæsiverint summi et Medici et Chemici? Cur Lac, et quousque sanet? an sit acor specificus cruore concep-

(*a*) Fragrans vinum quale rhenanum est, in primis si vires langueant, in veteranis jam podagricis omnium maxime si largiori vini usui dudum assueti fuerint; paroxysmum redintegrat.

(*b*) *Facilitas curationis* vafris Agirtis reservata: hi enim dolorem lenientes sanatam esse podagram suadent ægris credulis, et pecunia accepta abeunt parum solliciti quid in posterum fiet. Medici aliter se gerunt. *Renovantia* seu totam corporis substantiam immutantia fortasse podagram curabunt; hinc Helleborus, seu Veratrum Antiquis adamatum. Chemici arcana sua ad id comendaverunt. Sed an sanatio ista dubia semper morbo ipso pejor? *Lac* caracterem morbosum fortè non tollit; causas tamen paroxysmum excitantes cavet, seu mitiores reddit. *Acor* specificus certe mater unica podagræ non est, licet vina acidula,

tus mater podagræ ; quæ sit ratio nodi, tophi, cretæ, podagricorum? Cur miserrima sit, quæ sine tumore, podagra? Cur mitior tumens? Cur dolor tandem desinat in podagricis? cur, quamdiu dirissimus dolor in paroxysmis, serena eaque longa, intervalla sint? Cur cessante doloris sævitie, dein vix unquam integre liber sit æger? An ullum absorbens alcalinum specificum sit, quod podagram radicitus extirpet? Cur Machina Statica Sanctorii summa directrix et index futurorum, et faciendorum in podagra? Cœterum podagra, spiritui vitæ inhærens, in humore articulorum tenuissimo, et in semine ipso, tantum se prodit violentis effectibus.

acidorum abusus, inter causas numerentur, et quandoque acerrimi acidi vomitus levaverit subito furentis præ dolore podagrici tormenta. Sudor fœtidus, qui quandoque adest, nullo modo acidus, septicam acrimoniam potius incusare videtur. *In dolore dirissimo* totus morbus in artus disploditur, et ibi maturatus redditur aptus ut integre expellatur de corpore. *Absorventia alcalina* unicè ab ignaris pro specificis prædicantur. *Sanctorii Machina* utinam à Medicis amplius excoleretur. Observationes certè laboriosæ sunt, et sperandum tædium istud, Listero, Gortero, et aliis Antesignanis constantius devorandum. Ex tota morbi historia apparet causas perspirationem turbantes in eum influere, istumque per diaphoresin, sive sudorem levari atque finiri; ad quæ omnia investiganda, atque definienda Sanctorii

APHOR. 1275. L. *a.*

Vid. 1233.

APHOR. 1275. L. *b.*

℞. Alcahest Glauberi unciam unam.
Sumat omni mane guttas novem ex jure vitulino.

℞. Cinerum Genistæ unciam unam
Vini rhenani libram unam et semis.
Misce. Bibat depurati liquoris unciam semis omni mane.

Machina, ejusque, asseclarumque doctrina maxime deservire poterit.

Multa, imo inumera pro morbo isto domando venditantur. Aliqua magis utilia, seu minus nocentia in tironum notitiam proponam. Ad sudorem eliciendum Decoctum sassafras cum alcali volatili commendatur. Solutio Gummi Guajaci in aqua vitæ ad idem. Assa fætida, Camphora, Moschus, Sinapismi, Quasiæ Decoctum, cui Decoctum Gentianæ, quantumvis vilioris prætii præferendum. Pareira braba multum laudatur. Cur? interrogat, et ita respondet Boerhaavius: Rara est: commendatur à Medicis nugacibus, qui arte vacui, semper quærunt quid, quo dato ultimum fecisse, nihilque omisisse videntur (Epist. ad Bassandum Francisci I. Archiatrum.)

Alibi dictum (Tom. III. pag. 506.) febrem hæmorrhoidalem ad sanandam Podagram conferre. Cum febris ista ex arthriticarum familia sit, et in observationibus ab Stollio propositis materiæ

1283 Præter omnia hæc Acutorum et Chronicorum genera, sunt nonnulli morbi virginibus, gravidis, puerperisque proprii (*a*), tum et puerili ætati.

arthriticæ commotæ, et corpus oberrantis signa adsint, et præsertim plethorica abdominalium vasorum conditio . . per hæmorrhoidas fluentes commodè vacuari poterit cum sanguine atro arthriticum illud, sive podagricum quid, et ita vel sanabitur, vel saltim cavebitur dira podagra. Quidquid sit celeberr. Stahlius in frequentiori hirudinum ad venas hæmorrhoidales applicatione spem futuræ podagræ sanationis posuit. (*Casuale magnum.*) Forestus ex apparentibus consuetis hæmorrhoidibus, iisque fluentibus dolorem præsentem articulorum vidit evanescere (Observat. medic. lib. IV.) In morbo isto adeo crudeli, atque contumaci tentanda omnia illa, quæ utcumque prodesse; neutiquam notabiliter officere suadet ratio, cui favet horum celebrium virorum experientia.

(*a*) Doctrina generalis morborum acutorum, vel chronicorum deservit maxime ad percipienda mala virginibus, gravidis, pueris, senibus . . propria. Pariter istud de morbis Navigantium, Togatorum, Artificum . . intelligendum.

Signa menstrui fluoris prodituri cognoscenda. Mammæ tument, pondus circa pubem cum quadam prurigine sentitur, pigritia, gravedo in renibus adest, oscitatio, totius corporis extensio, rubor in genis non perseverans, cibi fastidium, cervicis, capitis dolor . . post quæ fluor

1284 Quo tempore (*a*) fœmininum corpus ad incrementum suum pervenit, in bene facta temperie plus solet conficere cruoris, quam qui vasis contineatur, unde arteriis uterinis fluoris Menstrui nomine secernitur.

1285 Si, posito corpore in condittione (1284.) hic sanguis retinetur (*b*), oritur plethora, tarditas, gravitas, pallor, dolor lumborum, inguinum, depravatæ func-

menstruus apparet, et per tres, vel quatuor dies durat, absolvitur. Pulsus hanc eruptionem præcedens *dicrotus uterinus* dicitur. Sanguis menstruus neque adeo sanus *qualis è victima* ut Hippocrates, nec adeo toxicus ut Plinius, et Columela testantur. Videatur Ludovicus Bonatiolus in Ennead. Mulieb. Cap. 3. Spach. Gynæc. pag. 115.

(*a*) Plerumque circa decimum quartum ætatis annum menses primo apparere solent, et circa quadragessimum quintum cessare.

(*b*) *Retentio* ista morbus est, qui genericè dicitur: *Amenorrhœa*. Hujus caracter est: Menses tempore quo fluere solent, vel solito parciores, vel non omnino fluentes, citra graviditatem. (Hæc Cullenius Class. IV. Genere 126.) Species sunt: I. Amenorrhœa (*emansionis*) in puberibus, quibus post fluxus tempus solitum, menses non jam prodierint, et cum simul variæ affectiones morbidæ adsint.

II. Amenorrhœa (*suppressionis*) in adultis, quibus menses, quæ jam fluere solebant, suppressæ sunt.

III. Amenorrhœa (*difficilis*) in qua menses parcius, et cum dolore fluunt.

tiones omnes fere naturales, vitales, animales, quæ facile deducuntur à vasis nimis pressis, liquido copiosiore, stagnante, suffocato.

1286 Ab eodem autem sic accumulato miræ sæpe parantur viæ (*a*), raris secretionibus menstruis notæ, dum per oculos, aures, nares, gingivas, vias salivæ, œsophagum, alvum, vesicam, mammas, cutim, vulnera, ulcera exire viderint Medici.

1287 Vel et sæpe labefactantur inde omnia viscera, orituque partim à putredine concepta, partim à vasis læsis, infinitum morborum (*b*) genus (106.)

(*a*) Præter vias hic propositas vasa hæmorrhoidalia addenda. Hæc via ob viciniam maxime proportionata est ad menses suppressos revocandos hirudinibus ad vasa illa admotis.

(*b*) Inter istos eminet *Chlorosis*, seu pallidi cum virore virginum colores, qui morbus considerandus utpote communissimus. Cullenius (Genere 47.) hunc ejus caracterem assignat: »Dyspepsia, vel rei non esculentæ desiderium, cutis »pallor, vel decoloratio; venæ minus plenæ, cor»poris tumor mollis; asthenia, palpitatio, mens»truorum retentio." Species unica, scilicet *Chlorosis virginea.* Quæ à Sauvagesio proponuntur spuriæ, seu symptomaticæ sunt v. gr. à menorrhagia, gravidarum, infantum, verminosa, viridis, ab hydrothorace, maculosa, rachialgica, (seu metallica.)

Morbus iste, seu potius Amenorrhœæ symptoma, cum debilitate totius systematis, et potissi-

1288 Cognoscitur hic morbus 1. ab ætate. 2. incremento corporis jam perfecto. 3. plethora. 4. signis deinde morbi (*a*) subsequentis.

1289 Pro solutione requirit varia (*b*) remedia respectu variæ causæ.

1290 Quas inter naturalis, vel superveniens pudendorum concretio (*c*), manum Chirurgi requirit debito instrumento, debito vulnere, viam facientis.

mum vasorum uterinorum sociatur : quandoque tamen in virginibus alias robustis, campestribus, temperamenti sanguinei . . menstrui retentio chlorosim faciens, à rigiditate, elasticitate fibrarum, atque vasorum uterinorum potius, procedit. Distinctio ista ad praxim utilis, imo necessaria. Aph. 1285. dictum fuit ab sanguinis retentione ista functiones omnes ferè, naturales, vitales, animales depravari. Cura igitur maxima super retentione ista habenda.

(*a*) Circa illud tempus ætatis, quo menstrua prodire solent virgo corripi etiam poterit aliis morbis, qui non pendent ab instante menstruatione, sed à longe aliis causis, quod serio distinguendum. Signis venturi primi menstrui præsentibus molli balneo, frictionibus crurum et femorum, leniоribus tantum emenagogis incepta naturæ molimina juvare tunc licet.

(*b*) Quando functiones languent ob boni sanguinis defectum, roboranda prius virgo, quo solo menstrua regulariter prodibunt : si è contra vasa uterina nimis constricta fuerint, mollissima remedia proderunt.

(*c*) Agitur hic de membrana *Hymen* dicta.

1291 Cæterum, ubi à stagnante (*a*) liquido, huic conciliabitur fluor. 1. fotu, et frictu pedum. 2. apertura venæ in pede, et sanguine misso. 3. purgantibus Uterinis datis. 4. Emmenagogis. 5. Emplastris, fotibus, linimentis, vaporibus, calore. 6. ipsa vasa à plethora debilitata roborando (*b*) per Chalybeata, et Adstringentia.

Vagina etiam angustiam istam pati poterit. Hæc nedum ad Chirurgiam, sed ad Medicinam legalem circa Matrimonia pertinent.

(*a*) In hac re Medici cautissimi sint, seriò introspicientes num liquidum stagnans, num *graviditas* ista producat.

1. Præter fotum, et frictum pedum, crurum compressio, cruralibus præsertim arteriis applicato splenio circa solitam menstruorum periodum prodesse poterunt; præsertim si pudenda vapori aquæ tepidæ tunc, et anterius exponantur.

2. Si dicta non sufficiant *aperienda vena in pede* ex communi sententia. Joan. Franc. Le Fevre Libro de usu et abusu venæ-sectionis, Sect. 6. Cap. 1. num. 287 et 88, asserit et probat primam venæ-sectionem in brachio esse instituendam; post hanc purgantia, et emenagoga administranda, et post ista venæ-sectio in pede omnem paginam adimplet.

(*b*) *Roborantia* prosunt quando vasa sunt debilitata. Accidit tamen aliquando, uti jam dictum, uterina vasa esse rigida, elastica . . quo casu emollientia, laxantia . . potiora sunt emenagoga.

Electricitas ad menses ciendos à quibusdam prædicatur. Absdubio prudenter administrata aliquo casu conferre poterit.

1292 Sublata his morbi scaturigine, solent omnia fere mala (1285. 1286. 1287.) sponte evanescere. Vel curantur ex natura et cura ejus morbi, cujus imaginem referunt quam proxime: quod facile ex ante dictis fit.

APHOR. 1291. Num. 3.

Aloe.	Bdellium.
Myrrha.	Sagapenum.
Bryonia.	Opopanax.
Colocynthis.	Galbanum.
Gum. Ammoniacum.	Asa fœtida.

Elixir proprietatis quodcumque.

APHOR. 1291. Num. 4.

Omnia hic supra Núm. 3.

Aristolochia.	Ruta
Artemisia	Sabina
Cardiaca	Salvia
Chamæmelum.	Sambucus.
Juniperus	Serpillum
Majorana	Tanacetum
Marum.	Thuya.
Matricaria.	Thymus.
Pulegium.	

Tum Aph. 75. Núm. 5. Aph. 54. Núm. 4.

APHOR. 1291. Num. 5.

Emplastra de
- Cumino
- Meliloto
- Galbano
- Baccis Lauri
- Labdano
- Oxycroceum.

Applicata cavis pedum, umbilico, et inguinibus.

Fotus ex sapone veneto et decocto herbarum Núm. 4. hujus Aphorismi.

Linimenta ex Unguento
- Martiato.
- Nervino.
- Enulato sine Mercurio.
- Agrippæ.
- De Arthanita.

Olea aromatica stillatitia. vid. Aph. 75. N. 5. inter *stimulantia* præcipue vero;

Oleum stillatitium
- Baccarum Juniperi
- Hyssopi
- Macis.
- Majoranæ.
- Origani cretici
- Rosmarini
- Sabinæ
- Spicæ.
- Tanaceti.
- Succini.

Olea infussa
- Absinthii
- Anethi
- Chamæmeli
- Nepetæ
- Rutæ
- Castorei
- Crocini
- Irini
- Lumbricorum terrestrium.

V. G.

Linimentum stimulans.

R. Unguenti Martiati
Nervini singulorum unciam unam.
Olei stillatitii Baccarum Juniperi drachmam unam.
Sabinæ
Infusi Rutæ
Castorei singulorum unciam semis.
Misce. Fiat linimentum in hoc casu, umbilico, pubi, inguinibus applicandum.
Vapores ex decocto N. 4 utero excepti.

APHOR. 1291. Num. 5.

Vid. 1250.

MORBI GRAVIDARUM.

1293 Postquam gravida est fœmina, plurimis afficitur malis ex sola graviditate (*a*) oriundis.

1294 Quorum nonnulla oriuntur ex sanguine menstruo secerni impedito ob

(*a*) Mala ista ab aliis diversa causa productis sedulo distinguenda.

clausum uterum, et fœtu tamen non potente hactenus in sui incrementum eum absumere.

1295 Alia ex ipsa mole, motuque fœtus, atque secundinarum, et aquarum, vim exercentium in partes hasce sensiles admodum.

1296 A priori (1294.) videtur pendere nausea, vomitus, prostratus appetitus, vel idem depravatus plane, animi deliquia, vertigines, dolores summi stomachi, pectinis, inguinum, renum, mammarum, torpor, gravitas, dyspnœa (*a*), abortus.

1297 Quæ proinde pendentia ab una causa eodem remedio, sanguinis missione, (*b*) tolli solent.

1298 In qua tamen instituenda, locus, tempus, copiaque, maxime advertenda.

1299 Tum victus tenuis, motus ordinatus (*c*), potus levis admodum prosunt.

(*a*) Hisce etiam uteumque graviditas dignoscitur, circa quam tamen caute in foro criminali pronunciandum. *Abortus* circa tertium mensem frequentius contingunt.

(*b*) Aliqui gravidis omnibus ante tertium graviditatis mensem venæ-sectionem in manu, vel in brachio consulunt: alii nullis. Plenitudo nimia, mensium extra hunc statum redundantia.. eam permittunt, imo exigunt, et contra.

(*c*) Vectio in rheda, itinera, saltationes.. maxime vitanda.

1300 Interim Cardiaca aromatica, una cum lenissimis antihystericis, vel et blandis subacidis, summi usus sunt, et efficaciæ.

1301 Ab incremento fœtus oriri videntur eadem fere, quæ enumerata (1296.) tum difficultas urinæ, et alvi, (*a*) Hæmorrhoides, Varices, Inflatio pedum, Uterinorumque labiorum lapsus proclivis.

1302 Quibus quidem auxilium ferri potest aliquando remedio venæ-sectionis (1297.) vel et situ corporis pro tempore mutato: tum etiam fasciis, similibusque, atque tandem linimentis lenibus.

1303 Inter periculosissimos vero gravidarum morbos habetur fluor (*b*) uterini sanguinis.

(*a*) Ab assurgente utero gravido intestina comprimuntur, et præsertim intestinum rectum, quo fœces alvinæ exiccatæ manent: undè si clysmata, linimenta . . non sufficiunt, instrumentis scalpendo minuenda fœcalis moles, quo auxilio mulier angla, ex van-Swietenii narratione, ope peritissimi Chirurgi abortum vitavit, et ita exonerata convaluit.

Qualis autem sexus futurus sit fœtus, nullum habetur certum indicium. Sphigmici ista nosse credunt. Num ex animo?

(*b*) Hæmorrhagia uteri gravidi, malum teterrimum, atque communissimum, perfectum Medicum, atque peritissimam Obstetricem requirit. Quæ hic adducit Boerhaavius documenta optima sunt. Vid. *Puzos* Traite des Accouchemens p. 323.

1304 Qui fere ex eo, quod placenta ab utero soluta, et arteriis plenis sanguine distendente, uteroque distento, sæpe pleno rivo arteriosus cruor emanet.

1305 Cognoscitur ex orificio uteri laxato, sanguinis fluxu magno, citato, admodum debilitante, vivo, vel grumoso, dolente.

1306 Causa hujus, affectus animi vehementes, motus corporis nimii, hysterica, et emmenagoga male applicata, percussio inferioris partis abdominis.

1307 Remedia, quies animi, corporisque, aer frigidus modicè, Venæ-sectio, adstringentia, opiata.

1308 Si his nihil proficitur, infans methodo optima, pro situ ejus mutata, illico educendus, uterusque ab fœtu, placenta, grumoso cruore integre liberandus erit.

1309 Neque refert, quonam gestationis tempore id acciderit, (*a*) cum melius sit perire, vel aliter periturum, fœtum, salva matre, quam perire certo utrosque.

(*a*) Nihilominus in hæmorrhagiis uteri, quæ primis graviditatis mensibus contingunt, non commendanda fœtus eductio: omnes enim fatentur rarius perire ex abortu mulieres hoc graviditatis tempore. Auxilia Aph. 1307. proposita regulariter sufficiunt. Ista etiam in sequentibus graviditatis mensibus frequenter succedunt absque eductione fœtus. Non igitur hæc inconsulto suadenda.

APHOR. 1300.

Vinum medicatum, aromaticum, cardiacum.

R. Corticis electi depurati Citrei
Aurantiorum
singulorum uncias duas.
Cinnamomi drachmas sex.
Magellanici drachmas duas.
Vini hispanici libras tres.
Fiat vinum medicatum.
Capiat uncias duas vesperi itura cubitum.

Tinctura cardiaca, antithysterica.

R. Salis volatilis oleosi drachmam unam.
Tincturæ gummi laccæ drachmas duas.
Castorei drachmam semis.
Misce. Capiat guttas duodecim in paroxysmo hysterico.

Ratio hujus eductionis omni gestationis tempore, quia asseritur, *melius esse perire vel aliter periturum fœtum salva matre, quam perire certo utrosque*; maxima cum prudentia admittenda est. Videantur Auctores, qui de re ista gravissima pertractant. Interea alta mente tenendum SANCTI AMBROSII Effatum: *si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari quam gravari alterum* (Lib. De Officiis Ministrorum.)

Mistura cardiaca, aromatica, acida.

R. Succi citri recenter expressi,
Syrupi kermesini singulorum uncias quatuor.
Vini rhænani libras tres.
Tincturæ cinnamomi uncias duas
Corticis citrei uncias duas.
Misce. Capiat unciam unam, et semis in languore.

Similis.

R. Rob Ribesiorum
Myvæ Cydoniorum
Syrupi Berberis conditi
Acetosæ Citrei singulorum uncias duas.
Spiritus vitæ Matthioli unciam unam
Aquæ stillatæ corticis citrei uncias duodecim.
Misce. Capiat unciam semis in languore.

APHOR. 1302.

Linimentum emolliens.

R. Unguenti Populei
Rosacei singulorum unciam unam.
Nutriti drachmas sex.
Sacchari Saturni scrupulum unum.
Olei infusi Rosarum, Violarum,
Hyperici, singulorum unciam semis.
Misce. Fiat Linimentum, huic casui aptum.

APHOR. 1307.

Mistura adstringens, opiata.

℞. Lapidis Hæmatitis
Boli Armenæ
Sanguinis Draconis singulorum drachmam unam.
Syrupi Myrtini unciam unam.
Laudani puri grana tria.
Aquæ stillatæ plantaginis uncias sex.
Misce. Capiat unciam semis omni dimidia parte horæ, donec inceperit leniri malum, si medicamento hujusmodi superabile sit.

PARTUS DIFFICILIS.

1310 Partus difficilis (*a*) fit vitio Matris, Infantisve.

1311 Vitio Matris, deficientibus viribus ad expellendum, vel partibus ipsis naturalibus male se habentibus.

1312 Si vires deficiunt, hæ excitandæ

(*a*) Partus est vel naturalis, vel contra naturam, vel difficilis, seu laboriosus. Graviditatis terminus naturalis est nonus mensis. Hic terminus potest anticipari, sive retardari, circa quæ videantur Alphonsus à Caranza Tr. *De Partu*. La Motte . . aliique.

sunt ope Uterinorum, Cardiacorum (*a*), Sternutatoriorum.

1313 Si uteri collum internum nimis angustum, durumve, linimentis succurrendum quantum possibile, ut lubricum emollescat, vel fotu.

1314 Si tumor (*b*) hic (1313.) vel in vagina enatus expulsionem impedit, is discutiendus, suppurandus, vel eximendus ope Chirurgica.

1315 Si excoriata harum partium labia coaluerint, cito, et ante partum, si fieri possit, dissecanda, et cicatrice obducenda sunt.

1316 Si ossium compages arctior iter impediverit, linimentis emollientibus (1313) fomentis similibus, lenienda sunt, tum manu (*c*) lege artis succurrendum parturienti est.

(*a*) Hæc omnia prudenter administranda, cavendo ne Matronæ ridicula, imo noxia horum titulo exhibeant.

(*b*) Cavendum ne tumor iste sit vesica prolapsa, seu ipse uterus. Ruyschius ipse in hac re fere deceptus fuit. Tumores etiam folliculosi, vel et polyposi in his partibus observantur. Chirurgus obstetricans Levret de his, horumque sanatione ex proffesso egit (*Observations sur les Polypes de la Matrice..*) Hippocrates hos tumores polyposos jam agnovit, et *præcidendo* sanavit (lib. de Natur. mulieb.)

(*c*) Ossa pelvis debent esse bene conformata. Manus obstetricis aptior est angusta, et digitos longos habens. Os sacrum frequenter introrsum

1317 Infantis vitio contingit, ubi ille immobilis, mortuus, vel ita situs, ut ipse sibi claudat portam.

1318 Mortuus cognoscitur, si immobilis, si arteriæ umbilicales sentiuntur in funiculo umbilicali quiescere, maxime, prope corpus infantis, si fœtida (*a*) exeunt, si

vergit, quod manu retrorsum inclinandum. Ossium pubis angustia an per symphisim separanda si hoc naturaliter non fit? Circa operationem istam videndum Opusculum hispanum, in quo D. Franciscus Cascaron quos Chirurgia fecit novos progressus post institutiones chirurgicas Heisteri proponit, in ADVERTENCIA eidem præposita, qua eam improbat.

Uterus etiam rumpi poterit, quod malum horrendum est, de quo celebr. Crantz tractatum edidit. Hoc casu cæsarea sectio in mortuæ matris cadavere necessaria. Circa istam Cangiamila præ aliis consulendus. Sectio ista instituenda in cadavere ita circunspectè, ac si in vivente muliere fieret. Videatur Heisterus Inst. Chir. tom. II. Sect. V. Cap. 113. An sectio cæsarea in vivente muliere instituenda hac spe ut et mater, et fœtus servari possint? Quid dicendum de conceptibus illis, qui extra uterum facti sunt in ovario, tubis fallopianis .. naturali via numquam educendis?

(*a*) Fœtor non semper notat fœtum mortuum esse: potest enim ab alia causa fieri. Grumi sanguinis si accedat aer putrescunt. Ex gemellis unus potest esse mortuus et jam putrescens, dum alter vivus et sanus est. Malus etiam odor adest si meconium fœtus excreverit dum adhuc in utero hæret ... Denique neminem pœnitebit unquam (ait hic van-Swieten.) »si mortuum fœtum in

pondus ingens, si laborat tenesmo, si syncope, horripulatione, halitu graveolente, colore livido, si diu elapsis aquis nondum peperit, si epidermis prompte acute secedit, si cutis fœtus flaccida, facile separanda, ossa mollia, et mobilia.

1319 Simulac fœtus cognoscitur mortuus (1318.) metu gangrænæ, syncopes, mortisque maternæ, eximendus (*a*) est vel per pedes maxime, si fieri queat.

1320 Situs infantis redigendus (*b*) est in eum, quo fœtus possit educi, vel per caput, vel per pedes in primis.

»difficili partu tractaverit ac si vivus foret; sed »quantæ manent angustiæ illos (*perpetuum quatiente animi tortore flagellum*), qui temerario »ausu vivum infantem, uncis dilaniatum, protrahunt." (Inst. Med. §. 694. N. 20.)

(*a*) Embryulcia, seu fœtus extractio antiquitus erat horrida, ut ex Hippocrate (lib. I. de Morb. mulier.: De superfœtatione: De fœtus in utero mortui exsectione.) apparet. Hodie forcipe *Levretiano* vel vecte *Roonhuysiano* felicitèr hoc perficitur, et tutius quam terrifico uncorum apparatu.

(*b*) Hippocrates parturientem concutiendo subito, et satis validè ista tentabat. Perita obstetricantis manus aptius facit, atque commodius. Generalis regula in Arte obstetricia est: in quovis situ perverso fœtus pedibus educi debere. Difficultas manet in brachiorum extractione. Deventer judicat brachia juxta caput relinquenda esse, simul cum capite excludenda. Levret tamen consulit ut brachia detrahantur dum infans usque ad axillas protractus fuit. . idem Crantzius suadet.

1321 Id efficitur 1. positu (*a*) Matris debito. 2. mutatione situs infantis.

APHOR. 1316.

Linimenta.

Vid. Aphor. 35. Num. 3. Aphor. 1302.

(*a*) Multa de Sella parturientium scripta sunt. Parturientis commoditas attendenda. Uteri declinatio visu et tactu abdominis detegenda, ut mutato parturientis situ emmendari possit. Naturalis situs infantis est, ut capite prævio, facie os sacrum matris spectante prodeat : situs reliqui sunt præternaturales, obstetricantis manu tunc vertendus fœtus, et pedes quærendi. Post partum, membranæ, in quibus infans hæsit, chorda umbilicalis, et placenta debent removeri, ut uterus se possit contrahere. An statim hoc faciendum ; an paulisper expectandum donec parum contrahatur uterus? Dubitatur. Circunstantiæ indicabunt. Numquam vis adhiberi debet. Doluit Ruyschius quod quinquaginta annorum spatio dum obstetricandi artem exercuisset, plures vidisset post partum felicem sanas et hilares periisse, quod placenta rudius extraheretur. Hippocrates jam dixerat : *id sensim, non vi faciendum.* (De Superfoetatione Cap. 3.)

Pro coronide addendum inter morbos Virginum recenseri (1290.) *naturalis . . pudendorum concretio*, qualis vaginæ angustia v. gr. esse potest, quæ partum, et inde Matrimonium impedire videtur. Circa rem istam vid. Tom. I. Dissertationum Academiæ Reg. Med. Matrit. pag. 167.

1322 Puerpera (*a*) corripitur lipothymia, syncope, convulsionibus, statim à partu, quia sanguis arteriosus à cerebro, et cerebello aversus agitur in laxa abdominis vasa : dein dolore post partum, à labore tolerato, partibus contusis, à sanguine, fœtu alio, secundinisve restitantibus.

1323 Fascia lata laxum abdomen fulciens (*b*) tollit priora mala. (1322.) Fœtus alius, secundinæ partes, grumi sanguinis, manu educenda.

1324 Dolor à labore tollitur opiato, (*c*) antacido, cardiaco, diluente, fotu anodyno externo.

(*a*) Puerpera potest etiam puerperii tempore aliis morbis corripi non precisè à partu proficiscentibus, quod valde notandum.

(*b*) Valida constrictio abdominis nocere potest ; hinc tali modo applicanda ligatura ut firmet et *fulciat* lapsum abdomen, non vero valide premat. Uterus aliquando grumis sanguinis repletur manu educendis. Circa operationem istam vid. Tom. I. Academiæ citatæ Med. Matrit. pag. 421. An injectiones in uterum jam ab Hippocrate propositæ sufficient ?

(*c*) *Levret* opium et omnia ejus præparata ad ista damnat : van Swietenius suadet. Dolor tunc à spasmodica uteri contractione oritur, quæ anodyna exigit. Opium depuratum theriacis præferendum. Somnus in recens enixis observandus. Pul-

1325 Nimio (*a*) lochiorum fluxu vexatur, à nimia fluiditate, agitatione sanguinis, vel ut plurimum à retentis (1322.) in utero, ejus contractionem impedientibus.

1326 Si à retentis (*b*), hæc educenda (1323.)

1327 Si ab affectu animi (*c*), sanguine nimis fluido, nimis agitato, concurren-

sus et respiratio naturales ostendent puerperam in eo bene se habere. Fotus, vel cataplasma ex oleo amigdalarum dulcium, vitellis et albumine ovorum simul mistis, pudendorum labiis applicanda.

(*a*) Facies pallida, oculorum obscuratio, tinnitus aurium . . *nimium* jam esse lochiorum fluxum demonstrant.

(*b*) Inter retenta in utero *Molæ* solent adnumerari, de quibus miræ fabulæ narrantur. Lamzweerde (*Historia naturalis Molarum uteri*) super re ista consulendus. Auctor iste duas distinguit molas; unam *generationis*, et aliam *nutritionis*; et asserit in utero virginum ex materia nutritionis tumores carneos nasci posse, et has molas *nutritionis* vocandas voluit, quæ absque concubitu produci possunt. Cum vero sub generali Molarum nomine ambæ comprehendantur, magna cum prudentia *Molæ* nomen usurpandum est, ne temere illibatæ pudicitiæ virginibus, et castis viduabus incontinentiæ inuratur nota. Optime quidem!

(*c*) In casu isto æque nocent lætitiæ atque tristitia. Aliquando crassiores fœces fluxum istum producunt. Clysmata emollientia, et etiam fortiora forte conveniunt. Inter *adstringentia* applicatio lumbis, pectini . . oxycrati frigidi, nivis ipsius, in vagina ipsa commendantur.

dum ad hordeata, gelatinas, emulsiones, opiata, adstringentia.

1328 Quorum delectus docent signa morbi, temperiei, velocitatis.

1329 Dum fluit ab uteri vasis restrictis in mammas pabulum serosum lacteum, febricula (*a*) exoritur, qua orta, sæpè lochia omnino retinentur, unde infinita et pessimæ indolis symptomata, prout in hoc illudve viscus rapiuntur, hinc phrenitides, pleuritides, peripneumoniæ, anginæ, paraphrenitides, mammarum inflammationes,

(*a*) Febricula illa, quæ in puerperis *lactea* solet dici, non tantum à lacte ad mammas delato nascitur, sed etiam à depuratione uteri per blandam, et superficiariam suppurationem. Hoc resorptum, humoribus mistum, mala metastasi ad viscera delatum periculosos producit morbos. In puerperis facilis est secessus lactis à sanguine naturali lege, ut in alimentum recens nato infanti cedat. Hinc si hoc non fit in mammis, metuendum est ne fiat in visceribus, in quibus decumbit, et quæ afficit. De his lactis decubitibus ægregiè tractant Puzos, Levret, Astruc . . Antiqui omnia ista mala lochiis suppressis tribuebant. Lactatio, vel lactis è mammis suctu, vel catellis expulsio plurima mala præservare valet.

Lochiorum suppressio semper timenda, maxime quando ab inflammatione uteri originem ducit. Inflammatio ista valde communis est, et maxime timenda, vix resolvendo curatur, sed sæpe in suppurationem abit; quandoque et in gangrænam subito letalem. Hinc exacte dignoscenda, atque tractanda.

pejor hepatis, ventriculi, omenti, mesenterii, lienis, renum, intestinorum, tum Dysenteria, Colica, Iliaca, Apoplexia, Paralysis, et multiplex sane mali species (*a*).

1330 Cuncta hæc eradicantur sponte, radice mali excisa (1329.)

1331 Hinc requiruntur (*b*) Antacida lenia, ad labem acidam seri sopiendam, diluentia lenia ex hordeatis, avenatis, amygdalatis, jusculis; aperientia specifica lenissima ex moderate cardiacis et uterinis, aperientia localia, Clysmata, Fomenta, Cataplasmata, Emplastra, Linimenta, Cucurbitæ, Pessaria, Suppositoria.

1332 Venæ sectio haud facile, nec nisi urgente summa necessitate (*c*), adhiberi potest.

1333 Neque curanda symptomata

(*a*) Diarrhœa quandoque adest, quæ licet utplurimum symptomatica sit, potest aliquando esse critica. Hæc post tertium, vel quatum puerperii diem solet incipere, alvo excernuntur pultaceà flava, vel alba . . cum levamine. Vomitoria in diarrhœa symptomatica non improbantur ab Hippocrate ipso (lib. I. De Morbis Mulier. cap. 42.)

(*b*) Agitur jam de methodo tractandi puerperas ut lochiorum suppressio caveatur, et quænam tuto tentari possint ut lochia suppressa, vel parca nimis provocentur. Circa *Pessaria*. Vid. Instit. med. §. 1226. N. 2. not. (*b*)

(*c*) Venæ-sectio in uteri inflammatione necessaria; alias cautè administranda in morbis puer-

proinde, ac si essent morbi acuti sui generis (1329.)

1334 Lacte ad mammas delato, sæpe fit ejus stagnatio, coagulatio, dolor inflammatorius, Suppuratio, Scirrhus, Cancer.

1335 Cognoscitur horrore, frigore et calore reciprocis, febricula, signisque incipientis inflammationis.

1336 Curatur 1. antacidis lenibus. 2. Diluentibus lenissimis. 3. discutientibus (*a*) externis cito applicatis.

1337 Si jam in apostema tendit, quantocyus maturandum, aperiendum, depurandum, consolidandum; de quibus in Chirurgicis.

1338 Lactantis papillæ dolor, fissura, (*b*) inflammatio, tollitur balsamicis blandissimis, spirituosis cephalicis applicatis.

1339 Lac abundans nimis, et tenue,

perii, qui à partu, et ejus sequelis, ut causa pendent. An sanguisugæ hæmorrhoidibus utiliores?

(*a*) *Benevoli* et *Nannoni* docent ægregium esse usum aceti aqua diluti non tantum in incipiente mammarum inflammatione, sed etiam dum jam provectior morbus est. Hodie solventem aceti vim omnes agnoscunt. Mamma tumens utiliter etiam fovetur solutione saponis veneti in lacte, et aqua. Cicutæ usus prudenter commendandus.

(*b*) Malum istud molestissimum est. *Spirituosa et Balsamica* . . potius ad indurandam prius papillam, et à fissuris præcavendam, quam ad has curandas deserviunt. Mollissima ad Aph. 1336. proposita conveniunt. Lintea succo sempervivi

temperatur victu blando, siccoque, et motu (*a*): lac deficiens curatur victu humido, blando, nutriente, fotu, frictioneque mammæ, sublatione Causæ indagatæ.

majoris madida, oleum ceræ ad mala ista à van-Swietenio laudantur.

(*a*) Aliquando lac his tentatis non minuitur; ablactandus est tunc infans; cæteroquin nutrix brevi deficeret. Infusum fortè salviæ hanc lactis secretionem nimiam minuere valet. *Defectus lactis* ab aliis evacuacionibus nimiis per alvum, sudores etiam oritur, quæ sistendæ. *Causæ* aliæ, fabrica nempe densa, laxa . . corporis, et præsertim mammarum vix poterunt emmendari.

Absoluta muliebrium morborum difficilium atque reconditorum admodum tractatione, ut plenariam deinceps tirones notionem adquirant innuendi sunt Auctores præcipui, quos adire confidenter atque impense debent. Hippocrates Medicorum princeps varios super re ista nobis libros reliquit ut sunt: *De Genitura*: *De Natura Pueri*, seu *fœtus*: *De septimestri Partu*: *De octimestri Partu*: *De superfœtatione*: *De Exsectione fœtus*: *De virginum Morbis*: *De Natura muliebri*: *De Morbis mulierum* . . qui omnes sedulo consulendi, et ad horum intelligentiam videndi commentatores Mauritius Cordeus; Prosper Martianus; Pompejus Saccus; Gorræus; Cardanus . . Videndus etiam Spacchius, et inter nostrates Joan. Raph. Moxius Gerundensis, Ludov. Mercatus . . . Inter exteros Joannis Astruc Tractatus de Morbis mulierum duobus in 4. tomis, in quorum ultimo Ars obstetricia ad sua principia redacta traditur. Sed circa istam præferendus Tractatus hispanus recentissimus, qui ita inscribitur: *Elementos del Arte de*

APHOR. 1324.

Mistura cardiaca, antacida, anodyna ad dolores à partu.

R. Lapidis cancrorum drachmas tres
Corallium rubrorum drachmas duas
Margaritarum drachmam unam
Laudani puri grana tria
Syrupi Kermes drachmas sex.
Aquæ stillatæ corticis citrei
Melissæ
Majoranæ singularum uncias tres.

Misce. Capiat unciam semis omni quarta parte horæ, donec sopiatur dolor, superbibendo uncias duas sequentis.

Decoctum cardiacum, diluens, levissime nutriens.

R. Hordei mundati
Avenæ integræ singulorum unciam unam.

Cum aqua decoctis spatio dimidiæ horæ libris tribus admisce
Vini Rhenani libram unam.
Aquæ stillatæ Cinnamomi uncias duas.
Syrupi Kermes unciam unam, et semis.

partear compuestos por Don Juan de Navas duobus tomis cum figuris Matriti anno 1795.

Febres *lactea*, et *puerperalis* in Appendice Tom. III. videndæ.

Pulvis antacidus , anodynus.

R. Olei stillati Cinnamomi guttas duas
Sacchari perlati drachmam unam.
Fiat secundum artem elæosaccharum , cui dein admisce
Margaritarum occidentalium drachmam semis
Matris Perlarum drachmam unam.
Coralii Rubri drachmam semis.
Laudani puri grana tria.
Misce. Fiat Pulvis subtilissimus dividendus in sex doses æquales.
Sumat unam omni semihora ex vini rhenani uncia semis , donec dolor mitescat ; dein detur una tantum mane , et vesperi per binos dies.

APHOR. 1336. Num. 1.

Antacida.

Vid. Aph. 66. N. 5. Aph. 76. et Aph. 1324.

APHOR. 1336. Num. 2.

Diluentia.

Vid Aphor. 54. Num. 4.

APHOR. 1336. Num. 3.

Discutientia hic bona.

R. Florum Chamæmeli, Sambuci, Meliloti
Lavendulæ singulorum uncias duas.
Croci drachmam unam.
Cum lacte dulci decoctis in cataplasma admisce
Saponis Veneti drachmas duas.
Micæ Panis albi quod suficiat.

APHOR. 1338.

R. Spiritus Florum Rorismarini quod sufficiat.
Applicetur cum linteo.

Linimentum leniens, discutiens.

R. Olei amygdalarum dulcium
Infusi Hyperici
Violarum
Rosarum singulorum unciam semis.
Misce. Fiat Linimentum.

R. Unguenti Rosarum
Populei
Nutriti singulorum unciam semis Misce.

1340 Infanti recens nato oriuntur morbi proprii 1. à strigmentis glutinosis, caseosis, lentis, quibus os., œsophagus, stomachus, intestina ei replentur. (*a*)

1341 Qua sola de causa, nauseæ, vomitus, tormina, singultus, convulsiones sæpe oriuntur, atque deinceps restant indigestiones assumptorum.

1342 Curatur facile jejunio horarum X. vel XII. assumptione pauci vini cum melle misti, iterata dosi hoc tempore abstinentiæ dati, vel lenissimo quodam simul adjecto stimulo purgante.

1243 Quin ad proluendam hanc pituitæ mucosæ saburram, sæpe prossunt egregie Epithemata moderate aromatica, et spirituosa.

1344 2. Multum patiuntur vulgo à meconio non satis cito expulso, ob debilitatem fœtus, duritiem materiæ, copiam ejus nimiam, siccitatem viæ.

1345 Hinc ab ejus mora, aere jam appulso, acrimonia, acor, putredo, in vapores resolutio, adeoque dolores tormino-

(*a*) Sectio chordæ umbilicalis, qua aliquando aliqua sanguinis portio permittenda, ut periculum suffocationis vitetur statim instituenda. Anus an clausus observandus.

si, convulsiones, nauseæ, vomitus, singultus, tusses, sternutationes, clamores, fletus, pervigilia, terrores, febres, macies, mors.

1346 Corrigitur vis expellens sopita stimulo leni purgante (*a*), leni suppositorio, Cardiaco suavissimo et leni.

1347 Durities materiæ corrigitur haustu seri lactis recentis cum pauco melle diluto, clysmate ex sero lactis saponato, vel mellito.

1348 Intestina lubricantur, assumpto oleo (*b*) Lini, Olivarum, Amygdalarum dulcium, &c. tum injectis iisdem Clysmatis specie, et linimentis similibus.

1349 Qua methodo, quibus Medicamentis felicissime superantur varia illa et pessima symptomata ab hac una radice orta (1345.)

1350 Si vero ullibi, hic antacida usum habent, et inter illa absorbentia in primis.

1351 Opiata (*c*) raro, neque sine magna circumspectione, adhibenda.

(*a*) Recensnatorum vesica fellea plerumque turget bile viridi et acriore, quæ leniter evacuanda.

(*b*) Cavenda horum *oleorum* ranciditas, et acrimonia, in quam degenerant si sola adhibentur.

(*c*) Mitissima necessitate urgente tantum adhibenda. Cavendum est ne nutrices mercenariæ, et custodes infantum, quæ clam sæpe solent hæc dare infantibus ut quieti sint, id efficiant ob stupiditatem horum futuram.

1352 Quin evitanda omnia nimis attenuantia, stimulantia (*a*), volatilia.

1353 Cuique vero singulari malo (1345.) facile remedium invenitur, cognita historia causæ, et curationis omnium morborum hucusque descriptorum.

1354 3. Multum patiuntur ab ipso lacte (*b*), dum id nimis cito, fortiterque in

(*a*) Male consulitur REGUM PUERIS neonatis (inquit van-Swietenius) dum in luminosis conclavibus exponuntur; dum in vicinia explodantur tormenta bellica . . quæ vitanda.

(*b*) Lac ipsius matris sanæ præferendum. An lac aliorum animalium humano præstantius? An lac in mores imperium habeat? Maxime dubitatur. Si mater ob morbum, debilitatem, aliamque causam infantem lactare non posset, vel nolit; eligenda nutrix sana, juvenis, pacata, cujus filius sanissimus. . Joanes Gutierrez de Godoy tres Dissertationes vulgavit, quibus nititur debitum istud suadere sub hoc titulo: *Están obligadas las Madres à criar sus hijos.* An. 1629 in 4. Jacobus Bonells Med. Doct. Gienni (*Jaen*) spartam istam uberius, et elegantius exornavit libello in 8. sub hoc titulo: *Perjuicios que acarrean al genero humano, y al Estado las Madres, que reusan criar á sus hijos.* Madrid An. 1786. Joannes Gallego de la Serna malachensis Philipi III. et IV. Archiater aliquas super re ista dubitationes obtulit non contemnendas. Op. Phisica: Medica: Ethica Tract. III. Cap. VIII. pag. 260. Caput. XI. *de conditionibus optimæ et pravæ nutricis.* pag. 266. censulendum.

Circa lactationem duplex istud dubium solet proponi. An menstruorum apparitio lactationi ob-

stomacho coagulatum, compingitur in unam massam, gravem, acremque.

1355 Hæc enim sensim acrior, acidiorque reddita, fœces alvi virides (*a*), acidum spirantes, materiem vomitu rejectam acidam, hinc tormina, flatus, dolores, et infinita alia excitat, maxime convulsiones.

1356 Quæ curantur Antacidis fixis, purgantibus permistis, Clysmatibus similibus, Carminantibus blandis, oleosis internis, externisque.

1357 Insultus porro Epileptici hinc plerumque originem ducunt, irritato genere nervoso ope acrimoniæ vellicantis.

1358 Unde et his remediis solis (*b*) curantur, si medelam capiunt.

sit? Videtur. An nutricum separatio à mariti consortio imperanda? Non videtur. Tamen ista consulenda. Inter infantum morbos *frænum linguæ* numerari potest. Prudens manus certè requiritur si tale frænum secandum fuerit; hæmorrhagia enim, et sanguinis deglutitio, vel suctio periculosa valde inter alia metuenda.

(*a*) Magnum in recensnatis hepar copiosam bilem secernit, quæ colostro caseoso per pylorum egredienti admista, illius tenacitatem solvit, et acidam acrimoniam cavet, vel emendat: bili inertiori, vel parciori reddita, acida acrimonia exurgit, flavus fœcum color mutatur in viridem. Præter remedia alia, nutricis diæta sic dirigenda ut lac ejus minus in acescentiam pronum sit.

(*b*) Disputatur an infanti quandiu ubera ducit conveniat alios etiam cibos porrigere. Van-

1359 4. Simulac hæc superarunt mala infantes, et incipiunt uti cibis crudis, fructibus horœis, carnibus, caseo, similibusque, VERMES (*a*) oriuntur.

1360 Causam dant ova (*b*) insectorum, in aere vel terra viventium, assumpta, neque vi tenelli motus destruenda.

1361 Nidum dat pituita intestinalis, vel gastrica, in qua hærent, foventur, pariunt, augenturque.

1362 Hinc raro in adultis, et in his modo torpidis, et leucophlegmaticis.

1363 Suntque rotundi, lati, ascarides. (*c*)

Swietenius post sextum mensem et quandoque citius panatellas cum jusculo pulli, vel et vitulinæ carnis paratas porrigebat bis de die; *et nihil mali observavi* (ait ipse) *licet tot regiarum Prolium curam gesserim, ad omnia ratione muneris attentissimus; et omnes ablactationem facile tulerunt.* Hippocrates jam dixerat: *qui dum lac sugunt interea cibum capiunt, facilius ablactantur* (lib. de Dentitione). Ablactationis tempus varium; sesquiannus, vel bienium genericè sufficient. Nitiditas maxime necessaria. Profuit egelida tantum aqua lavare infantes, et sensim assuefacere ut frigidam lavationem ferant: multum enim sic roboratur tenellum corpus, et postea à tempestatum mutationibus non facile afficitur.

(*a*) Animalcula ista quandoque in recensnatis jam adsunt antequam carnes . . comedant.

(*b*) Historiæ naturalis Auctores circa rem istam videndi. Generatio ex ovo fortasse probabilior.

(*c*) Tres hæ vermium species communiter oc-

1364 Efficiunt irritatione nauseas, vomitus, alvi fluores, animi deliquia, pulsus exiles, deficientes, intermittentes, pruritus narium (*a*), insultus Epilepticos.

1365 Efficiunt consumptione chyli esuriem, pallorem, debilitatem, alvum adstrictam (*b*), inde tumorem abdominis, ructus, borborygmos.

1366 Efficiunt sæpe perforationem ipsorum intestinorum.

1367 Unde et toties letales reperti sunt.

1368 Cognoscuntur ab ætate, victu,

currunt in ventriculo et intestinis humanis; circa alias species videatur Historia medica. Vermes *rotundi* vocantur et *teretes*, lumbricis terrestribus satis similes. *Lati* vocantur et *Teniæ* à figura plana et longitudine totius vermis, quæ sæpe immensa est. Dicitur et *vermis solitarius* licet observatione constet quandoque plures simul in hominibus nidulari. Hæc certe ex vermibus cucurbitinis non componitur. *Ascarides* tenues sunt lumbrici in parte præcipue inferiori crassi intestini procreati.

(*a*) Hoc symptoma communissimum, etiam vulgo notissimum per continuationem membranæ pituitariæ intestina, ventriculum et nares internas investientis utcumque explicari poterit. Præter hic dicta, catalepsis aliquando à vermibus producta fuit. Molesta tussis aliquando etiam à vermibus excitatur.

(*b*) Vermes initio alvum irritant; adulto morbo, et vermium copia aucta, omne fluidius ex contentis intestinorum consumunt, crassum manet, quod non propellitur expeditè anum versus.

temperie, effectibus (*a*), (1364. 1365. 1366.)

1369 Curatio fit. 1. nidum destruendo (1361.) per alcalia fixa, gummata phlegmagoga, mercurialia, antimoniata, aromatica amara.

1370 Tum externe inungendo abdomen balsamicis ex aromaticis fortissimis, permistis purgantibus, oleosisque.

1371 2. Vermes necando, quod fit ope Medicamentorum mellitorum (*b*), salino-

(*a*) Vermium copia quandoque una cum morbis epidemicis observatur. Masticatio puerorum singultus, terrores, dentium stridores in somnis, nasus albus ceræ instar, subitæ mutationes coloris in facie, pupilla dilatata, fœces cineritiæ.. vermes denunciant. Horum signorum collectio raro fallit; casus enim contrarius rarissimus.

(*b*) Hæc ad solvendam pituitam, et attenuandam prodesse poterunt. Mel fortè obstruere potest vermium tracheas, per quas respirant. Tamen alia remedia præferenda, præsertim mercurialia, quæ vel purgando, vel per ingratum et penetrabilem saporem, ut innuit Fourcroyus (Elemens de Chymie tom. III. pag. 72.) vermibus nocendo valent. Inter vegetabilia Semen *Santonici*, plantula marina *Corallina* dicta, et *Filix mas* à Galeno jam laudata eminent. Arcana, seu potius arcanorum venditores ad revellationem oblato præmio cogendi, vel damnandi. Ingenuum decet, ut Generis humani utilitatem lucro magis æstimet: sed auri sacra fames sæpe aliud suadet. Cortex peruvianus, Scordium, Absinthium, Aloes, Colocynthis.. etiam prosunt. Vitriolata ex Calybe, seu potius Ferrum in acido

rum, indigestibilium vermibus, amarorum aromaticorum, Mercurialium, acidorum, Vitriolatorum ex chalybe, vel cupro.

1372 3. Expellendo Lumbricos vivos enectosve ope purgantium (*a*) amarorum, phlegmagogorum, Mercurialiumque.

1373 Quin Clysmata, Suppositoria, Unguenta externa ad eadem prosunt quam maxime.

1374 Quando DENTES (*b*) incipiunt prodire, maxime acuti, à tensione, punctura, laceratione gingivarum nervosarum, sanguinolentarumque, oritur inflammatio, tumor, gangræna, convulsio, alvi fluor viridis, salivatio, febris, mors.

vegetabili solutum innocua sunt, et efficacia. Vitriolata ex Cupro cautissimè propinanda.

(*a*) Gratiola, Spigelia, Jalapa.. commendantur, sed omnibus præstat Gummi Gutta, cui adversus Teniam virtus fere directa, seu specifica tribuitur. Vid. Murray Apparat. Medicam. Tom. IV. pag. 78. Videatur etiam Cullenius hispanus Mat. med. Tom. IV. pag. 365.

(*b*) De Dentitione integrum librum Hippocrates scripsit, qui serio consulendus. Alvi fluor viridis suspectus est ob acidum in primis viis existentem. Etiam color iste, præsertim si subito accidat, sensorium commune, et totum nervorum systema turbari indicat. Cæterum alvus laxior dentientibus infantibus prodest potius. *Quibus in dentitione alvus multoties subducitur, illi minus convelluntur, quam quibus ita paucies.* (Hip. libr. citato.)

1375 Quæ cuncta facile ex eadem causa oriri demonstrantur.

1376 Quin sublata irritatione (*a*) nervorum (1374.) sponte cessant.

1377 Quod fit. 1. gingivas emolliendo, refrigerando, leniendo, mollibus, glutinosis, antiphlogisticis. (*b*) 2. sæpe atterendo ad corpora dura, glabra. 3. dissecando ope lanceolæ.

1378 Convulsiones hinc oriundas minuta Spiritus cornu cervi dosis feliciter tollit. (*c*)

(*a*) Aliquando gingivæ ita inflammantur ut venæsectio necessaria sit, sed quæ fit per unam alteramve hirudinem infra utramque aurem præferenda. Gingivarum *attritus* nutricis digito melle tincto, frustulo radicis liquiritiæ, vel alio simili procurandus. Metallica corpora quamvis polita repudiantur. Gingivarum *dissectio* tum tantum opportuna est, cum membrana alveolum tegens à dente emergente elevatur, tenditur, rubet, dolet intense, valida febris adest, et convulsiones metuuntur. Sectio tamen ista rarò necessaria.

(*b*) Sydenhamus observavit remedium istud profuisse insigniter ad curandam febrim, quæ dentitionem difficilem commitatur (in Sched. monit. de novæ febris ingressu.) Vid. Opusculum Josephi Jacobi Plenck *Doctrina de Morbis dentium et gingivarum.* Lovanii. Ann. 1796.

(*c*) Inter convulsiones frequentiores infantum numerandus TRISMUS seu *musculorum mandibulæ inferioris constrictio.* (Aph. 1088. N. *a.*) Super ista videndæ duæ Dissertationes à DD. Piguillem, et Ballester in Actis Academiæ Reg. Med. pract.

Barcinonensis Tom. I. pag. 483. 519. De Puerorum Morbis consulendi inter alios Nils Rossen, Underwood, Armstrong . . qui utinam è Suecia, et Anglia in Latium transivissent. Morbus iste facillime dignoscitur. Maxime periculosus est. Remedia potiora et validiora sunt in initio ipso pediluvia, frictiones, sinapismi, suris vesicatoria. In progressu frictiones in dorso oleo Cicutæ, Camæmeli, et vesicatorium nuchæ. Cum per os nihil admitatur, alimenta per clysteres immittenda et etiam remedia, quæ Opium et Camphoram, et alternatim stimulantia admitant. Venæ-sectio, vel Sanguisugæ etiam proderunt.

Alius morbus infantilis prolixe describitur in Actis Acad. Reg. Med. Paris. Tom. IX. à pag. 47. ad 328. præeunte D. Medico Barcinonensi Francisco Samponts, qui primum Præmium reportavit. Hic Auctor *Sodam miliarem infantum* nominavit. Alii Concertatores *Morbum aphtosum*: *Infantum Aphtas*, incusaverunt. Doctrinam istam Medici qui in Orphanotropiis artem suam exercent exacte callere debent, utpote morbus in istis communissimus truculentus et contagiosus.

Maxima cura tractandi INFANTES. Ex Tabulis necrologicis exactissimè instructis major horum pars fatis cedit, quod summam in Medicis sedulitatem expostulat. Plurima circa illorum ægritudines extant Scripta celeberrima novissima, atque vetera, quæ lustrare, imo introspicere necessum est. Mitto illa, quæ de ipsorum educatione physica atque morali agunt, quæ innumera. Unice lubet memoriam facere Tractatus Medici hispani Joan. Gallego de la Serna, qui inscribitur: *Ethica Puerorum*, in quo ex affinitate demonstrata Philosophiæ Moralis, et Physiologiæ, plurima pro pueris in utroque regendis educit iste Jatro-Ethicus documenta, quæ Medici ex eodem (Cap. I. pag. 6.) constituere deberent.

APHOR. 1342.

Mistura glutinosa dissolvens.

R. Mellis, Vini Gallici,
Hydromellis, singulorum unciam semis.
Misce. Pro una dosi.

Similis leniter purgans.

R. Syrupi Cichorei cum rheo drachmas tres.
Saponis veneti unciam semis,
Aquæ stillatæ Mellissæ unciam semis.
Misce. Pro una dosi.

APHOR. 1343.

Tinctura aromatica, spirituosa pro epithemate.

R. Cinnamomi, Maceris, Nucis myristicæ, Mastiche, Olibani, singulorum drachmas duas.
Spiritus vini theriacalis uncias quatuor.

Epithema aromaticum, promovens saburræ intestinalis excretionem in infante recens nato.

R. Vitelli ovi numero unum.
Tincturæ præscriptæ unciam semis.
Aquæ stillatæ rosarum drachmas duas.
Excepta pauxillo micæ panis stomacho applicentur.

R. Flavedinis corticis citrei rasi unciam semis.
Nucis myristicæ drachmas duas.
Vini Hispanici drachmas tres.
Misce. Conterendo simul in mortario,
Et mica panis excepta applica ut prius.

APHOR. 1346.

Syrupus leniter purgans, expellendo meconio idoneus.

R. Cassiæ recenter extractæ drachmam semis.
Rhei grana tria, Syrupi Cichorei cum Rheo drachmas duas.
Misce. Pro una Dosi.

Mistura in eundem finem.

R. Mannæ calabrinæ drachmas duas.
Syrupi Rosarum solutivarum dracmam unam.
Aquæ stillatæ florum Sambuci drachmas quatuor. Misce. Pro una dosi.
R. Mellis albi drachmas tres.
Syrupi Rosarum Solutivarum cum Senna drachmam unam.
Aquæ stillatæ cichorei drachmas quatuor. Misce. Pro una dosi.
R. Rhei electi grana sex.
Agarici electi grana duo.
Syrupi violarum drachmas duas.
Exacte contritis admisceto

Aquæ stillatæ Melissæ drachmas duas.
Pro una dosi.

R. Saponis veneti parum in globulum vel conum formati

R. Globulum exiguum vel conulum factum ex saccharo coniformi.

R. Mel ad duritiem coctum, et in suppositorium exiguum formatum.

R. Sebi candelarum parum; forma in speciem debitam.

Cardiaca hic bona, haustus meconium propellentes, cardiaci.

R. Mellis drachmam unam.
Vini hispanici drachmas duas
Vitelli ovi drachmas duas.
Misce. Fiat haustus.

R. Aquæ stillatæ cinnamomi drachmas duas.
Elixir proprietatis cum sale tartari præparati guttas sex.
Syrupi kermes drachmam unam.
Misce. Fiat haustus.

APHOR. 1347.

Haustus meconii duritiem emolliens.

R. Seri Lactis recentis drachmas sex.
Mellis drachmam unam.
Misce. Fiat haustus.

Clysma in eundem usum.

R. Seri Lactis recentis uncias duas.

Saponis veneti drachmam unam, et semis.
Mellis drachmas duas.
Misce. Fiat clysma.

APHOR. 1348.

Linctus oleosi ad intestina, duro meconio repleta, lubricanda.

R. Olei Lini drachmam unam.
Syrupi Althææ drachmas duas.
Misce. Pro una dosi.

R. Olei olivarum,
Syrupi Capillorum veneris singulorum drachmas duas. Misce. Pro una dosi.

R. Olei amygdalarum dulcium recentium drachmas tres.
Syrupi Glycyrrhizæ drachmas duas.
Pro una dosi.

Clysma in eundem usum.

R. Olei Lini unciam semis.
Vitelli ovi drachmas duas.
Mellis Mercurialis unciam semis.
Seri Lactis recentis unciam unam.
Misce. Fiat Clysma, applicandum semel quotidie, donec lubricitas appareat.

Linimentum in eundem finem.

R. Unguenti Altheæ compositi unciam unam.
Olei Lini unciam semis.
Misce. Fiat Linimentum, quo Abdomen inungatur mane, et vesperi.

APHOR. 1350.

Pulvis antacidus, absorbens.

R. Lapidis Cancrorum, Osteocolæ, Cretæ,
Mandibulæ Lucii piscis,
Ostracodermatis ostreorum, singulorum
drachmas duas. Misce. Fiat Pulvis.
Dosis grana septem bis, vel ter de die.

Mistura antacida.

R. Aquæ stillatitiæ Florum Rhæados.
Feniculi singularum uncias duas
Lapidis cancrorum drachmas duas
Saponis veneti grana septem.
Syrupi Altheæ unciam semis.
Misce. Bibat drachmas duas omni hora, si
non dormit.

APHOR. 1356.

Mistura antacida lac coagulatum resolvens, alvum leniter stimulans.

R. Saponis Veneti drachmas duas
Vitelli ovorum drachmas quatuor.
Lapidis cancrorum drachmas tres.
Rhei drachmam semis.
Bene terendo misce cum
Aquæ stillatæ menthæ unciis quatuor,
Syrupi Altheæ uncia una et semis.
Capiat unciam semis omni hora, donec sedentur symptomata.

Clysmatum formulæ, ad lac in intestinis coagulatum dissolvendum.

R. Saponis veneti drachmam semis.
Salis Gemmæ grana tria.
Mellis Anthosati unciam semis.
Aquæ Stillatitiæ Feniculi unciam unam, et semis. Misce. Fiat Clysma.

R. Fellis Bubuli drachmam semis.
Mellis Mercurialis unciam semis.
Aquæ stillatitiæ Menthæ unciam unam et semis. Misce. Fiat Clysma.

Oleosa interna.

Vid. APHOR. 1348.

Oleosa externa hic.

Unguentum Martiatum
Nervinum.
Olea infusa Absinthi
Anethi
Chamæmeli
Rutæ.
Olea pressa Lauri
Macis
Nucis Myristicæ
Palmæ.

APHOR. 1369.

Mistura attenuans, nidum vermium destruens.

R. Gummi opopanacis drachmam unam.
Vitelli ovorum drachmas duas.
Misce secundum artem dein adde
Saponis Veneti drachmam unam.

Syrupi Artemissæ uncias tres
Aquæ stillatæ fœniculi uncias tres.
Capiat drachmam unam omni quadrihorio, uno vel altero die, cum regimine.

Pulvis purgans, mercurialis, anthelminticus.

R. Mercurii nigri
Agarici trochiscati singulorum drachmam unam.
Sacchari puri drachmam unam et semis.
Misce. Fiat Pulvis dividendus in decem partes.
Capiat unam mane, et vesperi, vacuo stomacho.

Mistura attenuans anthelmintica.

R. Salis cardui benedicti drachmas duas
Syrupi quinque radicum aperientium unciam unam.
Aquæ stillatæ fumariæ uncias quatuor.
Misce. Capiat drachmas tres omni trihorio.

Electuarium simile.

R. Seminis Absinthi vulgaris,
Santonici, Tanaceti, singulorum drachmas duas.
Mellis uncias duas.
Misce. Capiat drachmas duas omni mane.

APHOR. 1370.

Linimentum nidum vermium destruens et simul purgans.

R. Unguenti Agrippæ,
Arthanitæ singulorum unciam unam.
Misce. Fiat Linimentum, cujus pauxillo inungatur subinde locus umbilici.

Unguentum purgans anthelminticum.

R. Fellis Taurini, Aloes puri singulorum drachmam unam.
Unguenti Altheæ unciam unam.
Misce. In similes usus.

Simile valde aromaticum, sed sine purgantibus.

R. Olei Tanaceti,
Castorei singulorum unciam semis.
Unguenti nervini unciam unam.
Misce in eundem effectum.
In quibus observandum, an nimis turbet alvum, id quippe accidit sæpe, ne in Dysenteriam prolabatur Infans; ex usu nimio cavendum tunc erit.

APHOR. 1371.

Mistura vermes necans.

R. Mellis uncias duas
Salis Gemmæ drachmam semis.

Aquæ stillatæ cichorei uncias quatuor.
Misce. Fiat Potus, cujus unciam semis bibat omni hora diei.

Pulveres similes.

R. Cornu cervi usti, scrupulum unum.
Capiat quater de die, quo tempore vacuus est stomachus, ex
Syrupi Rosarum Pallidarum drachmis duabus.
R. Corallinæ marinæ drachmas duas.
Limaturæ Martis drachmam semis.
Misce. Fiat Pulvis dividendus in doses sexdecim. In usum eundem.
R. Seminis Santonici, Rutæ, Tanaceti, Absinthii, singulorum drachmam unam. Sacchari drachmas tres.
Misce. Fiat Pulvis dividendus in doses sexdecim. In usus eosdem.

Vinum Medicatum anthelminticum.

R. Hydromellis recentis libram unam
Seminis Santonici
Tanaceti singulorum unciam unam.
Fiat secundum Artem vinum Medicatum, cui dein puro admisceto
Mellis albi uncias duas.
Capiat unciam unam mane vacuo stomacho.

Pulveres mercuriales, anthelmintici.

R. Mercurii nigri grana octo.

Vitrioli Martis parum calcinati grana duo.

Misce. Fiat Pulvis dividendus in duas doses.

Capiat unam mane, alteram vesperi inani stomacho.

R. Mercurii dulcis grana septem.
Diagridii grana quinque.

Misce. Fiat Pulvis. Mane hariendus ex Hydromelle.

Similis sed sine mercurialibus.

R. Tartari vitriolati grana quatuor.
Vitrioli Martis grana tria.

Misce. Fiat Pulvis tenuissimus dividendus in doses tres.

Capiat unam mane, circa meridiem, alteram vesperi, vacuo stomacho.

R. Vitrioli communis grana duo.
Syrupi violarum drachmas quatuor.

Misce. Pro una dosi, mane jejuno stomacho, assumenda.

APHOR. 1372.

Pulveres Mercuriales ad vermes necandos, et per alvum expellendos.

R. Diagrydii grana quatuor.
Mercurii dulcis grana sex.

Misce. Fiat Pulvis tenuis pro una dosi.

R. Radicis Jalappæ,
Mercurii nigri singulorum grana duodecim. Misce. Fiat Pulvis ut prius.

R. Agarici grana octo.
Mercuri nigri grana duodecim.
Misce. Fiat Pulvis. Ut prius.

Pulvis purgans anthelminticus.

R. Aloes grana tria.
Resinæ Jalappæ granum unum.
Vitrioli Martis grana duo.
Misce. Fiat Pulvis. Ut prius.

APHOR. 1373.

Clysmatum anthelminticorum formulæ.

R. Olei Lini uncias tres.
Fiat Clysma.
R. Mellis uncias duas.
Aquæ stillatæ cichorei uncias duas.
Fiat Clyster.
R. Decocti Tanaceti uncias tres.
Aloes grana sex.
Misce. Fiat Enema.
R. Vitrioli Martis grana quindecim.
Aquæ stillatæ cichorei uncias quatuor.
Misce. Fiat Lavamentum dictum.

Suppositorium simile.

R. Mellis cocti ad spissitudinem debitam uncias quatuor.
Aloes unciam semis.
Vitrioli Martis drachmas duas.
Misce secundum Artem. Fiant parva sup-

positoria, applicanda post alvum exoneratam.

Unguenta externa.

Vid. Aph. 1370.

Misturæ refrigerantes antiphlogisticæ.

APHOR. 1377.

R. Nitri grana viginti.
Spiritus salis guttas quinque.
Syrupi violarum unciam unam.
Aquæ stillatæ florum sambuci uncias tres.
Misce. His foveantur Gingivæ.

R. Cremoris Lactis recentis,
Vitelli ovorum singulorum unciam unam.
Syrupi Violarum drachmas sex.
Aquæ Stillatæ Rosarum uncias tres.
Misce. In eosdem Usus.

R. Florum recentium rosarum
Sambuci singulorum pugilum semis.
Includantur linteo, appenso, ut in fundo maneant, plumbo, tum immittantur vitro longo cylindrico; affundatur Lac recens; ponantur in digestione: cremor supernatans adhibeatur inflammatas ad Gingivas.

APHOR. 1378.

R. Spiritus cornu cervi guttas tres.
Bibat ex syrupi kermes drachmis tribus ter de die.

VARIOLÆ. (a)

1379 Quia infantibus frequens, huc refertur morbus qui vocatur VARIOLARUM. Cujus quidem adeo accurata SIDENHAMI descriptio, ut decies legi merenti pauca modo addenda habeam, unde pateat et has ad eandem simplicitatem, ut præcedentes morbos reduci posse, et aliquid in ordine medendi desiderari hactenus.

1380 Est ut plurimum Epidemicus,

(a) Sauvagesius Class. III. Ord. I. Gener. 2. *Variola.* Character: »Phlegmasia exanthematica, »sæpius epidemica, cujus eruptio in pustulis »phlegmonoideis ad suppurationem tendentibus, »pisi magnitudinem demum æquantibus consis»tit." Species: lymphatica, seu chrystalina, benigna, complicata, anomala seu maligna, dysenteriodes, vesicularis, verrucosa.

Cullenius Class. I. Ord. III. Gen. 26. *Variola.* Character: »Synocha contagiosa cum vomitu, et »ex epigastrio presso, dolore.. Eruptione papu»larum phlegmonodearum, quæ.. in suppura»tionem et in crustas abeunt." Species: *discreta* benigna.. anomala, dysenteriodes.. *confluens* regularis.. maligna, nigra, sanguinea.

Varicella, seu variola lymphatica, quam pro specie variolæ Sauvagesius possuit, Genus aliud XXVII juxta Cullenium constituit: *Synocha.* Character: »Papulæ post brevem febriculam erum»pentes, in pustulas variolæ similes, sed vix in »suppurationem euntes; post paucos dies in squa»mulas, nulla cicatrice relicta desinentes."

verno tempore primo incipiens, æstate crescens, languens autumno, hyeme sequenti fere cedens, vere iterum eodem ordine rediturus. Quo citius in hyeme incipit, eo violentior, quo serius, eo mitior erit mali natura. Hinc liquet, quo anni tempore periculosior.

1381 Occupat omnem ætatem (*a*), sexumque, maxime autem pueros, eosque, qui hactenus hunc morbum nondum passi sunt: quo ætas humida plus dissipavit, solida magis coegit, eo violentior morbus: Hinc pueris, mulieribus, mollibus, laxis facilior: exercitatis, viris, senibus, pejor.

1382 Malum hoc, licet Epidemicum, contagio (*b*) suscipitur communicato ab homine, qui prius laboravit, quod primo vide-

(*a*) Historia medica docet fœtum ipsum in utero latentem hunc morbum passum fuisse, et senes decrepitos variolosos. Rarissime, sed aliquando repetit, et ego ipse vidi in Comitissa *de Torrubia*, quæ dum lactaretur variolas confluentes pessimas toleravit, et quinquenis easdem iterum passa fuit me autopta; et sincere fateor triginta sex annorum spatio, et in numerosa quidem praxi nullum alium casum similem vidisse.

(*b*) Nequidem post mortem cessat hujus contagii virus; constat enim cadaver hominis hoc morbo extincti nocuisse. Puella litteras à fratre hoc morbo decumbente scriptas secum gestat, et eodem morbo afligitur. Per lanceolam seu phlebotomum possunt etiam communicari.

tur Aeri inhærens, pulmonibus, ori, naribus, œsophago, stomacho, intestinis, dari. Adeoque hoc tempore admodum parum materiei venenatæ habere.

1383 Hæc contagiosa materies (1382.) humoribus mista statim producit effectus quosdam ordine se mutuo excipientes, qui sunt horripulatio, rigor, febris acuta, calor ingens, perpetuus, oculorum splendor, à liquore tenui et calido illapso, Capitis, dorsi (*a*), artuum, dolor magnus, maxime circa partes cordis scrobiculo subjectas, vomitus, nausea, inquietudo magna, stupor, somnolentia, atque in infantibus insultus Epileptici.

1384 Initio hujus status (1383.) cruor venis missus pulcher saluberrimoque simillimus; secundo, tertio, quartove die, jam instar pleuritici, et inflammati (*b*) cernitur (384.), eo plus, quo plus duravit, et vehementius fuit malum.

(*a*) Dolor magnus in regione lumborum non tantum variolas, sed eas mali moris futuras prænunciat. Insultus epileptici in initio ipso pravi: paulo ante variolarum eruptionem minus pravi, et aliquando boni indicii: si in decursu repetunt ominosi sunt.

(*b*) Spissitudo inflammatoria non tam à contagio, quam à febre acuta à stimulo contagioso excitata nascitur. Variolosum virus potius fundere, quam inspissare videtur. Variolarum divisio in benignas et malignas præferenda est divisioni alteri communi in discretas et confluentes.

1385 Durat hic status, pro varietate epidemica, vehementia morbi, temperie ægri, vario tempore; quo diuturnior ex sua natura, eo mitior futurus totus morbus, et contra.

1386 Unde videtur morbus in hoc statu (1380. ad 1386.) esse velocitas liquidorum aucta à stimulo inflammatorio (*a*) omni cruori admisto.

1387 Morbus ergo ille (1386.), affinis omni acuto inflammatorio, difficulter in hoc statu ab eo distinguitur; scientia Epidemici regnantis (1380.) ægri in hunc morbum proni (1381:) contagii prægressi (1382.), et inde secutorum symptomatum (1383.), docet quod adsit, et quod secuturæ sint papulæ ipsæ in altero, mox describendo decursu.

1388 Cognito (1387.) hoc morbi statu (1380. ad 1387.) indicatio videtur oriri hæc primo: ut stimulo inflammatorio ablato (1386.) sanetur status præsens, et impediatur ulterior ejus progressus, et proinde caveatur futura suppuratio, gangræna, &c.

1389 Stimulus videtur auferri posse correctione per specifica ita dicta, vel methodo universali antiphlogistica.

(*b*) Inflammatio ista à cæteris valde diversa est. Causa ejus, nempe stimulus contagiosus aliquando non febrem acutam calidam excitat, sed vires vitales illico prosternit: et licet *specifica* sit potest dici *affinis omni acuto inflammatorio.*

1390 Correctio specifica niti debet invento remedio opposito illi veneno contagioso, quod tam parva mole susceptum reliqua parit, ut effecta (1382. 1383.)

1391 Quale (1390.) inveniri posse, comparatio historiæ antidotorum, et indoles hujus mali faciunt sperare, et ad indagandum impellit summa hinc futura humano generi utilitas.

1392 In Stibio, et Mercurio (*a*), ad magnam penetrabilitatem arte deductis: nec tamen salina acrimonia nimium corrosivis, sed bene unitis, ut quæramus, incitat aliquis horum aliquando successus.

1393 Methodus universalis videtur hic adhiberi posse, et experimentis perfici debere illa, quæ deprehensa est in omni inflammatorio valere, ne inflammatio in pus, gangrænamve abeat: quum in aliis omnibus succedat, hic nihil repugnet, morbus variolosus sæpe sine variolis sit.

1394 Consistet illa (1393.) in his; 1. mittatur cruor, ut (854. N. 1. 890. N. 1.

(*a*) „In Stibio et Mercurio varia ratione præ„paratis; in blanda et iterata purgatione; emesi; „phlebotomia; cortice peruviano; aqua picis; aci„dis mineralibus dulcificatis; gummi-ferulaceis; „verius forte in moscho et camphora *temporariam* „à variolis immunitatem ut quæramus invitat ali„quis horum aliquando succesus. Quorum qui„dem efectus *prophylacticus* magni esset in epide„mia variolarum malignarum." Hæc Stollius.

&c.) 2. Clysmatibus, fotibusque (*a*), laxetur tota cutis, os, œsophagus, intestina, sæpe. 3. potetur multum aquæ tenuissime farinosæ, acidulæ, nitrosæ, hauriatur nitrum stibii, vel polychrestus sal, et hydrogala tenue. 4. sit victus tenuis, aer in pulmonem ducendus frigidiusculus, corpus bene tectum, et perspirabile.

(*a*) Balnea aquæ dulcis utilissima. Saltim inferiores corporis partes perpetuo fovendæ, et laxandæ ubi hujus morbi suspicio adest, sive balneo, sive pannis laneis madidis. Clysmata, et leniora laxantia ut Tamarindi, cremor tartari, tartarus solubilis . . in alvò constipata prosunt.

4. *Victus tenuis* sit, juscula carnium vitanda. Juscula avenacea, hordeacea, poma cocta, cerasa, pruna, concedenda. *Aer* in pulmones ducendus frigidiusculus; corpus (in primis partes inferiores) bene tectum, et perspirabile. Optimum sane, atque præstantissimum documentum! Præter alios casus à van-Swietenio numeratos plurium, qui jam papulis eruptis domum suam ad consilium petendum accedebant sine damno, ipse hujus rei ab ipso testis adfertur: decimo enim sexto ætatis anno post transactam triduanam febrim satis validam, melius se habens medio mense Decembri, et quidem nive satis copiosa cadente exivi *ait* amicum invissurus, in cujus domo numerosæ satis papulæ in facie, collo, manubus apparuere. Domum redux morbum facile tuli licet numerosas admodum variolas haberem, sed discretas, et absque ullo periculoso symptomate emersi feliciter. Plures similes casus novi. Hæc van-Swieten, qui inde concludit: credo hæc specimina sufficient ad probandum aeris frigus

1395 Quamvis enim in hoc morbo raro cogitetur de hac indicatione (1388.) et de hac methodo in primis (1393. 1394.) casus tamen, ignaro (*a*) morbi Medico, sæpe dedit successus probantes talem artem. (*b*)

non tantum nocere, ac quidem creditur. Hinc numquam dubitavi ad alium locum transferri, sed tecto bene corpore hoc morbo correptos, si ob contagii metum illos tolerare nolent in domo, in qua laborare inceperant, et sancte testari possum (addit) me numquam aliquid damni inde observasse.

(*a*) In variolis sporadicis aliquando morbus iste tamquam febris acuta inflammatoria appareret, qua, methodo exacte antiphlogistica, tractata, variolæ simplicissimæ postea emergunt. Cuilibet in praxi mediocriter versato aliquis casus similis contigit. Medici numerosa praxi obruti (qui plurimos vident ægros; morbos vero paucos intelligunt) ista minus advertunt. Lumborum dolor in hujusmodi febribus de variolis futuris suspicionem saltim producere valebit, qui dolor quomodocumque sit methodum talem antiphlogisticam exactam exigit.

(*b*) Boerhaavius agit præcipuè de variolis ab inflammatorio stimulo productis, et licet mentio hic non fiat de alia variolarum specie, nempe *maligna* vires vitales deprimente, sanguinem solvente, unde letales sæpe hæmorrhagiæ, maculæ purpureæ, anxietates, animi deliquia .. observantur: hanc tamen speciem agnovit, quam alexipharmacis languentes vires excitantibus opugnandam censebat; van-Swietenio ejus per plures annos auditore testante, qui ab eo didicit saturatissimam croci tincturam ad id maxime va-

1396 Morbus hic ubi statum primum (*a*), quem Contagii voco, absolvit, secundum ingreditur, qui sic se habet: punctis parvis rubris instar morsus pulicaris cutis capitis primo et faciei, mox manuum et brachiorum, dein trunci, et inferiorum, inficitur, mox mitescunt symptomata (1383.) augentur omni hora quoad magnitudinem, et numerum pustulæ valde rubescentes, assiduo magis, magisque elevantur, inflammantur, cutis tenditur, dolor, calor, impedita circulatio, impedita perspiratio, hinc humorum major ad interiora repulsus, febris, anxietas, dyspnœa, dolor fau-

lere. In epistolis Boerhaavii ad Basandum Lotharingiæ Ducis Archiatrum hic à van-Swietenio transcriptis apparet, quam diversa methodo usum fuisse in vario variolarum genere doctissimum, atque celeberrimum Boerhaavium.

(*a*) Morbus iste in tria stadia dividendus; primus contagii: secundus inflammationis: tertius suppurationis, et ruptionis. In secundo, de quo nunc: *mictus cruentus*, *hæmoptoe* solent observari funesto omine. Narium hæmorrhagia plerumque salutaris. Menstruus fluxus si tempore indebito tunc appareat periculosus: si debito, periculosus minus, non tamen bonus: tamen Richardus Mead asserit fluxum utrumque *levamen magis*, *quam periculum adferre* (De variolis). Utinam! Præsente plethora vera hæmorragiæ istæ utiles sunt; in apparenti à sanguinis solutione, et rarefactione perniciosæ, corticem peruvianum, Acidum vitriolicum, Alumen . . exigentes.

cium, angina, diarrhœa, dysenteria, mictus cruoris, hæmoptoe, cutis inter pustulas liberæ inflammatio rubra, dolens, calens, quæ ubi duraverunt spatio 4. 5. vel 6. dierum, jam absolute supputatæ sunt, et in totidem parva apostemata conversæ. Hinc inflammationis decursum voco, usque in Abscessum, durat pro varietate Epidemici, temperiei, magnitudinis, regiminis, vario tempore, plerumque quatuor, aut quinque diebus, ita, ut octavo ab inchoamento die suppuratio adsit; cruor tum valde inflammatus.

1397 Si morbus contagii ingens (1383. ad 1386.), pustulæ multæ, sibi mutuo proximæ, ac quasi implicitæ, inflammationis omnia signa magna, temperies salina oleosa, vigor ætatis, vita prægressa lautissima, remedia et regimen velocitatem multum augentia, æstas fervidissima, fuerint, tum ad finem inflammationis vesiculæ lympha rubella distentæ adsunt, gangrænosæ (*a*) indolis indices (427. N. 5.),

(*a*) Status iste pessimus si per curam antiphlogisticam vel alitèr non præcavetur, fatalis est. Regimen velocitatem augens ista producit. Angliæ Regina theriaca Andromachi abusa in variolas incidit, de quibus an Erysipelas, an Rosa, an Morbilli forent dubitabatur. *D. Harris* judicabat variolas, et morbillos simul esse, quod ad excusandam Medicorum cespitationem in diagnosi morbi usum habere potuit. Infandum! Octava die periit.

hinc cutis circulationi, et exhalationi inepta, inde humorum in interiora repulsus, inde salivatio ingens, tumor magnus manuum, pedumque.

1398 Ex his diagnosis et prognosis secundi status cognoscitur, ratioque morbi, et omnium symptomatum in eo capitur, his fere regulis circumscripta.

Quo mitior status contagii, eo lenior status inflammationis.

Quo lentius erumpunt pustulæ, quoque proin diuturnior status contagii, eo morbus levior.

Quo pauciores, magis separatæ, majores, plus à facie remotæ, candidiores, et dein flavæ magis pustulæ, quoque tardius procedunt, eo meliores.

Quo plures, magis intricatæ, minores singulæ, magis in facie hærentes, fuscæ, nigræve, citiusque incedunt, eo pejores.

Quo materies pustularum pus magis blandum et perfectum refert, eo melius.

Quo materies pustularum ichorem gangrænosum plus refert, eo pejus.

Quo spatium inter pustulas magis rubet, calet, tenditur, tumet, circa tempus abscessus, eo melior spes, ob circulationem hic remanentem.

Quo idem plus pallet, vel fuscum evadit, eo pejus; angina sequitur letalis, aut peripneumonia; nisi salivatio liquida, vel ingens tumor manuum, pedumve accesse-

rit; ratio est, liquorum hic impedita, hinc ad interiora aucta, circulatio.

Si in locis inter pustulas liberis maculæ purpureæ, letalis gangræna designatur.

1399 Indicatio hoc in statu (1396.) est varia pro vario gradu durantis morbi: nam in primo initio apparentis inflammationis externæ, videtur requiri cautela, ne vergat in suppurationem: de qua jam actum (1393. 1394.): aut, si id spernitur, curandum ut minima fiat, procul à capite, et tarda: quod fit 1. victu tenuissimo, putredini resistente: 2. potu, diluente, blando, subacidulo. 3. medicamento antipyico, aperiente, diluente, assiduo magna copia ingesto. 4. balneo pedum bis de die repetito, horum fotu tepido continuo, epispasticis (*a*) applicatis ad cava pedum et po-

(*a*) Remedia ista optima sunt, et ab initio ipso status contagii, absque ullo metu, maxima alias confidentia in omnibus variolis, et omnibus variolosis applicanda. (Vid. Aph. 396. et 402. N. 3.) Mirandum sanè, Medicos posteriores, neque Cullenium ejusque adnotatores mentionem debitam fecisse *Novæ variolis medendi Methodi* à Joanne Frederico Clossio, propositæ qui pro dignitate primus absdubio spartam istam exornavit, et generalem reddidit, licet aliqui ante ipsum de his vel simplicem, vel tantum particularem mentionem fecerint. Inter hos Boehmerus eminet in Dissertatione: *De Malignitate variolarum naturalium tempestivo vesicatoriorum usu evertenda.* Clossius ad omnes variolarum species ab ipso initio, venæsec-

plitum. 5. regimine frigidiusculo, maxime admissu puri et frigidi aëris, interim corpore inferiore contra frigus munito. Hæc autem statim et ab initio sic applicanda sunt. 6. si nimio impetu fuerit morbus, opiata vespertina quinta conducunt, reliquis simul, ut præscriptum est, actis.

1400 Post toleratum decursum hunc (1396.) sequitur status tertius suppurationis, quo incepta illa crescit et perficitur: in eo pustulæ jam purulentæ quoti-

tione aliquando præcedente, ista proponit, quod re vera novum est. Utinam Libellus iste Clossii typis nostris tunderetur. Interea apponere utile duxi commoda ex vesicatoriis redundantia ab eodem experta, atque proposita, quæ explicare atque illustrare singulatim in opusculo nititur, et quæ ita sunt.

I. Febrem variolarum primariam jugulant, vel insigniter certe mitigant.

II. Eruptionem exanthematum promovent.

III. Eorundem retrocessionem impediunt.

IV. Parciorem illorum proventum efficiunt.

V. Eadem à facie arcent.

VI. Oculos ab omni injuria defendunt.

VII. Nitorem vultus sincerum, integrumque conservant.

VIII. Febrem secundariam vel omnino præcavent, vel mitissimam efficiunt.

IX. Reliquias variolarum præpediunt.

Opiata seu potius Anodyna modo quo à Boerhaavio proponuntur, ad compescendum nempe nimium febris impetum necessaria. Syrupus de Meconio Laudano liquido Sydenhami præferendus.

die augentur, dein maturescunt, albescunt, flavent, ac tertio, quartove die hujus decursus, rumpuntur. Tum vero tota pinguitudo et cutis pure scatet mobili, externe aret, locis liberis inflammatur; hinc impedimento perspirationis, circulationisque, irritatione generis membranosi et nervosi, absorptu puris in venas, fit febris (*a*) pessimæ indolis, cum pessimis symptomatibus; si materies hæc purulenta sanguini mista diu movetur, putrescit (82. 100. 406.); hinc pro vario delapsu in diversas corporis partes diros effectus, vixque superabiles, producit; deliria; phrenitides; anginas; peripneumonias; pleuritides; vomitus; dysenterias; hepatitidem; apostemata; anthraces; juncturarum tumores, abscessus, immobilitates; tabem; phthisin; et infinita similia.

1401 Si vero tum materies tenuior, acrior, morbusque vehementior, exeditur cutis, pinguitudo, et caro; fiunt lata, pessima, ad ossa sæpe penetrantia, ulcera cacoethe; cicatrices fœdæ.

(*a*) Hæc est febris illa *secundaria* dicta introversæ suppurationis sequela adeo pertimescenda, quæ potius supra dictis præcavenda, seu minuenda, quam sananda. *Delapsus materiei purulentæ* verè diri, ac insuperabiles. Hoc maxime animadvertere debent Medici in adultis præsertim huic febri pessimæ ejusque sequelis magis obnoxiis, ne ANIMÆ cura criminalitèr negligatur.

1402 In hoc statu (1400.) curandus (*a*) puris ad exteriora exitus, ab interioribus expulsio; quod fit laxando cutim fomentis laxantibus tepidis, assiduo et laboriose renovatis; ablutione et gargarismo oris, fau-

(*a*) In pertractanda febri ista secundaria summa observatur Auctorum diferentia. Sydenhamus, Freind, Huxham, Hillary . . venæ-sectionem suadent. Cel. Lobb eam damnat. Freind purgantia consulit; Huxham vesicatoria et vinum: Mortonus, Mead, Pringle Corticem peruvianum, et Acida mineralia: Linteaminum permutatio, Opiata, Papularum pertussio. . sub diversis et particularibus circunstantiis à Medico doctissimo in usum revocanda. Absint Empirici, qui particularia ista vilipendentes Andabatarum more hic et illic miseros infantes trucidant, et si casu aliquo fortuito sospes aliquis servatur immane quantum peritiam suam blaterant et extollunt! Pessima gens, quæ *stupore vulgi fit nobilis* ut Medicus Phædri (Fab. XIV. Lib. I.)

Circa *pertussionem variolarum* pro hujus febris præservatione dum pure cocto turgent maturæ, diversæ sunt Auctorum opiniones. Arabes ut Avicena cum *acubus de auro* eas rumpebat, Razes *immisso scalpello* eas perforabat . . . Alii methodum istam neglexerunt. Van-Swietenius operationem istam suadet. Ejusdem sententiæ sunt Sellius, et Vogelius. Variolis apertis pus eluendum decocto hordei lacte mixto. Denique notandum cum variolis posse concurrere alios morbos ab eis diversos, v. gr. febres intermittentes kina sanandas febres populares, aliosque. Foveolæ, quæ post variolas remanere solent, emollientibus et unctuosis minuendæ. Ophtalmia, quæ subinde remanet,

ciumque, assiduo; potu largo, calido, cardiaco, detergente, aperiente, putredini resistente; clysmate blando, diluente, emoliente, laxante quotidie injecto, diu retento; victu ex jure carnium cum sale et acidis condito; vini meracissimi subinde moderato usu; dato simul, contra enormes impetus, Opio.

1403 Si morbus vehementissimus; ichor gangrænosus loco puris; tota fere cutis occupata; facile patet, cur infelicem adeo, imo ineluctabilem perniciem adferat hic morbus: omnium vero clarissime id liquebit ei, qui ex anatomicis norit, ut externam cutim, ita oculos, narium omnes membranas, oris omnia velamenta, asperam arteriam, bronchia, œsophagum, stomachum, intestina, jecur, lienem, pulmones (*a*), obsideri his pustulis; hinc quippe dicta intelligit, et videt, quid ad curationem requiratur, et an magnitudo mali, perditio tot ægrorum, post vulgata (*b*) auxi-

venæ-sectione et repetitis purgantibus antiphlogisticis sananda. Purgantia ista, seu alia levia in omnium variolarum fine fortasse repetita conveniunt.

(*a*) Morbus iste subdolus, licet satis mitis videatur omni periculo numquam caret, quod sedulam prudentis Medici attentionem expostulat.

(*b*) *Vulgata auxilia*, quæ adhibebantur dum hæc scribebat Boerhaavius calida nempe, sudorifera, exsicantia, sanguinis missionis horror. . Medicus spectator. . omnes fere perdebant variolosos, nul-

lia applicata frustra semper, non excitet boni Medici solertiam, ut initio mali invadentis summa tentet; vulgata quippe methodo nullus, nisi sponte, emergit. Prophylaxis insitiva videtur satis certa, tutaque.

lus nisi sponte tunc temporis emergebat. Summa igitur tentanda, inter quæ cura antiphlogistica eminere credidit Boerhaavius, admisis exceptionibus supra dictis, quando nempe non eas ab initio febris inflammatoria prodit sed putrida, biliosa, maligna, vel nervosa lenta.

Uberiorem absdubio Caput istud explanationem exigebat, utpote de Morbo communissimo atque teterrimo pertractans; sed pro Tironibus dicta sufficiunt; qui postea provectiores Auctorum, qui de eo qua latè patet etiam quo ad *prophylaxim* agunt, amplam supelectilem assequuti in illis legendis suæ conscienciæ attenti insudabunt, et impallescent.

Unicè pro coronide addendum separationem primi variolosi, postea secundi, et ita porro ad variolarum contagium præcavendum, imo ad eas penitus extirpandas fortasse sufficere. Videndus hac super re Rosens, Krause apud Vogelium; et etiam oportunius Tractatus hispanus sub isto titulo: *Disertacion.. en la qual se prescribe un metodo seguro de preservar y extinguir las viruelas.. su autor Don Francisco Gil, Cirujano del Real Monasterio de San Lorenzo y su Sitio.. segunda edicion.* Madrid Año de 1786.

Etiam addendum variolas lymphaticas acuminatas, ovales, *Varicellas* dictas, ut plurimum quidem primum in dorso erumpentes sine foveola in medio, ut in veris apparet, atque jam die sequenti in suppurationem transeuntes à vero

APHOR. 1392.

Pulveres Mercuriales, et Antimoniales forti veneno varioloso antidoti.

R. Antimonii Diaphoretici una cum suo nitro fixante conservati drachmas sex.
Mercurii dulcis drachmam semis.
Salis Polychresti veri drachmam unam.
Diu terendo fiat Pulvis tenuissimus, dividendus in vigintiquatuor doses æquales.
Capiat unam tertiaquaque hora; superbibendo post singulas
Seri Lactis recentis uncias quatuor.
R. Florum sulphuris drachmam unam.
Cinnabaris Antimonii scrupulum unum.
Stibii diaphoretici nitrati,
Salis Polychresti singulorum dracmam unam et semis.
Misce. Fiat Pulvis subtilissimus, dividendus, et sumendus ut prius.

morbo neminem securum præstare ex Vogelio. Pro veris autem tum in primis imponunt, quando cicatriculas relinquunt ex eodem (Febris variolosa Tom. I. pag. 104.) quod probe notandum.

Num subita exanthematis variolosi jam per febrem expellendi mutatio in mitius morbillosum per peruvianum corticem obtineri possit, ut Cel. Fr. Casim. apud Vogelium intendit? Utinam! Videatur nihilominus Carmen Joan. Friderici Closii *de cortice peruviano remedio variolarum prophylactico valdè limitando.*

APHOR. 1394. Num. 2.

Clysma laxans.

R. Florum Malvæ, Altheæ, Taraxaci, Verbasci, Lichnidis Saponariæ singulorum unciam semis.
Farinæ lini drachmas duas
Coque cum aqua ad uncias duas.
Fiat Clysma injiciendum duodecima quaque hora.
Panni lannei eodem Decocto madidi expressique iterum, calidi applicentur corpori inferiori, pedibus, poplitibus, inguinibus, cruribus, femoribus.
Eodem os, nares, fauces colluantur humectentur, foveantur.

APHOR. 1394. Num. 3.

Decoctum diluens, acidulum, nitrosum, ad stimulum variolosum expellendum.

R. Florum papaveris erratici, recentissimi sambuci singulorum unciam unam.
Avenæ integræ unciam semis.
Cum aquæ decoctis unciis viginti (*vel amplius*) admisce
Nitri stibiati hoc est ab Antimonio diaphoretico lavando, et crystallisando separati unciam semis.

Succi citrei recentis unciam unam.
Syrupi violarum unciam unam et semis.
Bibat quantum lubet.

APHOR. 1394. Num. 4.
Vid. 28. Num. 1.
APHOR. 1399. Num. 1.
Vid. 28. Num. 1.
APHOR. 1399. Num. 2.
Vid. 1394. Num. 3.

APHOR. 1399. Num. 3.

Succus Antipyreticus in statu Phlogistico variolarum.

R. Succi recens expressi Cichorei,
Lactucæ, Taraxaci, Fumariæ singulorum uncias duas.
Radicis scorzoneræ uncias quatuor.
Nitri puri drachmam unam et semis.
Misce. Bibat unciam unam omni hora diei.

Decoctum simile.

R. Radicis sarsaparillæ,
Chinæ,
Graminis, singularum uncias duas,
Scorzoneræ uncias octo,
Florum sambuci, unciam unam.
Cum aqua decoctis spatio unius horæ
Pintas sex exhibe.
Bibat uncias quinque omni hora.

APHOR. 1399. Num. 4.

Epispasticum, impetum humorum à nobilioribus partibus derivans.

R. Emplastri de Meliloto, Galbani,
Sagapeni, singulorum unciam unam.
Misce. Extensa ad alutam applica cavis pedum.

Idem fortius.

R. Fermenti acidi panis uncias sex,
Rutæ manipulum unum,
Seminis sinapi contusi drachmas sex,
Salis, Aceti, singulorum drachmas quatuor.
Misce. Applica ad cava pedum, et poplitum, nocte atque die.

APHOR. 1399. Num. 6.

Haustus anodyni.

R. Syrupi papaveris albi unciam unam.
Fiat Haustus.
R. Laudani puri granum unum.
Fiat Pilula.
R. Laudani puri granum unum,
Aquæ stillatæ Melissæ unciam semis.
Misce. Fiat Haustus.

APHOR. 1402.

Vid. scripta ad 1394. et 1399. Num. 6.

1404 Notandum vero est super omnia, morbos hactenus descriptos fluidorum, licet nomine, signis plerisque, et aliqua specie eventus iidem appareant incauto, tamen in indole tecta (*a*), phænome-

(*a*) Hoc est illud *quid divinum* Hippocratis, quod unice per efectus potest indagari. Historia exacta morborum variis temporibus epidemicorum valdè conducet ad incipientem dignoscendum. Initium cujuslibet morbi epidemici consesum Medicorum prudentum frequentem exigit, præsertim si minima *Pestis* rudimenta apparent.

Licet causa morborum epidemicorum, sive eorum indoles *tecta* sit, exacta atque minime interrupta constitutionum meteorologicarum observatio maxime confert ad morbos epidemicos dignoscendos. His observationibus suffultus Hippocrates de Morbis epidemicis perfectissime tractavit. Doctissimus Anglus Grant de Febribus stationalibus juxta doctrinam libri III. Aphorismorum Hippocratis; et Lepeq de Morbis epidemicis patriæ suæ juxta methodum Epidemiorum quos in Thaso Hippocrates observaverat tractaverunt. Denique Cel. Huxham juxta Cœli atque Aeris mutationes suas observationes super morbis epidemicis confecit et prætulit (Vol. II. Præfat. de Aere et Morbis epidemicis). Liber de *Aere*, *Aquis et Locis* Hippocratis cum commentariis Ludovici Septalii ab omnibus Medicis consulendus.

Inter nostrates legendus D.D. Gaspar Casal Archiater hispanus Auctor vere hippocraticus

nis non nisi perito observatis, vario tempore incrementi, status, coctionis, crisios, effectu, eventu, sanandi methodo requisita, sæpe immensum (*a*) differre.

1405 Adeoque requirere longe aliam administrationem sex Rerum non Naturalium, aliam medelam, alia medicamenta.

1406 Cujus tamen varietatis causa adeo latens, ut à nullo sensili vitio sex Rerum non Naturalium (*b*) deduci hactenus queat.

1407 Et tamen ob communem pluribus afflictionem, possibilem evitationem (*c*),

in sua *Historia natural y medica del Principado de Asturias* : Madrid Año de 1762 ; in qua de Constitutionibus epidemicis Asturum, et aliis morbis ipsis endemiis verè hippocraticè tractavit.

(*a*) Sydenhamus innuit curationem in hoc casu leviter tantum inflectendam esse (Sect. VI. Cap. 1.) Hoc in initio ipso intelligendum.

(*b*) Præsente epidemia frugalitas commendanda ; non immutanda ratio victus ex Hippocr. Lib. de Natura Hominis Textu 4.

(*c*) Qui justè, atque commode locum epidemia infectum evitare, seu deserere decernunt, sibi prospiciunt. Idem experiuntur, qui domibus suis inclussi manent. *Ventus*, seu aer valdè motus causam fortasse dissipare valebit. *Ignis* certè omnia destruit ; tamen considerandum partem aeris vitalem ab eodem consumi. An causa in aere resideat et per aerem in disita loca transportetur, dubitatur. Num insecta minima in aere hærentia possunt esse causa morborum epidemicorum, ut Kirchero et aliis placuit, et etiam Cel. Reaumu-

et exclusionem vento, vel igne, aëre residere comprehenditur.

1408 Et in eo magis ob varietatem inexplicabilem exhalationum, quæ vel misturæ, vel stimuli ratione nostræ machinæ nocent, quam ob mutationem notabilem qualitatum sensilium, ut observatio docet.

1409 Tamen vix nisi contagio humano (*a*), quod mirum, morbos excitare.

rio? Et ab horum subita multiplicatione contagium? Hæc opinio assensu difficilis. Ad quid enim severa custodia ad Pestis communicationem præcavendam? Quis à morbo epidemico ab hac causa nato liberaretur? Quomodo explicabitur Gallos et Judæos à *dysenteria* quam Degnerus descripsit immunes mansisse? Quomodo intelligetur *Febris Universitatis* Heisterii, quæ solos cives academicos licet per urbem dispersos invadebat?

(*a*) Non omnes morbi epidemici contagiosi sunt, ut patet in febribus tertianis autumnalibus, in locis paludosis valde frequentibus; ægri enim isti, vel convalescentes ad alium locum translati paludibus carentem non alios inficiebant. Contagium potest etiam aliis rebus præter corpus humanum adhærere. Pestis in sarcinis, mercibus . . . in perniciem manet, quas lustrare et infectionem exuere necessum est.

Ad confirmandam doctrinam generalem de Morbis epidemicis agendum esset hic de deteriori et terribiliori, PESTI nempe. Sed in Appendice videndus morbus iste. Unicè hic innuendum ad lustranda ea, quæ Peste infecta timentur, sive post transactam istam ad domus, supellectilia, vestimenta depuranda hodie maxime celebrari Aci-

1410 Hos autem proprie Epidemicos vocare solemus.

1411 Horum cognoscitur natura juxta regulas datas (11. 12. 13.)

1412 Lucem vero affundit Medico incognitum talem, et recens invadentem Epidemicum curaturo 1. Determinatio ejus ad speciem notam, cui maxime similis. 2. Observatio ejus, qui eo tempore, circa æquinoctium vernum, vel autumnale, frequentior. 3. Attentio ad phænomena spontanea, quæ mortem, salutem, meliorem, pejorem statum morbi præcedunt, comitantur, sequuntur. 4. Eorum, quæ inevitabiliter geruntur, ingeruntur, egeruntur, adjutamentum, vel nocumentum. 5. Comparatio (*a*) plurium eodem tempore decumbentium simul. 6. Abstinentia ab omni auxilio, quod dubium, valde movens, mutans, tectum morbi genium obscurans.

1413 Ex quibus omnibus accuratissima attentione observatis indicatio nascitur.

dum nitricum, atque muriaticum, quæ jam à Boerhaavio fuerant alibi proposita ad emendandam Aeris qualitatem acrem putrefacientem. Aph. 88. Num. 3. et Aph. 605. N. 4. cum notis appositis videndi.

(*a*) Optandum foret ut Medici in eodem loco praxim exercentes convenirent in primis circa illa anni tempora, quibus epidemicæ constitutiones mutari solent, ut collatis inter se invicem ob-

1414 Ubi in corpore alicubi corpus quoddam plane insolubile (*a*) hæret, ei crusta

servationibus, communi consilio statui posset de utili medendi methodo. Circa rem istam extat eruditissima Paræneticа Epistola D. D. Francisci Fernandez Navarrete Archiatri Hispani lectu dignissima.

6. Hippocrates dixerat : *in morbis, quos quis minime cognoscit medicamentum non vehemens potandum* (De locis in homine.) Sydenhamus suspenso pede procedebat . . nec sic potuit efficere ne unus, aut alter vita periclitaretur.

Inter innumeros Auctores, qui de Morbis epidemicis scripsere indicare sufficiet *Magnum Hippocratem* cujus sex libri Epidemicorum cum commentariis absolutissimis *Francisci Vallesii* sufficere poterunt. Inter recentiores Sydenhamus omnino consulendus : Ballonius, Ramazinus . . . videndi. Inter recentissimos Doctor Grant et Le Pecq de la Cloture eminent.

(*a*) Pueri frequentius calculo laborant. Fascium strictura, somni longiores, decubitus in cunis supinus . . ad id conducunt. Calculus certè corporis humani productum est, hincque ad regnum animale pertinet. Cauti debent esse Medici in calculo determinando ob insignes fraudes, quas scelesti empirici in hac re miscent. Præter loca hic memorata, in vesicula fellea calculi sæpe concrescunt (Aph. 950.), qui per ejus ductum dilatatum in intestinum duodenum venire possunt, et ex hoc, vel per alvum, vel per vomitum excernuntur.

calculosa brevi se applicat, plus, minusve.

1415 Id si in Renibus fit (*a*), à parte terrestri sanguinis exsiccata, fit Calculus Renum, maxime ortus ad ultimas arterias, specie arenæ.

1416 Qui sensim ibidem accrescens renem obstipat, carnem ejus suffocat, consumit, specie grumi, puris, carunculæ, pellium expellit, totumque tandem corrumpit, mictus sanguineos, purulentos, fœtidos excitat; quin sæpe ulcerationem vicinorum (*b*), post inflammationem creat.

1417 Idem quacunque causa ex loco originis (1415.) in pelvim, et inde in ureterem, hujus flexus, angustias, introgressum in vesicam delatus, sæpe intercipit urinas, cum dolore inflammatorio.

1418 Per Ureteres in vesicam delatus expellitur sæpe.

1419 Restitans in vesica crescit per orbes appositos.

1420 Manente semper nucleo rubro, (*c*)

(*a*) Ren sinister calculo magis, quam dexter est obnoxius, quia proxime ipsi adjacet flexura coli flatibus, ac fœcibus induratis sæpe distenta et renem comprimens. Decubitus supinus, mictio homine decumbente ut in podagricis, dorsi foco obversio continuata . . nocent.

(*b*) Hæc est Nephrotomia spontanea artificiali hippocraticæ præferenda.

(*c*) Color iste non semper adest præcissè in vesicæ calculo. Calculi albi fragiliores, cine-

reliqui orbes, rubri, albi, cinerei, cærulei, perque gradus colorum notatur gradus insolubilitatis, ipsa Chemia detegendus.

1421 In vesica hærens inflammationem ejusque symptomata, tum pressiones, attritus, ulcera, puris mictus, strangurias, obstructionem urethræ, impossibilem mictum nisi supino, febrim hecticam, tabem, facit; sæpe impellitur in urethram immobilis.

1422 Calculus renum cognoscitur à dolore ibidem obtuso, à mictu sanguineo post motum ad strata lapidea, motum corporis vehementiorem, præcipue in curru, à lapidibus sæpe emissis, caruncúlis, pure, filamentis (1416.)

1423 Vesicæ, ex dolore in reddenda urina, et post, et ante, ex urina stillicidio tantum emissa, alba cum sedimento mucoso, crasso, multo, graveolente, pruritu ad caput penis, tenesmo in reddenda urina, manus per anum immisso digito, (*a*) Cathetere, et (1421.)

rei duriores, nigricantes ferruginei durissimi sunt. Hodierna chemia consulenda.

(*a*) No adeo facilis est diagnosis calculi in vesica hærentis, et exercitatissimi in arte sua lithotomi cespitant diu, et ingenui fatentur aliquando errase. Hinc summa cura cognoscendus præsertim dum jam de lithotomia agitur. Inter alia signa *tactus* præsertim eminet in maribus, quibus inter calculum et *digitum intestino recto*

1424 Calculus renum indicat sui imminutionem, expulsionem, redactionem eo, ut non lædat.

1425 1. Id fit victu humido, blando, tenui, modice salito; potu aquæ (*a*), vel huic simillimo; viribus vitæ.

1426 2. Alterum fit laxando vasa per balnea, clysmata, linimenta laxantia; lubricando vias medicamentis humidis, emollientibus, lenibus, oleosis blandis; aperiendo per opiata et anodyna; propellendo ope medicamentorum prudenter diureticorum, motu moderato.

1427 3. Tertium, occurrendo symptomatibus; inflammationi per venæ-sectionem et reliqua hujus remedia; dolori per emulsiones anodynas; asperitati per oleosa, saponata, glutinosa.

1428 Neque enim de specificis lithontripticis (*b*) hactenus vera fides.

immissum nihil interponatur nisi intestini recti et vesicæ tunicæ. Tamen ad explorationem istam expertissimus Chirurgus necessarius est. In mulieribus immisso in vaginam digito et versus osa pubis pariter incurbato calculi exploratio tentatur. Ad hoc matrona experta et honestissima requiritur. Catheter fortasse pro mulieribus sufficiet.

(*a*) Copiosus potus aquæ calidæ, vel seri lactis statim ante prandium plurimum valebit.

(*b*) Hic enumerat van-Swietenius remedia celebriora, celebri Annæ Stephens non omisso, cui acerrimum Richard. Mead judicium apponit.

1429 Delatus in angustias pelvis, requirit eadem (1425. ad 1428.), maxime clysmata, fotus, Venæ sectionem.

1430 Per Ureteres ex rene in vesicam illapsos noscitur à nephritide antegressa, dolore(*a*) in via Ureteris subsecuto, horum cessatione cum signis (1423.)

Tamen remedium istud in suam simplicitatem redactum, ad aquam calcis nempe ex Cel. Whytt prodesse poterit. An ista aqua in ipsam vesicam per urethram injecta præstantior, præsertim post ipsam per aliquos dies potatam et lacte mixtam? Operatio ista vel per catheterem fit, vel per machinam Butteri, quæ est tubus satis profunde in urethram demissus ne regurgitet facile liquor injiciendus, neque tamen in cavum vesicæ penetrans, per quem urgeri debet aqua calcis satis notabili vi ut ingressus vesicæ resistentia superari possit. Remedium istud licet lithontripticum non sit, calculi tamen tormenta levat. Uva ursi, liquor, qui verno tempore vulnerato cortice ex *Betula* arbore prodit, cerevisiæ, lixivia, aquæ thermales carolinæ, vel aliæ similes, asparagi, terebinthina, mel aqua dilutum, cepæ, decoctum Avenæ, et alia à Cel. D. Lobb Tract. de Dissol. Calcul. ope alimentorum . . utcumque prodesse possunt, sed omnia incerta et lenta. Remedium specificum lithontripticum ab hodierna Chemia unice Deo favente expectandum. Tentamen aliquod jam hodie posidemus, Aqua nempe alkalina acido carbonico supersaturata *lithontriptica* dicta cujus descriptio habetur in Pharmacopœa hispana pag. 128. edit. alteræ. An. 1797.

(*a*) Cavendum ne calculus in uretere subsis-

1431 Tum requirit citissimam (*a*) hinc expulsionem, ne crescens pejor fiat.

1432 Id fit iisdem fere mediis (1425. ad 1428.), sed topice applicatis: balneo oleoso, clysmate simili, injectione olei in vesicæ vias, affrictu hujus. (*b*)

1433 Tum succurrendum omnibus symptomatibus, prout hunc illumve morbum imitantur.

1434 Si in urethram immobilis impactus, injectio, fotus, suctus; auriscalpium specillum, pressio lenis, vel et incisio (*c*)

tat. Cucurbitulæ super viam ureteris applicatæ calculum transferri faciunt, calculo in ampliorem locum translato ex Areteo, Galeno, et Aetio. Cordeus narrat se vidisse Medicum hispanum, qui à se ipso ita curabatur (Comment. in Hipp. Lib. I. *De Morbis Mulierum.* Cap. V.) Quandoque calculus manet in uretere, inflammatione nata suppuratio sequitur, per quam exit.

(*a*) Sæpe contingit ægros subito levamine lætos credere se nihil amplius metuendum habere: severe tamen monendi sunt de omnibus secuturis malis si negligant remedia, quibus subita calculi expulsio intenditur, ut ea dociles exequantur.

(*b*) Calculi minores per urethram possunt expelli à natura arte adjuta. Præter remedia indicata situs corporis etiam instituendus. Homo vehementi dolore nephritico correptus dum sedens inclinaret corpus antrorsum ut in terra scriberet, hoc situ calculum excrevit. La Hire, et Mery hæc suadent.

(*c*) Operatio ista, ut et punctura perinæi

applicanda requiruntur, aut punctura perinæi.

1435 Si major, quam excerni qui queat, lithotomia (*a*) educendus.

1436 Et in primis apparatu magno (*b*), utpote certissimo, arte Raviana emendato.

1437 Sciendum tamen omnem eventum operationis semper dubium: propter singularia, vix ulla sagacitate prævidenda, neque ulla arte sananda, incidentia. (*c*)

1438 In mulieribus vero, dilatando urethram, educitur: raro incidendo.

dexterrimum operatorem exigit, et Medicum in ea dirigenda et etiam exequenda, si necessitas expostulet, absente Chirurgo, instructum et exercitatum.

(*a*) Operatio ista solemnior, et fortasse horribilior inter omnes, quibus obnoxium est humanum corpus. Hippocrates juramento asseveravit se numquam operationem istam effecturum, *Magistris ejus artis peritis id muneris concedens.* (in Jurejurando.) Circa istam videndus Heisterus, Bell.. aliique recentiores.

(*b*) Dantur parvus et magnus aparatus, qui numero instrumentorum definiuntur. Vitandi omnino vagabundi operatores, qui post numeratam pecuniam locum mutant brevi de curæ successu minime solliciti. Iterum commendo Auctores chirurgos in his præsertim exercitatos.

(*c*) Hæc alta mente teneri, atque versari debent antequam operatio decernatur. Vota maxima fieri debent ut inveniatur remedium corpus istud hucusque indomabile dissolvens. Utinam! Deus faxit!

1439 Si in collo vesicæ hærens impedit Urinam, Cathetere (*a*) repellendus.

APHOR. 1425.

Olera hic bona.

Borrago	Raparum
Chærophylla.	Sisari.
Chondrilla	Sonchus
Lactuca.	Scorzonera
Petroselinum	Taraxacum,
Radices Dauci	Tragopogon.

Hæc horumve quædam cum jure carnium cocta pro victu optima.

Serum lactis
Lac.
Lac ebutyratum } Animalium solo gramine pastorum.

Plurimum valet usus horum tandiu continuatus, donec alvus fiat, maneatque aliquandiu laxa; licet debilitas inde quædam successerit; hæc quippe felix sæpe solvit, vel inveteratum malum.

(*a*) Operatio ista in mulieribus facilis est à matrona experta perfici potest, imo ob sexus decentiam debet.

APHOR. 1426.

Clysma aperiens, laxans, molliens, calculum leniter propellens.

R. Foliorum Malvæ, Altheæ, Ibisci,
Mercurialis, Parietariæ,
Brancæ Ursinæ, Atriplicis,
singulorum manipulos quatuor.
Ex eodem Decocto fiant Clysmata, et etiam potulenta assidua: nam laxant, aperiunt, molliunt, pellunt.

Decoctum oleosum ad lubricandum.

R. Amygdalarum dulcium numero triginta,
Pistachiorum numero viginti,
Seminis papaveris contusi uncias tres.
Excorticata, et contusa decoque cum
Aquæ vulgaris quantitate suficienti spatio dimidiæ horæ, tum fortiter, et diu contritis simul secundum artem adde
Saponis veneti drachmas quatuor.
Glycyrrhizæ uncias duas.
Ebulliant denuo parum, dein Decocti libras tres exhibe.
Bibat uncias octo, quater de die vacuo stomacho, et dein parum leniter deambulet.

Opiatum, anodynum, apperiens.

R. Syrupi quinque radicum aperientium unciam unam, et semis.
Laudani puri grana duo.
Nitri puri grana viginti.
Aquæ stillatæ Petroselini uncias sex.
Misce. Bibat unciam semis omni hora.

Propellens Diureticum.

R. Cicerum rubrorum contusorum uncias duas.
Seminis Petroselini unciam unam.
Radicis Graminis
Petroselini singularum uncias quatuor.
Foliorum Agrimoniæ,
Virgæ aureæ,
Veronicæ maris, singulorum manipulum semis.
Glycyrrhizæ unciam unam.
Cum aqua decoctis spatio dimidiæ horæ libris tribus admisce
Nitri drachmas duas.
Bibat uncias duas omni hora.

LUES VENEREA. (*a*)

1440 Post annum(*b*) 1493 in Regno Neapolitano, mox Gallico Exercitu, dein per totam Europam LUES VENEREA orta adhuc durat.

1441 Quæ generatione, lactatione, contrectatione, saliva, sudore, liquido genitali, exhalatione, contagiosa (*c*) est.

1442 Et qua parte contrahitur, primo se manifestare solet. (*d*)

(*a*) Sauvagesius Class. X. Ord. V. Gener. 24. *Syphilis*. Species: venerea, polonica, indica. De his duabus dubitat Cullenius.

Cullenius Class. III. Ord. III. Genere 85. *Syphilis*. Character: Morbus contagiosus, post concubitum impurum et genitalium morbum, ulcera tonsillarum; cutis præsertim ad marginem capillitii, papulæ corymbosæ, in crustas, et in ulcera crustosa abeuntes; dolores ostocopi; exostoses. Species unica, nempe syphilis venerea.

(*b*) Antiquitas seu novitas hujus morbi curiositati potius pascendæ, quam utilitati favet.

(*c*) Fœtus ipse in utero materno potest jam à parentibus infectus esse. Ut famæ ægrotantium consulatur, et pax inter conjuges servetur, Medici prudenti consilio hanc causam tamquam probabilem saltem admittunt. Idem dicendum de aliis causis præter *liquidum genitale*, quod via est luem communicandi omnium frequentissima, atque certissima.

(*d*) Hoc ipso innuitur probabile esse miasma

1443 Neque à non infecto, vel non infecta eodem hoc morbo, unquam orta deprehensa est.

1444 Pars infecta (1442.) diverso quidem tempore pro varietate loci infecti, materiæ contagiosæ, gradu caloris excitantis, temperiei diversitate, pruritu, calore, leni inflammatione, pustula subalba, squamosa, erodente, mucosa, insanabili vulgatis remediis, cognoscitur primo.

1445 Hinc crescendo vicina primo, et plerumque externa inficit similibus pustulis ulcerosis, dehinc interna, labia, gingivas, palatum, linguam, fauces, nasum, cerebrum, pulmones, hepar, lienem, uterum, (*a*) &c.

1446 Quæ stillant saniem mucosam, lentam, subviridem, carnem erodentem,

venereum fervidissima venere actuosum redditum posse communicari corpori absque ulla læsione sensibili partium genitalium, per quas lues contrahitur, et per longum satis tempus delitescere. *Turner* ad decenium extendit. Hoc nimium est. *Astruc* fere pro regula generali contrarium statuit. Videatur utilis hujus doctrina Lib. II. de Morbis vener. Cap. 3. *Si nulli morbi locales præcesserint neganti opinioni adhærescendum. . .*

(*a*) Hujus mali sedes collocatur in illo humore pingui corporis humani, qui membranam cellulosam replet; cum autem hæc totum pervadat corpus nulla pars ab eo liberatur.

Hodie in parte lympatica sanguinis, et potius in systemate glandulari mali sedes collocatur.

in latum magis, quam profundum proserpendo.

1447 Hinc in veretro externo cancri(*a*); in interno gonorrhœa; in vagina fluor dictus albus.

(*a*) Ulcuscula venerea *cancri* vocantur ob contumaciam. Hæc irritata Phymosim atque Paraphymosim producunt. *Gonorrhœa* idem est ac genitale profluvium. Aptius dicitur *Blenorrhœa* quoniam mucosus humor, non materies seminalis excernitur. Hæc varia est pro variis locis quæ occupat; quæ majorem, minoremve curationis difficultatem simul demonstrant perito Medico. Simplicior est illa, quæ ab inasueta potatione cerevisiæ, ab immoderato usu veneris etiam puræ.. oritur. Sed hæc venerea non est, quæ primo in cellulis glandis et corporis cavernosi figitur; et ultima in infectione prostatarum consistit. Si irritatio est vehemens et in erectionibus dolorificis intorquetur coles tunc *cordata* nominatur. Gonorrhœa *artificialis* à Med. D. Swediaur excitata aliquot guttulis Alkali volatilis cum aqua pura in urethram injectis, pro inventione ingeniosa judicanda. An pro gonorrhœa vera in testes, inguina, urinæ vias.. retropulsa, revocanda prodesse possit præ materiæ venereæ in urethram ad ejus inoculationem ope cereoli introductæ ab eodem Auctore apparatu magno et emphatico stilo confiden- tissime propositæ? Istud utrumque medium severissime pensitandum (Vid. Cullen. Elem. de Med. practica, N. 1777. y 79.) *Fluor albus* ab infecto solius vaginæ cavo pendens potest vocari, distinctionis causa à Fluore albo naturali, *prima species muliebris Gonorrhœæ*. Gonorrhœæ venereæ in mulieribus variæ etiam sunt.

1448 Tum glandulæ inguinales tumentes utroque in sexu, bubones (*a*) venerei, communicato per lymphatica resorbentia contagio.

1449 Et in viris membri inflammatio ingens, brevi in gangrænam soluta.

1450 Tum testes tumidi, dolentes, sæpe in ulcerationem abeuntes, inflammatorio tumore ad vesiculas seminales orto.

1451 Ut et carunculæ (*b*), stranguriæ, erosio urethræ, prostatarum, colli vesicæ, vasorum seminalium; similia Mulieribus.

1452 Hinc fertur in membra, cum dolore nocturno medios artus occupante, ut et flexurarum rigiditate.

1453 Unde in Cartilaginibus, nasi maxime, et palato, erosio.

1454 Mox media (*c*) ossa occupans caries producit præcipue in cranio.

(*a*) Bubo in inguine signum dat recepti in venas contagii. Felicitate infrequenti totum virus hic hæret. De totius corporis infectione saltim in isto casu suspicandum.

(*b*) Molestissimum certe malum *caruncula* est per candellulas unice fere curandum. De his Franciscus Diaz Chirurgus regius hispanus olim amplissime tractavit.

(*c*) Dolor in hoc morbo media ossa occupat, sensim procedit, et ad attactum non augetur. Ita à dolore arthritico distinguitur, qui tactum minime fert quin augeatur, brevi exoritur, et in articulis, vel juxta illos consistit.

1455 Tumque superpositæ partes in apostemata assurgunt pessima.

1456 Quin et in tophos duros elevat(*a*), dolentes obscure, sensim acutius, tumque et superposita corrumpentes.

1457 Unde facile constat de signis, quibus morbus hicce cognoscitur.

1458 Gonorrhœa curatur, balneo, fotu, injectione, (*b*) purgatione mercuriali sæpe repetita, emulsionibus, balsamicis, abstinentia ab omni cibo, potuque lauto, et ad venerem stimulante, victu contra potuque tenui.

1459 Persistendum in curatione, do-

(*a*) Tumores isti molles quandoque sunt, et *Gummi*, vel *Gummata* vocantur. Ulterius duriores *tophi*; ossei penitus *exostoses*.

(*b*) Remedium istud caute administrandum. (Vid. T. II. in Methodo formularum pag. 466. 7.) Injectio mucilaginosa cum tantillo Mercurii dulcis, Æthiopis mineralis, seu Mercurii gummosi plenckiani in Gonorrhœa, in qua ulcus in uretrha timetur et resorptio, utilis valde esse poterit. *Purgationes mercuriales* in Materia medica propositæ valde fortes sunt, et aliæ mitiores pro nostratibus substituendæ. Tamarindi, Folia Sennæ . . . sufficient. *Balsamica* mitiora eligantur. Acria diuretica, inter quæ cantarides etiam numerantur, nocentissima. Venæ-sectio à Boerhaavio omissa, et à Sydenhamo non probata à Cel. Astruc valde suadetur ab ipso initio. Circunstantiæ judicabunt. Dolor, tensio, dysuria, gonorrhœa *sicca* . . illam indicant. Remedia hic proposita melius post ipsam operantur.

nec nihil (*a*) amplius insoliti ex pene exstillet, vel in urina se manifestet.

1460 Inflatio membri virilis tollitur cataplasmate anodyno, discutiente, emolliente, fotu simili, venæ sectione larga, et dictis (1458.)

1461 Bubo Venereus tollitur dissipando (*b*) per Emplastra singularia; suppurando, si hæc non prosunt; et aperta depurando.

(*a*) Post optime curatam gonorrhœam potest aliquis fluxus remanere, qui si viscidus et instar albuminis ovi sit, innocens est, minimeque contagiosus, præsertim si præter dicta frictiones mercuriales camphoratæ perinæo, genitalibus, ac inguinibus applicantur. Orificia ductuum mucosum humorem in urethram eructantium dilatata eum evomunt.

(*b*) Dissipatio, sive *resolutio* bubonis metuenda ob periculum infectionis sanguinis à materia in illa parte remanente, vel et ob transmutationem hujus in massam humorum generalem per vasa absorventia ex his glandulis nata, et in ductum thoracicum tendentia. Inter resolventia potiora numerantur frictiones mercuriales in parte interiori femorum, crurumque applicatæ, et in ipso initio repetitæ pro dissipatione bubonum inguinalium, et in eadem parte interiori brachiorum, in bubonibus subaxilaribus: ex his enim superficiebus oriuntur vasa lymphatica in has glandulas abeuntia. Venerea Lues, qua infectus est humor bubonem faciens ista methodo corrigitur, et si forte infectio aliqua in humorum massam transeat, eodem remedio continuato sanabitur. Ad majorem securitatem aliqua intus præparatio

1462 Testis tumidus fovendus similibus (1460.): si urget, educendus sanguis ex brachio; Emplastro quoque scroto applicato levandus; donec redierit in statum plane naturalem.

1463 Pustulæ, et Cancri dicti Mercurialibus erodendi ad vivum (*a*) usque, tum sensim lenioribus sanantur iisdem.

1464 Semper autem utendum iisdem fere internis, ac (1458.) præscriptis. (*b*)

1465 In mulieribus (*c*) fluor venereus curatur iisdem (1458.)

mercurialis sumenda, vel saltim decoctum aliquod antisyphiliticum. Hæc certe via brevior est, atque commodior, utinam salubrior et securior. Emplastrum dissipans in Materia medica propositum nimis stypticum atque repellens est. Emplastrum de Ranis cum Mercurio, seu *Vigonis* sufficient. Resolutione defficiente et tumore in suppurationem inclinante, ista propriis remediis procuranda.

(*a*) Pustulæ istæ, et cancri, seu ulcera, ut et verrucæ caute sunt tractanda. In venere recenti leniora rodentia sufficiunt: in inveterata fortiora. Mercurialia interna seu externa jam in hoc casu necessaria sunt. Lotio, quæ ex Mercurio sublimato et aqua calcis vivæ proponitur valentissima est.

(*b*) *Remedia præscripta* hic non sufficiunt. Interna remedia pro his sunt necesaria. An sublimatus corrosivus præstantior?

(*c*) Agendum hic esset de Lue ista mulieres in omni statu afficiente, et de methodo curationis earum in statu graviditatis, et etiam puerorum tempore lactationis. Breviter dicendum gra-

1466 Sed præcipue fotibus detergentibus validis, et mercurialibus.

1467 Ubi vero pustulæ ubique dispersæ, dolores artuum, nocturni labores, bubones magni, torturæ ossium, sæpe tole-

viditatem non obstare sanationi : Mercurium nedum matrem gravidam sanare, sed etiam fœtum ipsum lustrare posse : pueros lactationis suæ tempore curationi sumitti deberi, quod in Orphanotrophiis pie atque prudenter exercetur : Nutrices infectas debere etiam curationem tolerare. Dubitari posset num istæ sanationis tempore alere possent infantes infectos etiam : sanos enim nequaquam possunt. Si virus per lactationem communicatur minime lactare possunt et ita revera communicari asserit Boerhaavius, et jam dudum asseruerat etiam Ximenezius nostras, qui de venereæ Luis causa loquens ait : *sive ea in semine* (*quod per concubitum fit*) *sive in lacte aut saliva* (*quod interdum accidit*) *sit concepta. Ista porro*, sequitur, *primam præcipuamque sibi tamquam sedem usurpat lentam impuramque pituitam* . . Ita vir iste doctissimus æque ac eloquentissimus (Inst. Medic. Lib. IV. Cap. 26. pag. 445.) Cel. Medicinæ Doctor *Rossens* consulit nutricem sanam, hujus rei consciam, mercurium frictionibus admittere ut lacte suo mercuriali reddito sanetur infans. Poterit etiam hoc assequi lacte capræ cui frictiones mercuriales adhibeantur (Traite des Maladies des Enfans, Chap. XXVII. pag. 560.) Maximilianus Stoll in Prælectionibus in diversos Morbos chronicos Tom. I. in *Methodo medendi Lui universali* pag. 119. Methodum istam propponit, et approbat.

rata gonorrhœa, docent adesse LUEM, salivatio (*a*) Mercurialis requiritur.

(*a*) Hucusque de Morbo isto externo, seu topico fuit actum, qui est velut primum incipientis Luis rudimentum. Nuc de ipsa Lue, præsertim interiora loca occupante agitur.

Lues ista varios gradus obtinet. Mitissima vegetabilibus antisyphiliticis debellatur: gravior salivationem exigit ope mercurialium. Circa salivationem, aliqui nimiam exigunt, alii nullam ut Goulard, Chycoineau . . qui impense laudavit methodum *per extinctionem* vocatam, qua Mercurius in corpore retineri intenditur, ut constantius et securius operationem suam exerceat. Media via tutissimè incedendum. Circa Mercurialia dubitatur num exterius per inunctiones, num interius per præparata, vel ipsum Hydrargirum purum administranda. Celeberr. Astruc frictiones mercuriales absolute præfert, præparata despicit. Boerhaavius, van-Swietenius . . . contrarium suadent. Aliqui plantis pedum, unde indefinita vasa lymphatica oriuntur, unice frictiones adhibent. Chirurgus Anglus Clare gingivas et labia unicè, vel præsertim pulvere Calomelanos fricabat. Cel. Astruc omnino consulendus. Hydrargiri quantitas in unguento cui camphora non ut salivationis præcautiva, sed ut antivenerea addita, duratio sanationis, Anni tempus atque præpararatio per laxantia, sanguinis emissionem, ptisanas, lac, serum, balnea . . quæ præcipua et generaliora judicio Medici, qui huic operationi præest relinquenda.

Nulli morbo major fortassis arcanorum numerus venditur, quam isti. De omnibus absdubio verificatur quod Chirurgus *Belloste* de suis pilulis

1468 Quæ ut fiat, aliquot diebus prius impleatur æger ptisana.

1469 Tum utatur quolibet bihorio dosi apta Mercurii dulcis. (*a*)

1470 Simulac anima fœtere, Gingivæ dolere, dentes erigi videntur, attendendum an pergere, consistere, vel inhibere deceat.

1471 Si expuitur ad libras tres, vel libras quatuor, (*b*) quolibet nucthemero, sufficit.

1472 Si minor, excitandus fluxus erit, stimulo eodem.

1473 Si major, quam vires ferre queant, sistendus erit leni clysmate, vel purgante, vel sudorifero.

1474 Si ruit vis Mercurii ad alvum (*c*), opus erit opiato, et diaphoretico.

1475 Ubi os, gingivæ, fauces, nimis

celeberrimis *tectis* habet, ut nempe *meliorem redderet inopem familiæ suæ conditionem.. quam sperat sustentatum iri pilulas suas venditando.* Eadem semper est arcanorum origo, et unicus scopus, LUCRI SPES ait hic van-Swieten.

(*a*) Præparatio ista lenis certe est. Dosis hujus, vel alterius similis *apta* debet esse. Robusti majorem quam debiles sustinent. Qui curæ salivationis præest prudenter determinabit.

(*b*) Quantitas ista sputi prudenter etiam determinanda. An sputatio ista ad longævitatem senibus conciliandam conducat? (Inst. Med. §. 1062.) van-Swietenius dubitat.

(*c*) Effectus Argenti vivi proprior est per os,

tument, dolentve, utendum molli, blando, liquido gargarismate, vel collutione, vel (1473.)

1476 Pergendum (*a*), donec omnia symptomata evanuerint, vulgo per XXXVI. dies.

1477 Tum subinde leni dosi mercuriali utendum per alios XXXVI. dies (*b*), ut lenissimæ sputationis maneat vestigium.

saliva olida copiosa excreta. Si fluit ad alvum cum ventris torminibus molestissimis corrigendus.

(*a*) Prudenter definiendus salivationis limes. Corporis emaciatio, ulcera venerea depurata satis, gonorrhœa correcta licet non penitus evanida, cessandam salivationem indicant. Agirtæ ista non intelligunt.

(*b*) In convalescentia diæta severissima imperanda, et mercurii loco decocta antivenerea fortasse sufficient. Van-Swietenius agit hic de usu Mercurii sublimati corrosivi, quo jam utebatur antequam epistolam à Doctore *Sanchez* accepisset. Remedium istud energicum *prudenter à prudente Medico* administrandum, ita dictante Boerhaavio (Elem. Chem. Tom. II. Proc. 198.) Agyrtæ ista non curant. Agyrtas (ait hic van-Swieten) nocivam hominum fœcem severe cohibui, vel expuli quantocyus ne fallerent imprudentes dum temerariis ausis impune grassantur in Genus humanum. Remedium istud aqua multa dilutum potest etiam lotionibus administrari, et ita fecit jam olim Pet. And. Mathiolus. Balnea antivenerea hoc remedio etiam possunt institui et ista *Beaume* proposuit. (Chymie experiment. T. II. P. 418.)

1478 Neque ullum (*a*) aliud remedium tum ad sanitatem requiritur.

1479 Tophi minuuntur (*b*) Emplastris

(*a*) Nihilominus post asumptum hydrargirum, ne nimium istud repetatur, aliqua alia proponenda auxilia, quibus possit miseris succurri. Venationes, rusticani labores, macilenta diæta aliquos curaverunt constanter exercitata. Ubi Argenti vivi eficacia in curanda lue ista deficit, Guajacum fortè valebit, quod vel in decocto meraco, vel ita dilutiori ut instar thermalium aquarum asumatur ipsis Morgagni, et Valsalva suadentibus hauriendum. (Instit. Med. §. 1190. ad 1202. et Not.). Zarzæparrillæ radicis decoctum, cui par Smilax aspera hispana, cum Guajaco contendit. Radix Chinæ olim laudabatur tamquam incomparabile remedium ad luem veneream debellandam. Fallopius radicem istam laudat quod ex ejus usu valde pinguis fiat homo. Utilitatem istam testatur Alpinus (Medicina Ægiptior. lib. III.) in mulieribus ægiptiis. Asiatici Populi in Gynæceis suis obessulas mulieres præferunt. Radices Bardanæ vilioris sunt prætii, sed æqualis, imo majoris virtutis præ China. Cicuta, Aconitum, quantumvis plantæ venenatæ, ab Storckio laudantur. Lobeliæ radix in infuso seu decocto adeo valere creditur ut *syphilitica* denominetur.

(*b*) Solutio Mercurii sublimati corrosivi, quæ interne datur, diluatur quadruplo aquæ puræ, et externe applicetur fomenti instar. Si ne sic quidem cedant, os suppositum cariosum erit et discissis integumentis illa curatio adhibenda, de qua dictum in cap. de Morbis ossium. Omnia quæ hucusque dicta sunt intelligenda de Lue syphillitica *acuta*, expressa, suis signis caracteristicis, enuntianda et declaranda, atque remediis propriis

(1461.); vel, apertura facta, osse abraso.

hydrargiro præeunte radicitus extirpanda. Præter istam Luem perspicuam, accidit quandoque ut clanculum se introducat, ut innuitur (Aph. 1442.) et etiam alia observatur Lues, quæ *chronica*, *occulta*, *degenerata*, *larvata*, et *complicata* nominatur. Hæc maximam attentionem, sagacitatem atque scientiam in Medico requirit. Lues prægressa et fortassis non bene sanata, pertinacia morborum debitis remediis minus ausculantium, aliquod symptoma lui venereæ licet ex longinquo respondens. suspicionem incutiunt. Antonius Nunnes Ribeiro Sanchez de morbis istis exacte tractavit in *observations sur les Maladies venerienes*, quæ utinam in latinam linguam convertantur.

Aliqua denique circa Luis venereæ prophylaxim dicenda. Hæc inter *desiderata* hominum perditorum reponenda: hinc dicam cum Josepho Jacobo Plenck, cujus *Doctrina de Morbis venereis* maxime commendanda (Viennæ An. 1787. edit. 2.) »abstinentia à *bono* venereo est unica adhuc prophylaxis à venereo *malo*" (pag. 179.) Placet in gratiam horum perditorum, quos non terret divina ultio, effigiem hortorum custodis SYPHILIS versibus virgilianis à Fracastorio depictam exhibere:

Jam nimium fidentem animis, nec tanta timentem,
Invasit miserum labes, qua sævior usquam
Nulla fuit; nulla unquam aliis spectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille juventæ,
Disperiit, vis illa animi; tum squallida tabes
Artus (horrendum) miseros obduxit, et alte
Grandia turgebant fœdis abscessibus ossa.
Ulcera (Proh Divum pietatem) informia pulchros
Pascebant oculos, et diæ lucis amorem;
Pascebantque acri corrosas vulnere nares.

APHOR. 1458.

Balneum ex antisepticis ad partes affectas à putredine servandas, pro Viris.

R. Foliorum retentium Rutæ, Scordii, Alliariæ, Malvæ, singulorum manipulos duos.
Cum aqua decoctis et expressis, ad libras duas admisce
Saponis veneti drachmam unam.
Spiritus vini communis drachmas sex.
In hoc tepido virga, et scrotum immergantur ter, quaterve de die spatio dimidiæ horæ; dein panni lanei præscripto Decocto immersi, et expressi, omni applicentur Pubi, Scroto, Perinæo.
Fiant ex iisdem injectiones.

Nullum credo (ait van-Swieten) potentius esse effrœnis libidinis antidotum, quam si quis miserrimas illas vulgivagæ veneris victimas, in nosocomiis ad hujus morbi curam institutis collectas contempletur attentius.

„Hæc omnia nunc dixi AUDITORES non ut „pravæ libidini, non ut avaritiæ vobis sint, sed „ut boni Medici misero Generi humano prodesse „possitis." Ita claudit suam Tractationem (licet minus elegantem) *de Lue aphrodisiaca* Boerhaavius, cujus lectionem tironibus commendamus.

Injectio detergens ad Uretram ulcere venereo erosam.

R. Mellis Rosarum unciam unam.
Aloes purissimi grana decem.
Salis Ammoniaci grana quatuor.
Aquæ stillatæ Fœniculi uncias sex.
Misce. Pro injectione.

Purgatio.

R. Radicis Jalappæ drachmam unam.
Mercurii dulcis scrupulum unum.
Fiat pulvis. Pro una dosi.
R. Scammonii grana duodecim.
Radicis Jalappæ grana decem et octo.
Mercurii dulcis grana viginti quinque.
Misce. Ut prius.
R. Pilularum cochiarum majorum grana quadraginta.
Præcipitati albi grana tria.
Misce accurate. Fiant pilulæ numero quatuor.
Summa aurora devorandæ.

Emulsio refrigerans.

R. Seminum quatuor frigidorum majorum, et minorum singulorum drachmas tres.
Cum Aqua hordei fiat emulsio, cujus unciis viginti duo admisce
Nitri drachmam unam,
Syrupi Diacodii unciam semis.

Pilulæ balsamicæ, per epicrasim purgantes.

R. Terebinthinæ vulgaris unciam unam.
Rhabarbari drachmas quatuor.
Glyzyrrhizæ siccæ quod suficiat ut fiat massa ad formandas Pilulas.
Capiat unam omni hora granorum quatuor.

APHOR. 1460.

Cataplasma discutiens, anodynum.

R. Florum Sambuci, Meliloti,
Chamæmeli, Papaveris erratici,
Altheæ, singulorum uncias tres.
Cum Lacte ebutyrato coctis admisce
Farinæ Lini unciam unam,
Olei Lini unciam semis,
Sipiritus vini Theriacalis unciam unam.
Fiat Cataplasma.

APHOR. 1461.

Emplastrum dissipans.

R. Florum sulphuris uncias duas,
Mercurii nigri drachmas duas,
Sacchari Saturni drachmas tres,
Emplastri de Meliloto,
Cumino, Galbano, Ammoniaco, Sagapeno singulorum unciam semis.

Misce. Fiat secundum artem emplastrum cum aluta applicandum.

R. Florum Sulphuris drachmas quatuor,
Sacchari Saturni drachmam unam,
Picis Sutoriæ uncias duas.

Misce. In eosdem usus.

Cataplasma suppurans, ad bubonem venereum.

R. Ficus molles, maturos ad libram semis.
Mellis recentis uncias duas.
Galbani in vitello ovi soluti unciam unam.

Fiat secundum artem cum aqua coquendo Cataplasma.

Pulvis depurans, ad bubonem venereum apertum.

R. Pulveris foliorum siccatorum scordii uncias duas.
Vitrioli albi drachmas duas.
Aloes drachmam unam.

Misce. Fiat Pulvis. Aperto ulceri, deterso prius, inspergendus ad depurandum.

APHOR. 1462.

R. Emplastri de Meliloto,
Diapompholigos, singulorum quod suficiat.

R. Emplastri Vigonis cum Mercurio duplicato quod suficiat.

Extensum ad alutam exhibe.

APHOR. 1463.

R. Mercurii sublimati drachmam unam.
Aquæ calcis vivæ uncias duas. Misce.

Hac Aqua tangantur lenissime una vel altera vice.

Dein fiat aucta copia aqua calcis sensim lenior.

APHOR. 1466.

Fomentum detergens, antisepticum.

R. Foliorum recentium Scordii,
Absinthii, Alliariæ, Rutæ, Rorismarini, singulorum manipulos duos.
Florum recentium Tanaceti,
Centauræ minoris,
Cardui benedicti,
Singulorum manipulum unum et semis.
Radicis Imperatoriæ,
Hellebori nigri, singulorum unciam unam.

Cum aqua decoctis libris quinque admisce
Saponis veneti unciam unam et semis.
Hoc fomento pudenda depurentur.

R. Mellis Rosarum uncias quatuor,
Mercurii sublimati corrosivi drachmam semis,

Aquæ stillatæ rutæ uncias decem.
Misce. In eundem usum.

APHOR. 1468.

Decoctum diluens, aperiens, ante salivationem sumendum.

R. Radicis Graminis, Chinæ, Sarsaparrillæ, singularum uncias duas.
Hordei mundati drachmas sex.
Glycyrrhizæ unciam unam et semis.
Cum aqua decoctas spatio duarum horarum libras tres exhibe.
Bibat de hoc Decocto uncias quatuor omni hora diei.

APHOR. 1469.

Bolus sialogogus.

R. Mercurii dulcis triti grana novem.
Fiat una dosis.

APHOR. 1473.

Clysma purgans, salivationis impetum minuens.

R. Foliorum Sennæ unciam unam.
Agarici drachmas quatuor.
Seminis carthami drachmas duas.
Radicis Jalappæ drachmam unam.
Cum aqua decoctas uncias duodecim injice pro clysmate.

Haustus purgans in eundem finem.

R. Diagrydii grana quindecim.
Syrupi Rosarum solutivarum cum senna drachmas sex.
Misce. Pro una dosi.

R. Diascordii Sylvii grana viginti quinque.
Fiat una dosis pro sudorifero.

APHOR. 1474.

Pulvis anodynus, ad fluxum alvi à salivatione cohibendum.

R. Laudani puri grana tria.
Corali rubri drachmam unam.
Sacchari perlati drachmas duas.
Misce. Fiat pulvis tenuissimus dividendus in sex doses æquales.
Capiat unam omni quadranti horæ, donec sedentur dolor Alvi, et Diarrhœa.

Vel Mistura anodyna et diaphoretica in eundem finem.

R. Diascordii Sylvii drachmam unam.
Syrupi Diacodii drachmas duas.
Aquæ stillatæ corticis citrei uncias quatuor.
Misce. Capiat unciam semis omni quadrante horæ, donec sedentur modo dicta.

R. Theriacæ Andromaci uncias duas.
Extensam ad alutam applica Abdomini in usum eundem.

RACHITIS. (*a*)

1480 Medio fere labente seculo decimo septimo, in mediterraneis Britanniæ primo, deinde per totum hoc regnum, denique et per omnia Europæ borealis loca, ortus est morbus novus (*b*), hodie frequentissimus, qui *Rachitis* appellatur.

1481 Infantibus ille nunquam (*c*) connatus, raro ante nonum ætatis mensem, vix unquam post biennium vitæ, sed spatio hoc medio frequens, accidit.

(*a*) Sauvagesius Class. X. Ord. IV. Gener. 18. *Rachitis*. Species: nodosa seu incipiens Boërha. (Aphor. 1485.) britanica seu confirmata Glissonii, strumosa, elephantiaca, à castratione.

Cullenius Class. IV. Genere. 83. *Rachitis*. Character: caput magnum anterius maxime tumens; genicula tumida, costæ depressæ; abdomen tumidum; cætera marcescentia. Species eædem: sed *à castratione* orta pro morbo haberi non potest.

(*b*) An Rachitis morbus novus sit, an Antiquis cognitus, dubitatur. Dicitur *Rachitis* quoniam Spina, quæ *Rachis* græce dicitur, vel debilis, vel deformata in hoc morbo apparet semper. *Glissonius* una cum aliis septem Medicis omni cura hunc morbum examinaverunt. Utinam in omnibus morbis ingruentibus simile quid fieret.

(*c*) Glissonius et Socii hunc morbum aliquando connatum observaverunt, et ideo letalem pronuntiavere, addentes: Quo citius à partu evolvitur periculosior censendus.

1482 Maxime autem infestus habetur proli, cujus parentes (*a*) laxæ et debili conditione corporis; otiosi; molles; opipara mensa, cibis pinguibus, saccharatis, pauco pane, vinis dulcissimis, et aqua multa calida, usi; morbis chronicis, venere, ætate, exhausti, Tabi in primis venereæ, et iteratis gonorrhœis, multum obnoxii; effœtam ferme genituram impenderunt generandis liberis.

1483 Ubi vero nutricem (*b*) iisdem affectam malis nactus est, magis augetur infanti præcoci incremento morbus.

1484 In primis si frigidius, humidiusque, tractatur, aquosis, mucosis, crudis

(*a*) Minime potest dubitari parentes ita constitutos inertes proles procreare, matres præsertim, si præter ista scrophulosæ sint. Conformatio originalis pueri: status particularis fluidi nervei tamquam causæ proximæ proponuntur, in quas prædicta parentum constitutio indubitato influit. *Saccharata*, et *aquosi potus* unice ob abusum noxia. *Tabes venerea*, licet à Rachitide diversa sit, proles debiles, effœtas, languidas producet, rachitidi præprimis obnoxias.

(*b*) Lac Labes veneream, scorbuticam, scrophulosam, cancrosam admittere valet. Infelix pusio! Lues scrophulosa per tumores in collo; labium superius et columnam nasi tumidam, faciem floridam, cutim levem, tumidum abdomen indicatur. Super ista lue docta extat Dissertatio à D. Baumes conscripta, cujus compendium apud Cullenium hispanum in Num. 1759. videri potest.

horæis, piscibus, farinosis azymis, et saccharatis, pascitur; febre autumnali intermittente, morbo chronico, vel acuto, diu laboravit, à scabie, herpete, ulceribus, suppressis male curatus; balneo, fotu, linimentis, unguentis, vaporibus humidis, enervatus; perpetuæ quieti in sella perforata addictus, nudato inferius corpore. (*a*)

1485 Cognoscitur morbus hic incipiens in his, qui nondum incedunt, 1. ab ætate. 2. à causis prægressis. 3. à fratribus, sororibus, simili (*b*) malo captis. 4. à tumore flaccido capitis, et faciei. 5. à cute laxa. 6. à tumore abdominis. 7. à macilentia reliquarum partium, in primis musculorum. 8. à protuberantia epiphysium ad juncturas radii, ulnæ, humeri, genu, tibiæ, fibulæ. 9. à magnitudine arteriarum, et venarum jugularium, dum reliquæ decrescunt.

(*a*) Rachitis hic descripta illa est absdubio, quæ pauperum tabernas pulsat. Pueri generosi aliter educantur. Hi rachitici à parentibus præsertim hæreditatem istam infausto nanciscuntur.

(*b*) Mater scrophulosa undecim proles Rachiticas peperit ex J. Petr. Buchner in Disputat. Med. *de Rachitide perfecta, et imperfecta.* Dubitatur an morbus iste contagiosus sit? Glissonius non videtur multum alienus fuisse à contagii suspicione. In ultimo stadio, quo putredo, fœtor, alcali . . dominantur, valde suspectus est. Ossa, præsertim *epiphyses* in morbo isto afficiuntur. Osteogenia huc ex Physiologia advocanda. Chemia

1486 In illis vero qui jam ambulare inceperunt noscitur adveniens malum. 1. ex omnibus antecedentibus. 2. ab incessu tardiore, infirmo, prolapsu, instabilitate, transeunte in assiduam sedendi voluntatem, mox abituram in decubitum perpetuum, tandemque in impotentiam motus quorumcunque artuum, collo flexili, capite nutante. 3. ab ingenii præmaturo acumine (*a*), sensuum sincero exercitio, appetitu et digestione ferme illæsis.

1487 Adultior (*b*) morbus exhibet magnum caput, suturis amplis interstinctum; Thoracem ad latera compressum, ad sternum in acutum assurgens, cum nodosis

recens etiam consulenda : præsertim *Hygrologia corporis humani* Jos. Jac. Plenck, quæ *Doctrinam chemico physiologicam de humoribus et etiam ossibus corporis humani* exactissime atque recentissime pertractat (Edit. Lovan. An. 1797.)

(*a*) In aliquibus stupiditas observatur à sero extravasato in calvariæ cavo. Morbus iste cum hydrocephalo frequenter complicatur. Viscera abdominalia, licet mole aucta, satis sana manent; hinc non mirum quod illorum actiones, nempe appetitus et digestio in morbo incipiente saltim maneant satis integra.

(*b*) Morbus iste oritur circa sextum ætatis mensem, et ad tertium annum ut plurimum perseverat ; rarius ad sextum, rarissime ad duodecimum, et amplius rarum est, totam vitam comitari. Ita Sauvagesius. Inter effectus seu morbos, quos creat maximi sunt *spina ventosa*, seu dolor

costarum extremis ; abdomen protuberans; cariosos cum nigritudine dentes ; quæ sensim aucta sæpe in omni vita perniciosos similes morbos creant , maxime spinam ventosam , et cariem ossium.

1488 Toto interim decursu mali lenta febricula depascitur corpus usque in mortem ; tumque cadaver omnes fibras , membranas , vasa , viscera , mollia , flaccida, humores solutos (*a*), mucososque , exhibet.

Quare causa proxima mali cacochymia

profundus (ostocopus) in ossibus tubulosis ut tibia , peronæo , femore , à medulæ et periostei interni rosione oriundus cum ossis ipsius intumescentia , et exostosi ; et *caries ossium*, seu eorum exulceratio , corrosio , sive corruptio.

(*a*) Cadavera rachiticorum mollia , calidaque longo satis tempore manent. Calor ab *humoribus solutis* , seu alcalinis et putrefactis sustinetur: quousque ad ultimum putrefactionis gradum perveniant , quod non nisi diutius post mortem contingit. Mollities *à muco acido* et superabundanti texturam firmam ossium , partiumque aliarum firmarum inhibente deducenda.

Causa proxima hujus *mali* , ut aliorum morborum causæ proximæ , obscurissima est. *Conformatio originalis pueri* Cullenii : *status particularis fluidi nervei* Bosquillonii apertiores non sunt *Cacochymia inerti* , *mucosa*, *frigida* , *vapida* Boerhaavii. Cacochyimia ista à prava corporis constitutione et imperfecta digestione alimentorum maxima parte acescentium nata , *acida* necessario est , et ita hujus morbi causa. Partes enim terreæ ossium acidis corrosæ disolvuntur , cum

iners, mucosa, frigida, vappida, latente forte leni labe venerea permista, cum laxa partium firmarum fabrica.

1489 Curatio optima fit: Cibo levi, eupepto, sicciori, minus pingui, aromatibus mitioribus condito, sæpe dato, et copia moderata. Potu pauco, meraco, ex Cerevisia (*a*) in primis non veteri quidem,

eorum firmitas à materia terrea alcalinis consolidata pendeat. Cacochymia inquam ista seu *mucus acidus*, ossium, seu *partium firmarum* firmitatem minuunt, et fere destruunt. Mucus istè utpote corpus fermentescibile tractu temporis ex fermentatione acida in alcalinam fermentationem transit, ut cuivis notum.

Boerhaavius ipse postquam in Elementis Chemiæ dixerat, et demostraverat terrea acidis mista in aqua esse solubilia, et insolubilia in alcalinis salibus, concludit tandem: *utique, quando vis mutandi acescentia in alcalia in corpore humano defficit, ossa tum, cartilagines, dentes, ligamenta laxa, debilia, mollia, flexibilia redduntur ut in rachiticis animadvertitur quotidie.* (Tom. I. De *Menstruis* dictis in Chemia, circa finem. pag. 391. Edit. Paris.)

Labes venerea latens unice à Boerhaavio proponitur dubitanter et indecisse; ideo utitur particula modestissima, tanto viro propria et communissima *fortè*. Unicè monendum Glissonium cum Sociis observasse *pueros nonullos unguentis mercurialibus illitos ad necandam scabiem in hunc postea morbum incidisse* (De Rach. Cap. 16.)

(*a*) Cerevisiæ, quæ rachiticis commendantur non sunt fermentatæ, sed saturatæ admodum

at diu cocta, et spissa. Aëre sicco, et calidiusculo. Vestitu accurate sicco, calefaciente, ex lana præprimis confecto. Decubitu super storeis ex aromaticis, roborantibus, exsiccantibus, herbis factis, in

substantia nutriente frugum, ita ut cibi potabiles dici mereantur. Mumma Brunsvicensis quæ adeo spissa est ut Cereris extractum liquidum vocari posset, commendanda. Vina austera præferenda. Vinum hippocraticum ex vino generoso, cinamomo et Saccharo confectum et per manicam Hippocratis colatum præferendum. *Frictiones* optimæ. *Cantharides*, sive in emplastro, sive in tinctura exterius applicandæ, utilissimæ. Fonticuli forte præstantiores. Inter secundam et tertiam colli vertebram à Glissonio applicabantur sperante enormem capitis magnitudinem imminuendam fore, superfluam serositatem evacuandam; ossium augmentum nimium impediendum, et nimiam spinalis medullæ humiditatem, quam metuebat, exsicandam. *Vomitoria lenia* saburra præsente administranda. Ad ista atque *purgantia* status viscerum contemplandus. Inter roborantia *Ens veneris* valde laudatur. Remedium istud cum lacte ab Antonio *Benevoli* adhibebatur; sed à lactis usu *Zeviani* abstinere maluit acidam in Rachitide acrimoniam non sine ratione metuens (De Rachitide Cap. 4.) Boerhaavius lactis pro isto morbo non meminit et quidem merito. Præferendum *Ens* ex limato ferro cum æquali copia salis Ammoniaci ita præparata ut in officinis *Flores salis Ammoniaci martiales* vocentur. Enti veneris ex cupro infensissimo Boylei præferendum. De illo dixerat Boerhaavius: *est medicamentum mirifice instaurans, calefaciens, aperiens.* (Elem.

elatiori ædium parte ; supra tabulata lignea. Gestatione, concussione, oscillatione, vectione in rheda super strata viarum, frictione multa, calida, sicca, pannis fumo aromatum perfusis instituta maxime

Chem. Tom. II. Process. 169.) Istud dicendum etiam *Ens Martis*, *sal ammoniacum martiale*. Van-Swietenius impense laudat *Tincturam vitrioli martis auream* ex vitriolo martis et spiritu salis marini dulcis confectam (Boerhaavius Proces. 166.) cujus paucæ guttæ vino hispanico exceptæ jejuno datæ instaurant, et vires excitant. Hanc aliqui crediderunt esse veterum chemicorum *Aurum potabile*. „Pane biscocto, (ait hic van-Swieten), „cerevisia meraca, generosa, nec „acida, nec inebriante numerosos rachiticos me „curasse lætus recordor, dum hujus tincturæ „quandoque tantum tres vel quatuor guttulas da„rem semel, vel bis de die in adultioribus." Tinctura vinosa et martialis corticis peruviani utilissima censenda.

Inter remedia huic morbo convenientia numeratur Radix *Rubiæ tinctorum* quoniam ingesta animalibus, illorum ossa tingantur rubro colore, sed experimenta indubitata adhuc dessunt ex Petr. Jon. Bergius, qui addit ossa Rubia tincta magis quam alias fragilia esse experimento in columbis Rubia enutritis, quod fecit clar. *Duhamel*. Hinc Boerhaavius hujus radicis mentionem non facit. Ill. Bassian. Carminati eandem istam *Rubiæ* radicem parvi pendet. *Osmundæ regalis*, seu *Filicis floridæ* radix, quantumvis amaricans eodem talo incedit ex eodem. (Hygiene, Therapeutice.. Vol. II. Part. I. Cap. V. N. 732. et 738.

ad abdomen, et spinam. Cantharidum iterata quandoque applicatione, vomitoriis lenibus aliquoties cum prudentia repetitis. Purgantibus deinde roborantibus per aliquot dies successivos adhibitis. Denique usu diu continuato medicamentorum roborantium, exsiccantium, antiscorbuticorum, et spiritus excitantium. An et immersio in frigidam prodest? an linimenta? et quæ?

Immersio in aquam frigidam inter roborantia numeratur. Joan. Floyer eam contra Rachitidem commendavit, imo credidit inter causas Rachitidis, novi morbi, neglectum balnei frigidi esse numerandum. Subita tamen hæc refrigeratio non leviter mutat corpus. Infantes annui terrentur subito illo frigore. An tuto hoc tentari poterit in recens natis? Id rogat van-Swietenius, qui ita concludit: »unde videtur morbus non »adeo facile tolli hac methodo, et cura per tutio»ra cum optima spe tentari potest." *Linimenta* si aliquem usum hic habere possent deberent esse ex aromaticis, amaris, roborantibus, vino.. nullo, vel parvo pingui addito.

In Annalibus chemicis Lavoisieranis T. XVIII. pag. 113. Mense Augusti, Ann. 1793. extat Analysis Dissertationis à Medicinæ Professore Bonhomme exaratæ: *sur la nature et le traitement du Rachitis* lectu dignissima. Ejus *theoria* hæc est: Natura morbi rachitici pendet à productione acidi cujusdam naturæ fere vegetabilis, et præsertim oxalici; et etiam ex defectu acidi phosphorici, animalis etiam dicti, cujus combinatio cum terra calcarea animali format basim naturalem ossium, et illis soliditatem impertit. Acidum illud Oxali-

cum Acidum *Rachiticum*, seu rachitim faciens etiam nominatur, quoniam phosphas calcareum destruendo, ossa mollescunt.

Praxis ab isto Auctore propposita consistit in minuenda, seu impedienda productione acidi vegetabilis oxalici, et in reparanda combinatione acidi phosphorici seu animalis cum base ossium, terra nempe calcarea animali, à qua horum soliditas dependet. Ad minuendam productionem acidi oxalici lotiones alcalinæ super partes rachiticas conveniunt; ad reparandum acidum phosphoricum et sustinendam ejus combinationem cum terra calcarea animali, seu eam reproducendam phosphas calcareum vel solum, vel simul cum phosphate de soda interius assumendum.

Nonne ad impediendam productionem et abundantiam acidi illius vegetabilis.. acidi phosphorici et ipsius consistentiæ ossium destructoris, alimenta non acescentia, sed alcalescentia propinanda? An *ostracodermata* in pulverem trita bis vel ter de die ad scrupulum exhibita ab Ill. de *Haen* in hoc morbo adeo celebrata ad idem deservient? Ita videtur. Legenda sedulo inquam Dissertatio ista, et serio pensitanda, atque promovenda pro malo isto hucusque fere indomabili cicurando, atque sanando. Malum vertebrale, seu vertebra intorta atque tumida, rachitidi analogum remediis iisdem cedit. Caries ossium, spina-ventosa, scrophulæ.... an iisdem remediis debellanda? Ita Dissertationis prædictæ Auctor confidenter expectat.

APHOR. 1489.

Cibus optimus.

1. Panis bene fermentatus, biscoctus, cum admisto pauco Croco, Nuce myristica, cardamomo, Cinnamomo, semine Celeri, atque similibus gratissimis, et roborantibus aromatibus.

2 Caro Columbarum, Gallinaceorum, Cuniculorum, ovilla, hœdina, vitulina macilentior, leniter assa, minutim incisa; dein intermisto pane biscocto, sale, et pauco petroselini, thymi, nucis myristicæ, aut similium parata.

3 Oryza, Milium, Hordeum, cum aqua, et Ubis passis cocta; dein cum pauxillo vini, et leniorum aromatum condita.

Potus optimus.

Vinum gallicum maturum, rubrum, adstringens, ter, quaterve de die ad unciam unam exhibitum.

Vinum Hippocraticum ita datum ad unciam semis eodem tempore.

Cerevisiæ recentes ut
- Mumma Brunsvicensis.
- Ale Britannorum.
- Cerevisia Batava, quæ duodecim florenorum pretio venalis.

Archivo y Biblioteca Artxibo eta Bibl

Hisce æstivo tempore æqua portio aquæ ferratæ medicatæ admisceri potest, in primis vero Acidularum Spadanarum.

Pulvis Aromaticus roborans, exsiccans, pro Lectulo, et Pulvinari roborante.

R. Foliorum recentium in umbra siccatorum Filicis maris libras tres,
Majoranæ,
Melissæ, Menthæ singulorum manipulos duos.
Florum recentium in umbra siccatorum
Meliloti, Trifolii odorati,
Sambuci,
Rosarum, singulorum uncias duas.
Terantur in Pulverem tenuem, misceantur duplo tanto Paleæ Hordei atque dein his linteo immissis fiant Lectuli, et Pulvinaria, quibus incumbant, quique ab humido rite defendantur, et sæpe exsiccentur.

Similis pro suffimigio.

R. Benzoini, Mastiches, Olibani, Succini, Turis, singulorum unciam unam.
Misce. Fiat Pulvis.
De hoc pulvere insparsum parum prunæ fumet, super hoc fumo Panni lanei detenti, fricandis partibus adbibeantur.

Haustus emeticus, mitior, pro Infante.

R. Radicis Ypecacuanhæ scrupulum unum.
Vini albi Gallici unciam unam.
Sacchari drachmas duas.
Infusa totam noctem, depurata exhibe mane.
Hoc repetatur quarta quaque die, in vicem quintam.

Similis purgans, et simul roborans.

R. Rhei electi unciam semis.
Mirobalani citrini sine nucleis drachmas tres.
Agarici trochiscati scrupulos duos.
Infundantur frigida cum cerevisiæ fortioris libris quatuor.
Post vigintiquatuor horas paratus erit potus, quo utatur pro familiari quotidiano, spatio quatuor septimanarum.
Si vero nimis inde purgetur, æqua copia cerevisiæ alterius dilui poterit, aut etiam majore, si usus indicat.

Herbæ roborantes, siccantes, excitantes, antiscorbuticæ, Rachitidi sanandæ propriæ.

Agrimonia
Betonica.
Capparidis cortex ex radice.
Ceterach.
Cichoreum.
Cuscuta.
Diapensia.
Endivia
Filix mas.
Hepatica.
Lingua cervina.
Melissa.
Myrobalani pruna.
Osmunda Regalis.
Polypodium.
Quercus folia, glandesque.
Rhabarbarum.
Rubi folia, et radix.
Ruta muraria
Scabiosa.
Tamarisci cortex, flores, folia.
Trichomanes.
Veronica.

Ex his cerevisiæ, vina, infusa medicata parari queunt, maximo cum fructu aut et *Condita*, et similia componi ex. gr.

Cerevisia medicata excitans, roborans siccans.

R. Agrimoniæ, Ceterach, Filicis radicis, Linguæ cervinæ, Polypodii radicis, Rutæ murariæ singulorum uncias duas.
Minutim scissa, mista, linteo immissa infundantur frigida cum libris duodecim cerevisiæ.
Utatur pro potu communi.

Vel vinum ex similibus.

R. Foliorum, et Florum Betonicæ uncias tres.
Corticis radicis Capparidis
Tamarisci, Rubi sylvestris.
Trichomanis, sigulorum uncias duas.
Limaturæ Martis unciam semis.
Cum vini libris octo in frigore infusa adhibeantur, ter de die ad unciam unam.

R. Entis Veneris Boylei grana duo.
Exhibe vesperi, ex vino canariensi quotidie, spatio trium septimanarum.

Tinctura martialis, roborans.

R. Limaturæ Martis unciam unam.
Aceti stillatitii acerrimi uncias decem.
Sacchari uncias tres.
In Phiala alta ebulliant leniter spatio viginti quinque horarum, filtratus liquor servetur vase clauso.
Dentur guttæ sex bis quotidie, horis medicis, ex pauxillo Vini Hispanici.

RHEUMATISMUS. (a)

1490 Arthritidi, podagræ, scorbutoque, agnatus (b) morbus frequentissimus deprehenditur, qui *Rheumatismus* appellatur.

(a) Sauvagesius Class. VII. Ord. I. Gener. 3. *Rheumatismus.* Species: acutus, vulgaris seu chronicus, arthriticus, scorbuticus, febricosus (febris intermittens rheumatismum simulans), metalicus (pictoribus, deauratoribus, communis).

Cullenius Class. I. Ord. II. Genere 22. *Rheumatismus.* Character: „Morbus ab externa, et „plerumque evidente causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum „vel manuum articulos, infestans, calore exter„no auctus." Species: variæ, sed præcipua est: acutus hic descriptus, et chronicus illius sequela quem *Artrhodyniam* vocat. Varietates sunt: Lumbago, Ischias, Pleurodyne, quæ in varias species symptomaticas distribuuntur.

(b) Arthritis veterum, et Rheumatismus Recentiorum fere nihil diferunt inter se: à Podagra, Lumbagine, Ischiade parum: ab Scorbuto et Lue venerea amplius distinguntur. An per verbum *agnatus* Boerhaavius intelligit hos quatuor morbos ab eodem patre, hoc est, ab eadem causa provenire?

Distinctio rheumatismi à podagra, quod ille à causa externa, hic sine ista; ille inopinato, iste dyspepsia præcedente; ille in articulationibus amplioribus, iste in angustioribus; ille universalior, iste particularior; ille semel plerumque,

1491 Quem antecedunt temperies sanguinolenta labe acri(*a*)infecta, ætas mascula, victus lautior, calefacto corpori subito admissum frigus, autumnalis tempestas, perspiratio prohibita, diathesis inflamma-

iste variis repetitionibus excrucians . , an valde consideranda?

Præter species propositas considerandæ : primigenia, seu idiopatica, et symptomatica, et anomala. De malo isto symptomatico et anomalo doctissime tractavit *Guilhelmus Musgrave* duabus Dissertationibus exactissimis, quæ in editione Sydenhami Operum Venetiis Ann. 1735. in folio extant.

(*a*) Urina in hoc morbo tenuis, pallida et insulsa indicat labem acrem in sanguine remanere. Subitum frigus perspirationem prohibens rheumatismum non produceret nisi labes aliqua acris intus præextiterit. Rheumatismus acutus febrem habet comitem, licet præcipua mali sedes in sero forte, et in lympha sanguinis hæreat. Inter partes internas, quas aliquando obsidet materies rheumatica vaga, sunt renes et vesica urinaria, unde mala nephritica, et tenesmus dolentissimus vesicæ similis illi dum calculus à rene descendens per ureterem exitum molitur. Areteus de re ista loquens jam dixerat : *item communicatur renibus et vesicæ. O rem admirabilem* (De causis, et signis Morborum diuturnorum Lib. II. Cap. 12.) Quandoque rheumatismus dolentissimus sine *tumore et rubidine loci* saltim in initio quandoque observatur. Aliquando periodice recurrit ut symptoma febris intermittentis, qua sociari solet : nisi hoc intelligatur de rheumatismo podagra frequentius repetente.

toria lentior cruore pleuritico se manifestans. Cum febre continua incipiens, dolorem creat atrocissimum, dilacerantem, ad minimum motum sævissime auctum, diu in uno loco fixum, juncturas quorumcunque artuum obsidentem, cæterum genubus magis infestum, lumbis et coxendici, quandoque cerebrum, pulmones, viscera, excruciantem, cum tumore et rubedine loci, periodico itu et reditu.

1492 Si durat, et augetur (*a*), sæpe post atrocissima tormenta articulum motu privat, anchylosin creat, vix ulli cedentem remedio. (362)

(*a*) Hoc accidit quoniam principiis . . *Medicus non restitit*, ut ibidem ait Areteus. Estote parati, cauti, atque sagaces TIRONES OPTIMI ne vobis, et quod pejus est, vestris ægrotantibus ista accidant infortunia. Væ illis, si qui sunt, qui tota die occupati, *manus* habent non ut libros arripiant sed honoraria; ut indecoro NITORI corporis à capite ad calcem deserviant . . *pedes* non ad vissendos festinanter ægros, et quavis hora quantumvis intempestiva; sed ad choreas, venatum . . *oculos* non ad lustranda ægrotantium infortunia, sed ad lusus, spectacula, Libros alienos, et fortasse pessimos heu! Isti quo provectiores . . indoctiores, stupidiores sunt, et quod pejus procaciores, insolentiores . . Væ illis inquam, quantumvis versutis, simulatis, et malis artibus opulentis, et quamvis de illis verificetur quod eos

. . . . . *Summa ad fastigia rerum*
Extollit quoties voluit fortuna jocari.

1493 Causa proxima ejus videtur inflammatio in arteriis lymphaticis membranarum, quæ ad ligamenta juncturarum, non tam sæva ut in suppurationem (*a*) eat. Curatur missione sanguinis; purgatione antiphlogistica repetita et semper vesperi per narcoticum sedata, balneo leni, tepi-

(*a*) Terminus hujus inflammationis rarissimus est *suppuratio*, sed quandoque formatur abscessus in parte affecta, vel in vicinia. Præterea in illis partibus, quas rheumatismus occupat et vera phlegmone nasci potest. Hæc duo mala sedulo distinguenda, nam error erit periculosus. In primis talis error metuendus videtur in ischiade, ne abscessum comitantes dolores pro rheumatismi crutiatibus habeantur. Hippocrates ipse in ista diagnosi erravit in ischiade Eupolemis (Epidem. Lib. V. Text. 5.) „Si ergo Hippocrates (ait hic „van-Swieten) uti ipse ingenue fatetur errare po„tuerit, in tali casu infausto quanta cura indi„gebunt omnes Medici ne ipsis simile quid contingat? *Sanguinis missiones* in isto morbo ab aliquibus audacter repetuntur. Sydenhamus primo methodum istam profusissime sequebatur; postea minorem sanguinis copiam detrahebat, ita ut duas, vel tres venæ-sectiones imperabat, et postea catharticis repetitis rem totam absolvebat, et tandem pharmacopœum graviter rheumaticum solo sero lactis, ac pane pro nutrimento dato curavit feliciter absque ulla sanguinis missione. Revera æger iste debilis valde erat, alias venæsectio fuisset instituenda (Sect. V. Cap. 2.) *Narcotica* aptius *Anodyna* die, quo purgatio administratur vesperi conducunt. Aliqui ad morbum istum levandum *vesperi* anodyna consulunt, seu

do, fomentis antiphlogisticis loco affecto applicatis; Vesicatoriis validioribus, et Cauteriis; Medicamentis summopere diluentibus atque emollientibus simul; Victu tenuissimo; Quiete; Tepore lecti, et ad finem curationis frictione sicca, cali-

noctu; sed cum in omnibus fere ægris febre arthritica, aut rheumatica affectis febris et dolores circa vesperam augentur, datum tum paregoricum semper male cedit. Mane igitur in doloris remissione si ægri perstant vigiles et debiles, tunc paregorico eis conciliatur somnus tranquillus et refficiens, et vel mitior redditur exacerbatio, vel ægri redduntur aptiores ad eam licet validam sustinendam. *Balnea* . . *tepida* optima: frigida ab Hombergio et Floyero laudata vitanda. *Vesicatoria* præmissis præmittendis, optima sunt. Per ea morbi materies vel educitur, vel locum mutat, sicque pars affecta dolore liberatur. Hæc identidem repetenda et post seri evacuationem exsiccanda. *Cauteria* in inveterato morbo, et aliis remediis frustra tentatis applicanda. Suppuratio, quæ ista sive actualia, sive potentialia sequitur continuanda; ulcere enim inustionem semper sequente via paratur materiæ morbosæ penitus extinguendæ. Hinc usus Moxæ, vel lanuginis foliorum Artemisiæ. Cicuta et Aconitum ab Storkio laudantur. *Medicamenta sumopere diluentia* . . et reliqua in initio rheumatismi inflammatorii efficacissima. Larga copia decocti avenæ cum nitro affatim hausti efficacissimum. *Victus tenuissimus* adhibendus. Boerhaavius dum exquissitissimis hujus morbi tormentis discrutiaretur solo lactis sero vitam sustinuit per dies duodecim satis constantibus corporis viribus. *Frictio sicca* . . optima.

da, una cum usu antiscorbuticorum.

1494 Si lumborum sedem occupans LUMBAGO (*a*) rheumatica, si coxam ISCHIADICUS vel COXARIUS dolor audiens, eadem methodo, licet paulo difficilius curatur.

Indusium laneum super partem affectam ad id continuo gestatum utilissimum. *Antiscorbutica* . . inter quæ *trifolii aquatici succus* eminet inclinante morbo, et febre cum tumoribus circa articulos, præstantia et necessaria.

Præter remedia in Aphor. indicata pro *Materia Medica* à BOERHAAVIO omissa addenda: Decoctum edulcorans, Fulleri, Lac asininum, Syrupus antirheumaticus, camphora, vomitoria, Aquæ minerales, Stuphæ . . An *Aroph* Paracelsi, seu extractum Croci ope alcoholis paratum? An vitri Antimonii infusum ex vino albo generoso? An vis electrica? Hæc prudentissime consulenda.

(*a*) Muscularis quæ in lumbis locatur fabrica, nervi ex medulla spinali orti, vertebræ dorsi, expansiones tendinosæ, coxæ articulus profundus musculis validis tectus, nervi ischiadici adeo magni, &c. facilè demonstrant ingentes molestias à rheumatismo in iis locis exspectandas esse, ob causam etiam profundiorem, et curam licet fere eandem cæteris paribus difficiliorem, et longiorem.

Dolor ischiadicus magis particularem exigit attentionem. Hippocrates ait: *cum ischias fit dolor coxæ conexionem invadit et extremam natem et lumbum; tandem vero per totum etiam crus dolor deerrat.* (De Affection. Cap. VIII.) Cotunnius has duas ischiadis species proposuit: 1. in qua dolor fixus in coxa: 2. in qua continuo tractu propagatur in pedem, utraque potest esse *antica*,

1495 Hinc apparet morbi hujus frequentia (*a*), varia admodum facies, summum periculum si cerebro vel pulmoni incubuerit, maxima difficultas eum hic detegendi, discrimen in quod præcipitat calidiorum usus, vel præmatura narcoticorum exhibitio.

vel *postica*. Hæc *ischias nervosa* ab eodem appellatur, cujus de ista Tractatus ab omnibus legi meretur. Antiqui, qui istam etiam cognoverunt acerrima applicabant. Cotunnius vesicatoria repetebat quousque excitata vesica serum funderet tenacissimum, glutinique par, quo ischias licet vetustus evanescit. Cotunnius pertinaciam hujus morbi considerans, suspicabatur causam hærere in nervis, eorumque vaginis. In his considerabat vasa è quibus tenuis lympha secernitur, et quæ nisi vasis bibulis resorveatur, acumulatur inter vaginam et nervosa filamenta inclussa hinc in ista comprimuntur, illa distrahitur, ex quibus dolor, qui acrior, et contumacior si lympha acrimonia peccet. Sed ista hypothesim redolent.

(*a*) Quandoque epidemico modo grassatur rheumatismus. Agnatio cum scorbuto . . sufficit, ut instar Prothei ludat iste morbus. Quando prius articulos occupat malum istud, levatur subito, et pulmo vel cerebrum afficitur, metastasis timenda. *Calida* in rheumatismi initio nocentissima. *Narcotica*, in manu indocti precipitis, et arrogantis Agyrtæ, ensis sunt in manu furiosi terrifici atque tremebundi, nedum in hoc morbo, sed in aliis plurimis, in quibus isto remedio alias energico atque salutifero turpiter, criminaliter, truculenlenter . . abutuntur Agyrtæ pessimi!

FINIS.

APPENDIX

IN QUA MORBI ALIQUI

A BOERHAAVIO OMISSI IN COMMODUM

TIRONUM APPONUNTUR.

TUSSIS VEL CATARRHUS.

1 Tussis est vehemens et convulsiva expulsio materiæ irritantis, in cavum pulmonum depluentis ex arteriolis vel glandulis, quæ membranam laryngis, asperæ arteriæ, bronchiorum, et vesicularum pulmonalium irrorant.

2 Distinguitur, 1. In originariam et symptomaticam. 2. In calidam et frigidam; cum priore conjunguntur febrilia symptomata, cum posteriore nulla. 3. In siccam, ubi nulla vel pauca, et humidam, ubi magna adest excreatio. 4. In tenuem et acrem catarrhum; tenacem et inertem. Sedulo distinguendæ et seorsim describendæ sunt hæ duæ species, utpote diversæ, immo fere oppositæ. Prior strictos, posterior laxos adoritur.

3 Acer catarrhus excitatur à frigore subito corpori applicato; ventis humidis et frigidis, Borea in primis et Euro; subitis

tempestatum mutationibus ; regelatione; aëre aquosis particulis repleto ; vestitu humido ; pedum refrigerio ; alicujus partis, sed capitis pectorisque præcipue, denudatione ; prægressis morbis, videlicet variolis, morbillis, &c. Particulis acribus contagiosis in aëre natantibus. Crassum catarrhum inducit quodcunque nimiam seri copiam generat, uti laxa corporis pulmonumque compages ; vita sedentaria ; aër nimis humidus et insularis ; studia nocturna ; et dieta nimis cruda, frigida, et aquosa.

4 Harum causa proxima est irritatio pulmonum à peregrina materia, et motus totius fere corporis convulsivus, ad hujus expulsionem exinde excitatus : omnia enim irritantia, externæ pulmonum superficiei applicata, qualia corpora peregrina, aër particulis acribus repletus, tubercula pulmonum tussim excitant. Tussis vomitui merito assimilatur.

5 Catarrhus tenuis se se manifestat horripilatione, lassitudine, oculis lachrymas effundentibus, et sæpe inflammatis, vultu rubicundo et inflato, dolorifica capitis gravitate, pectoris angustia et dolore, continua faucium titillatione, et solicitudine ad tussim ; præcipue vespertino tempore, nulla vel pauca aquosa excreatione, pedum refrigerio, pleniore urinæ secretione, pulsu citato et plerumque duro, narium pruritu, sternutatione, membranæ

Sneiderianæ inflammatione, et excoriacione, coryza, raucedine, respiratione difficili, hæmoptoe, phthisi pulmonali.

In catarrho tenaci respiratio laborat, pulmones muco spumoso scatent, tussis mane præcipue fatigat, et ejicit materiam viscidam albicantem, vel subflavam, vel cæruleam, et in globulos mucosos adhærescentes sæpe convolutam. Huic superveniunt tubercula pulmonum, suppurationes, tabes, phthisis pulmonalis.

6 Omnia hæc symptomata facillime deducuntur ab acri tenuique, vel inerti et viscida materia vellicante pulmones. Patitur membrana Sneideriana ob communicationem cum membrana pulmones intus vestienti. Omnes thoracis abdominisque partes externæ internæve in nisum convulsivum trahuntur, quia iisdem nervis, videlicet pari octavo et intercostali, ac pulmones, donantur.

7 Tussis sicca plerumque mutatur in humidam; prior posteriore periculosior ob inflammationes, vasorumque rupturas quæ comitantur: hinc melius est siccam in humidam, quam humidam in siccam transire; quia posteriorem subsequuntur sæpe tubercula, febresque putridæ vel hecticæ. Tussis humida digestionem lædit, cachexiamque inducit. Debilibus pulmonibus utraque species incommoda.

8 Hæ diversæ species diversam et fere

contrariam medelam poscunt. In catarrho tenui, 1. Pulmones deplendi venæ-sectione, ductione alvi lenissima, mitissimisque diaphoreticis. 2. Acrimonia materiæ corrigenda, tenuitas inspissanda, et vasa pulmonea relaxanda oleis vegetabilium sine calore expressis; spermate ceti; decoctis mucilaginosis, vel syrupis ex herbis pectoralibus dictis, videlicet tussilagine, althæa, semine lini; leniter inspissantibus, videlicet conserva rosarum rubrarum, balsamo Locatellii, et lacte asinino. 3. Motus convulsivi sedandi opiatis, quæ vires egregie inspissantes quoque possident. 4. Dieta tenuissima, blanda, lactea, cutis bene tecta, quies in initio, et postea lenis motus requiruntur.

In catarrho crasso. 1. Materia avocanda alvi laxitate, emplastris epispasticis, et fonticulis. 2. Attenuanda vomitu, epispasticis, et medicamentis incidentibus et detergentibus, videlicet sapone, scillis, allio, gummi ammoniaco, acidis vegetabilibus. 3. Pulmones corroborandi suffitu exiccante, equitatione continuata, frictionibus validis, præcipue capitis, cum quibusdam calefacientibus, dieta corroborante, et aquis chalybeatis. 4. Opiata, cerevisia, ova, pisces, præcipue saxatiles, nocent ob inspissantem suam naturam.

TUSSIS CONVULSIVA.

9 Est atrocior et magis inveterata tussis species, quæ puerilis, convulsiva vel ferina appellatur. In hac specie continua fit per aliquot minuta ob tussim expiratio; et inspiratio quando advenit perficitur sibilo, stertore, et clangore ob glottidis coarctationem. Parum è pulmonibus rejicitur. Ventriculus sæpe ad vomendum irritatur. Febris supervenit. Sequuntur exulcerationes, hæmoptoe, phthisis.

10 De sede hujus tussis magna inter practicos agitur lis. Quamplurimi è ventriculo oriri autumant, quia pectoralia relaxantia nocent, et stomachica amara prosunt: alii è pulmonibus; nonnulli denique è pharynge et larynge. Prima sententia non firmis stabilitur argumentis; quia oleosa obesse et amara prodesse pulmonibus æque ac ventriculo possunt; neque per consensum affici videntur pulmones, quia tussi sæviente ventriculus sæpe non irritatur. Mihi videtur provenire à majore partium in catarrho communi affectarum irritatione, et majore totius corporis, in primisque ventriculi, laxitate et irritabilitate.

11 Tusses convulsivæ raro periculosæ sunt; nonnunquam tamen suffocationem vel phthisim inducunt. Parum proficiunt

medicamenta donec vires morbi exhauriantur. (Aptius *minuantur.*)

12 In medela conducunt, 1. (*a*) Venæsectio copiosa. 2. Vomitus debitis intervallis repetitus. 3. Purgatio cum rheo et calomelano. 4. Pectoralia attenuantia. 5. Epispastica, ad humores acres è pulmonibus evocandos. 6. Specifica à multis decantata, videlicet muscus pixidatus, succus pulegii. 7. Relaxantia et inviscantia unguenta thoraci externe applicata. 8. Amara et roborantia postea assumpta, videlicet Cortex Peruvianus.

13 Semel mihi contigit videre tussim remittentem, quæ certa hora adveniebat, per horam unam vel alteram instar convulsivæ ægrum agitabat, et dein usque ad eandem horam noctis insequentis cessabat. Omnibus quotquot sunt pectoralibus incassum tentatis, cortice Peruviano, spatio viginti quatuor horarum, feliciter profligata fuit. (*Observatio plana.*)

(*a*) 1. *Venæ-sectio* moderata, præsertim viribus, ut dicitur *exhaustis*, vel *imminutis*, an fortè convenit? 2. *Vomitoria* vix semel prossunt. 3. *Purgantia* adhuc minus. 4. *Pectoralia* potius sint obtundentia, incrassantia, quam *attenuantia.* Nonne mirum videri debet mentionem non fieri de medicamentis paregoricis, tanti hic usus, et emolumenti?

ASTHMA.

1 Asthma est impedita et laboriosa respiratio; haud sine metu suffocationis.

2 Aliud atque aliud nomen, videlicet dyspnoeam, asthma, orthopnæam habet, prout se intendit morbus.

3 Est, 1. vel periodicum, vel continuum. 2. Vel humidum, vel siccum. 3. Genuinum vel spurium: oriri enim potest à calculo vesicæ felleæ; à tumoribus diaphragmatis, hepatis, ventriculi; à pectoris vel pericardii hydrope; à polypo, aliisque causis. De priore solummodo agendum.

4 Elapsa juventute homines, præcipue obesos, adoritur. Magis æstate vel autumno quam hyme grassatur.

5 Causæ hujus morbi remotæ sunt, aër cœnosus, vel particulis noxiis impregnatus; tonitru; animi pathemata magna; variolæ, scorbutus, intermittens, catarrhus; ulcera antiqua cicatrizata, vel evacuationes solitæ, per hæmorrhoides vel fontanellas, repressæ; evacuatio critica erysipelatis, vel podagræ, repercussa; œdematosus pedum tumor repulsus; vulnera diaphragmati inflicta; labes hæreditaria.

6 Causæ proximæ sunt, 1. Obstructio bronchiorum et vesicularum, humoribus crassis, vel tuberculis induratis. 2. Irritatio nervorum respirationi inservientium; et

hinc spasmodica fibrarum annulos cartilagineos bronchiorum nectentium contractio. Primam docet mortuorum inspectio et contemplatio causarum remotarum. Secundam demonstrat asthma, apoplecticos et hystericos paroxysmos, scorbutum, evacuationem acrem repulsam, sequens; sectio nervi diaphragmatici, vel compressio nervorum in occipite hunc morbum inducens; cadavera aperta ubi omnia viscera sana; libera et æqualis respiratio ante paroxysmum.

7 Ita se se habet paroxysmus. Primo, ventriculus, sensu coarctationis præcedente, distenditur, et ructus copiose emittit. Sequitur calor, febris, stupor, capitis dolor, nausea, urina pallida. Pulmones rigescunt, spiritus turbantur, membra torpent, pectus plus solito gravatur, difficile spirat, raucescit. Nocte omnia augentur symptomata. A thorace coarctato, respiratio lenta. Recta cervice spiritum trahit, et ægregie elevat humeros. Vomitus bilis flavæ. Pejus in lecto, melius in aëre frigido, sese habet. Lachrymæ involuntariæ; pulsus parvus, debilis, intermittens; cordis tremor; faciei nigredo et fere suffocatio. Remittente coarctatione, phlegma viscidum, vel dulce, vel salsum, vel putridum, filamentis nigris discriminatum expuitur. Urina nunc colorata sedimentum habet. Cessante paroxysmo, cessat sputum.

Inveterato morbo, tument manus et pedes; febris, præcipue nocturno tempore, infestat; facies livescit. Incidit vel in hydropem, vel consumptionem, vel inflammationem pulmonum, vel lethargum, vel paralysim.

8 Ab orgasmo in sanguine et nervis, actio ventriculi perturbatur, flatusque gignitur. Ab eodem, febris, calor, &c. Sensatio rigescentiæ gravitatisque in pulmonibus, à sanguine ibi accumulato. Ab impletis vel contractis vesiculis, respiratio difficilis et stridor. Respiratio lenta, ob aërem impeditum. Recta cervice spirat, ut eo facilius descendat diaphragma. Humeri elevantur, ut vi majore agant musculi scapulares. Calor lecti auget symptomata. Faciei nigredo et suffocatio provenit á transitu sanguinis per pulmones impedito. Ab actione pulmonum læsa, hydrops.

9 Diagnosis patet.

10 Prognosis prosperior in juventute, quam senectute; in asthmate ab evacuationibus repressis, quam ab aliis causis orto. Quo frequentior et severior accessio, eo pejus. Asthma, in peripneumoniam mutatum, letale. Dispnoea sine incommodo diu durat: orthopnoea senes subito strangulat. Periculosa tremula spiratio, pulsus intermittens, vel deficiens, brachiorum paralysis, syncope, cordis palpitatio, urina pauca. Ad extrema ventum esse, testantur

spiritus parvus, tardus, et frigus; itemque pulsus ex tardo factus nimis creber et debilis.

11 In asthmate humido scopus est, attenuare et evacuare materiam viscidam, novæque generationem impedire. Attenuatio perficitur, 1. Medicamentis attenuantibus. 2. Liquoribus diluentibus. Evacuatio, 1. Vomitoriis. Novæ materiæ generatio impeditur, 1. Purgantibus lenioribus vel diureticis. 2. Fontanellis et vesicatoriis. 3. Cortice Peruviano. 4. Dietæ mucilaginosæ evitatione.

In asthmate convulsivo scopus est, orgasmum spirituum compescere. Perficitur, 1. Constrictionem minuendo clysmatibus, thoracisque fomentationibus. 2. Humores divertendo ad alia loca, frictione, vel fomentatione pedum. 3. Spasmum compescendo opiatis. 4. Antispasmodicis. In sanguinolentis, si sæviant symptomata, phlebotomia levamen præsentaneum adfert. Ad flatulentiam prosunt clysmata spiritum digerentia. Fugato paroxysmo, irritabilitati occurrit cortex Peruvianus.

12 In utrisque conveniunt situs erectus; dieta tenuis parcaque, evitatis flatulentis; aër serenus; thorax haud constrictus.

13 Si è repulsa evacuatione ortum ducat Asthma; expugnandum est diaphoreticis et evacuatione iterum restituta. Si à

noxiis particulis, inviscantibus et veneno contrariis.

14 An prosunt merculialia in asthmate humido? (Vid. Aph.)

IMBECILLITAS VEL RESOLUTIO

VENTRICULI ET INTESTINORUM.

1 Est morbus, quem imbecillitatem primarum viarum nominare licet, qui sedentarios et litteris deditos quam maxime infestat; et, quamvis frequentissimus, attamen tantum non prætermissus, et adhuc fere innominatus. (*An Dyspepsia dicendus?*)

2 Hunc inducunt vita sedentaria; acriora purgantia nimis frequenter usurpata; mæror; nimia ciborum repletio; dieta ex alimentis leguminosis et flatulentis; nimiæ evacuationes, præcipue sanguinis; et morbi prægressi, quales dysenteria, abortus, intermittens, et spasmi primarium viarum; dispositio hæreditaria.

3 An causa proxima est motus peristalticus primarum viarum debilitatus, vel nonnunquam impeditus, et inordinatæ frequentesque duodeni, ipsiusque ventriculi, spasticæ constrictiones? Huic fidem faciunt causæ evidentes, symptomata, medela, et sectiones cadaverum.

4 Adsunt anxietates; præcordiorum

distentiones ; flatus generatio et incarceratio ; sensatio faucium constrictoria et molesta ; lateris , vel sterni dolor ; cardialgia; ructus acidi ; summæ aciditates ; intestinorum, præcipue vacuo ventriculo , erosiones et dolores ; venter nonnunquam constipatus , nonnunquam solutus ; fœces virides; appetitus sæpe auctus ; pulsus debilis , parvus , et tardus ; frequens , sed imbecillis, penis erectio ; animi marcor ; vertigo ; palpitatio ; aurium tinnitus , insomnium; macies.

5 Cibus , qui ex vegetabilibus præcipue componitur , ob defectum motus peristaltici , quietem agens , et calore fotus , in acidam ruit fermentationem ; hinc flatus, saliumque acidorum generatio quæ præcedentia excitant symptomata. Faucium laterisque dolor oritur à consensu cum partibus affectis , interventu octavi paris et intercostalis.

6 Prudens Medicus vix spondeat consummatam medelam hujus morbi ; quia difficillime curatur , et facillime , ob levissimos dietæ errores , recurrit. In nullo versatur discrimine æger quamvis emaciatus , si obligare se legibus vult.

7 Obviam itur , 1. evacuando primas vias vomitu florum chamæmeli decoctione elicito ; et parvis dosibus tincturæ Rhabarbari amaræ. 2. Corroborando has partes medicamentis calefacientibus amaris , cortice

Peruviano, et aquis chalybeatis. 3. Equitatione continua, quæ repetitis succussionibus in partes affectas se se præcipue exerens, præstantissimam operam pollicetur. 4. Dieta ex cibis putrefacientibus, non acescentibus, uti carne, caseo corrupto, &c. 5. Potu ex aqua, vino Maderensi, vel spiritu vini Gallici cum aqua diluti; evitatis omnibus cerevisiæ, excepto *Porter*, speciebus.

8 Prodest perfundi aqua frigida, atque in ea natare, canalibusque ejusdem subjicere etiam stomachum ipsum et id quod contra stomachum est; in aëre quam maxime sicco et temperato degere; extremitates fricare; plerumque in motu esse; et cibos, qui potius difficulter concoquuntur, quam facile vitiantur, assumere. Ergo plerique, qui nihil aliud concoquere possunt, bubulam concoquunt. Utilis est magna salis marini cum cibis copia.

9 Inimicæ sunt omnes evacuationes, præcipue emetica et cathartica repetita; dieta ex vegetabilibus; infusio theæ nimis calida vel diluta; nimia vini vel cibi ingurgitatio; abstinentia; lac ejusque cremor; butyrum, præcipue insulsum; omnia pinguia; opus pistorum; acida, acidæve potiones, qualis illa *Punch* dicta; et pathemata subita.

10 Si cibus non continetur, valent ad comprimendum stomachum cucurbitulæ duobus digitis infra stomachum admotæ;

spongia ex aceto ; cataplasma calefaciens, vel lana succida sicca extrinsecus imposita, et calefacientibus particulis referta ; cibus, semper quam minima copia semel, sed debitis intervallis, repetitus, interposito nonnunquam aliquo minus utili, sed magis grato. Vinum meracum, austerum, frigidum, equitatio lenis ; aquæ chalybeatæ et animus tranquillus.

11 Si coacuit intus cibus, prosunt, præter ante dicta, pulveres absorbentes antacidi ; post peractam digestionem, assumpti.

12 Si vero pituita sola stomachus impletur, leniora adsunt symptomata, videlicet appetitus deletus, inflatio, vertigo, ilpothymia, febris erratica, nausea, vomitus. Convenit per viam superiorem, qua primum expelli potest, ejicere ; equitatione, aliove exercitationis genere, quo superior pars movetur, concuti ; præcordia bene vestita habere ; vinum rubrum neque effuse, neque timide bibere, stomachum tinctura rhei amara. Corticis Peruviani, et chalybeatis roborare ; et poculum satis amplum, ter quaterve die, digestione peracta, ex aqua calcis haurire, qua nihil omnia glutinosa potentius dissolvit.

13 Illud quoque in omnibus stomachi vitiis præcipiendum est, ut, quo modo se quisque æger refecerit, eodem sanus utatur. Nam redit huic imbecillitas sua, nisi

iisdem defenditur secunda valetudo, quibus reddita est.

COLICUS DOLOR.

1 Est acutus intestinorum dolor cum alvo constipata.

2 Distinguitur, 1. In colicam flatulentam, et spasmodicam. 2. In originariam et symptomaticam. 3. In acutam et chronicam. 4. In febrilem et non febrilem.

3 Causæ remotæ sunt pituita vitrea; cibi exsucci, fœces aridæ, vel concretiones lapideæ viam intestinalem obstruentes; bilis acris magna copia secreta; collectio sanguinis in vasis intestinorum; lac acescens; vermes; retentio lochiorum; frigus, vel venter fasciis non ligatus in puerperiis; indoles scorbutica, vel arthritica; fumi saturnini, vel aqua mineram plumbi lavans; venena; diarrhœa, vel dysenteria adstringentibus nimis cito suppressa; calculi per ureterem, vel ductum cholidochum transeuntes; intestinorum tumores, vel glandularum mesenterii abscessus.

4 A spastica intestinorum contractione oritur hic morbus. Elucescit à symptomatibus, cadaverum inspectione, et experimentis in vivis animalibus institutis.

5 Stipatur parva febre; dolore acuto abdomem quasi terebrante; difficili respi-

ratione; cardialgia; nausea, vel vomitu materiæ biliosæ, vel pituitosæ, alvo fortiter constipata; rugitu; appetitu et concoctione læsis; siti; urina biliosa et sæpe obstructa; hernia umbilicali; tensione et inflatione abdominis; singultu, syncope; delirio; convulsionibus; intestinorum disruptione, vel sphacelo.

6 Terminatur paralysi, ileo, profusis sudoribus, hæmorrhagia narium, hæmorrhoidali fluxu, diarrhoea, macularum scorbuticarum irruptionibus, arthriti.

7 Diagnosis inter colicum et nephriticum dolorem oritur à diversitate loci affecti, exacerbatione prioris et non posterioris post pastum, majore alvi constipatione, et urina saturatioris coloris in priore quam in posteriore.

8 Prognosis est prosperior si dolor remittit, neque uno loco infigitur; è contrario periculosa, si in una parte sine remissione sævit, præcipue accedente pervigilio, singultu, delirio, syncope, sudoribus frigidis. Colica inflammatoria vel epidemica pessima est.

9 Medela requirit, 1. Relaxationem spasmorum. 2. Evacuationem materiæ irritantis.

Relaxatio fit, 1. Venæ-sectione, si adsit inflammatio. 2. Clysmatibus emollientibus. 3. Fomentationibus et cataplasmatibus calidis toti ventri impositis; semicupio; cu-

curbitulis sine ferro ventri admotis ; compressione abdominis. 4. Opiatis post materiæ irritantis ejectionem.

Materia irritans evacuatur diversis modis secundum ejus naturam ; bilis acris, purgantibus ; flatus, medicamentis spiritum digerentibus ; particulæ scorbuticæ vel arthriticæ, diaphoresi ; fœces induratæ, laxantibus ; et venena, medicamentis oleosis. Dieta parca, tenuis, et lubricans convenit.

10 Recidivam impediunt equitatio, animus serenus, cibus haud flatulentus, et venter pedesque à frigore et humiditate muniti.

11 Est species hujus morbi quæ *colica hysterica* vocatur. Stipatur acuto dolore in regione ventriculi, vomitu materiæ biliosæ, pulsu celeri debilique, difficili respiratione, dejectione summa, et aliquando delirio. Tollitur opiatis.

CHOLERA MORBUS.

1 Est ejectio materiæ biliosæ superne et inferne.

2 Causæ remotæ sunt alimenta facillime in rancidam vel acidam naturam abeuntia, uti caro suilla, pinguedo, alimenta oleo vel butyro frixa, dulcia, cucumeres, melones, uva, cerasi, &c. medi-

camenta purgantia acriora ; venena ; ira vehemens ; bilis acris.

3 Causa proxima est convulsiva contractio intestinorum tenuium , præcipue duodeni , ab irritatione proveniens.

4 Præcedit nidorosa eructatio ; cardialgia ; morsus , dolorque ventriculi et intestinorum. Tunc æger corripitur ejectione ex alvo et ventriculo materiæ biliosæ viridis, flavæ , nigræ ; distentione abdominis ; pulsu celeri , debili et inæquali ; brachiorum artuumque contractione ; dolore acuto supra umbilicum ; retentione urinæ ; frigidis sudoribus ; singultu ; palpitatione ; convulsionibus.

5 Prognosis fausta , si cessante vomitu , sequitur somnus , vel morbus transgreditur septimum diem ; infausta , si æger debilis , vel annosus , materia acerrima vel fœtens , aut vomitus cesset , durantibus cæteris symptomatibus. Neque tamen ulli morbo minori momento succurritur. (*a*)

6 Curatur , 1. Diluendo et expellendo humores acres potu multo aquæ tepidæ, vel jusculi tenuioris , et clysmatibus oleo-

(*a*) Morbus iste pernicissimus , æque ac perniciosissimus subitam curationem expostulat , alias intra viginti quatuor horas interimit : Natura auxiliis Artis non adjuta inevitabiliter succumbit. Præsto adsit Medicus doctus , et sua Arte salutifera ægrum ab Orci faucibus liberabit.

sis. 2. Motus convulsivos postea compescendo antispasmodicis ; opiatis , et unguentis nervinis externe applicatis. (*a*) 3. Vino, cum discussa cruditas est , vires restituendo. 4. Tonum ventriculi et intestinorum restaurando medicamentis roborantibus, dieta exsiccante , exercitio.

ILIACA PASSIO , ILEUS , SEU VOLVULUS.

1 Est dolor acutus , inflammatio, et obstructio intestinorum tenuium , ita ut,

(*a*) Cum morbus iste fervido Cœlo (Inst. Med. §. 810.) et à bile acri , corrupta , atque turgente utplurimum pendeat , inter remedia antispasmodica , antiputrida , et temperantia *Aqua frigida* guttulis aliquot vini fortè temperata , repetitis dosibus exhibenda. Tota spina , vel totus venter linteis , aqua frigida succo agrestæ , vel aceto mixta , madidis cooperiendi , et ista renovanda. Horum loco applicari poterit cucurbitula magna epigastrio , et brevibus intervallis tolli, et renovari. Vesicatorium in eadem parte forte utilissimum. Purgantia , et vomitoria pessima. Venæ-sectio in juvene plethorico , et cum signis ventriculi inflammati prudentissime administrata convenit ; alias , ob syncopis metum omittenda; imo vituperanda. Remedium princeps in morbo isto OPIUM.

Aliquando malum istud teterrimum symptoma est Febris tertianæ perniciosæ, Cortice peruviano affatim exhibito compescendum.

alvo fortiter obstipata, cibus vel stercus, vel utraque, per os redduntur.

2 Distinguitur, 1. In originariam et symptomaticam. 2. In veram et notham.

3 Causæ remotæ sunt hernia inguinalis; irritatio vel erosio à vermibus, medicamentis stimulantibus, venenis, vel acribili; nimis longa fœcum retentio; ingesta exsucca vel acerba, uti panis siccus, nuces castaneæ, ossa, fructus immaturi, acerbi; intus susceptio unius partis intestini intra aliam; tumores et schirri intestinorum partiumque vicinarum; recti coalescentia.

4 Causa proxima est inversus intestinorum motus peristalticus ab obturatione viscerum originem ducens; hoc patet à symptomatibus et corporum inspectione.

5 Post alvi suppressionem æger corripitur acuto dolore et distentione prope umbilicum; retentione obstinata fœcum et flatus; eructationibus; nausea; vomitu primo materiæ biliosæ vel pituitosæ, dein stercorosæ, postremo clysmatum injectorum; respirationis difficultate; urinæ obstructione; imbecillitate; pulsu citato et contracto; siti. Tandem, cessante dolore, lipothymiæ, singultus, delirium, convulsiones, mors.

6 Prognosis incerta in tam acuto morbo. Minus periculi à dolore vago, vomitu per intervalla recurrente, et laxantibus clysmatibus per anum ejectis; majus ab in-

flammatione acuta et fœcibus male olentibus vel nigris ad os ascendentibus. Debilitas summa, fœtidus spiritus, pulsus debilis, delirium, convulsio, mortem instantem denunciant. Juventus symptomata tam sæva quam senectus non habet.

7 Inflammatio minuenda est, 1. Repetita venæ-sectione, præcipue in talo; cucurbitulis abdomini, et hirudinibus venis hæmorrhoidalibus applicatis. 2. Emollientibus et oleosis ptisanis; clysmatibus, et fomentationibus externis. 3. Medicamentis antiphlogisticis, videlicet sal nitri cum camphora. 4. Vomitus et doloris diminutione, per anti-emetica et opiata, parca manu assumpta.

Obstructio canalis intestinalis aperienda, 1. Purgantibus lenissimis, et si hæc nihil proficiunt, acrioribus. 2. Suppositoriis vel clysmatibus ex irritantibus medicamentis, vel fumo tabaci. 3. Crudo mercurio ad plurimas uncias assumpto. 4. Attentione sedula ad causas remotas particulares, sive herniam, sive tumorem, sive corpora dura.

Post alia incassum tentata, aqua frigida subito in pedes, crura, femora, et abdomen nuda ingesta, alvum sæpe feliciter solvit, ægrumque ex orci faucibus servavit; multa enim in præcipiti periculo recte fiunt, alias omittenda.

Dieta tenuissima haud inflans, quies,

pathematum et frigoris evitatio, et ægrotanti et convalescenti conveniunt. Postea quoque vitare oportet cruditates, frigus, jactationem, ambulationem, cæterosque corporis motus; nam facile, nisi bene jam confirmatis intestinis, id malum redire consuevit.

Hucusque ex opere Francisci Home PRINCIPIA MEDICINÆ prædicta transcribuntur.

MORBILLI.

1 Huc alter quoque morbus pertinet, puerili ætati, iisque, qui eo nondum defuncti sunt, infestus, quem vocant *morbillorum*, contagio, sæpe populari, una vice per vitam, eidem homini communicandus; originis, ut videtur, cum variolis coaevae.

2 Cum anni exordio subnascens circa vernum æquinoctium vigens, pedetentim æstivo recedit.

3 En morbi stadia, cursumque: Primo die rigor, horror, frigus, calorque alternatim. Secundo febris assidua; sitis; anorexia; lingua alba, humida; capitis, oculorum gravedo; somnolentia continua; stillicidium humoris acris ex oculis, cum tumore, ardore, rubore, pruritu palpebrarum; coriza, et sternutatio frequens; faucium

levis dolor, velut à rheumate, cum tussi, tanquam catarrhali.

Paulo ante eruptionem nonnunquam vomitus et alvi fluxus, in dentientibus virescens.

Horum omnium augmentum in quartum, subinde quintum usque diem. *Statum contagii* dicunt.

4 Eo autem die eruptio macularum minutarum, rubrarum, morsus pulicum referentium, primo in fronte et facie, sensim numero et magnitudine auctæ, racematim cohærentes, ex innumeris parvulis papulis supra cutem modicissime elevatis, cum aspredine, tactu quidem, non vero visu observanda.

A facie ad pectus, ventrem, femora, crura descendunt, non elatæ, latiores tamen, et interstinctæ.

Eruptione absoluta vomitus cessat, reliqua continuantur, aucta tussi et spirandi difficultate. *Status eruptionis.*

5 Die sexto in fronte aspredo, cuticula rupta; in reliquo corpore maculæ latiores, intensius rubræ donec die octavo, primo in facie, dein et in trunco, artubusque pallescant, et die nono evanescant cum secessu cuticulæ, instar farinæ, furfurumque. *Status exarescentiæ.*

6 Per omnia hæc stadia eadem febris est, veluti catarrhalis, peripneumoniæ af-

finis, in eam sæpe conversa, die nono in miti morbo terminata.

7 De Morbillis hæc valent:

Quo tardior eruptio, eo melius.

Subitanea retrocessio macularum cum delirio, ferme letalis.

Macularum nimia rubedo, mala; pejor vero earum livor.

A calido regimine macularum primo livor, dein nigror, letalis.

Vomitus perseverans post eruptionem, periculosus.

Mala febris die nono, et serius; est enim peripneumonica.

Tussicula post morbum, diuturna, vespertina, nocturna, cum raucedine, et febricula latentem peripneumoniam, et phthisim superventuram docet; nisi cito et potenter juves antiphlogisticis.

Ut plura funera in variolis, quam post easdem, ita plura quoque post morbillos, quam sub iisdem, et æque multa fortasse, ac in variolis.

Periculosus morbus, in peripneumoniam, pleuritidem pronis, hæmoptoicis, tussiculosis, asthmaticis.

Cave, ne consuetam exanthematis evanescentiam habeas pro ejusdem morbosa retrocessione.

8 Curatio fit fere eadem, quæ in angina, peripneumonia, pleuritide: scili-

cet apparatu antiphlogistico toto, subinde generoso, per totum morbum, cum determinatione ad pulmones: præprimis quiete in lecto, sub levi stragulo, in aere tepido, humidoque; victu tenui, farinoso; potu frequenti ex althæa, malva, salab, hordeo, oryza, horum cremore; emulsis nitrosis, crebro, tepideque propinatis; vaporibus ore haustis; avertendo febrim corregentem.

9 Symptoma grave est, peripneumonia post eruptionem; huc referenda de peripneumonia dicta.

10 Tussis longa, emacians; febricula; diarrhœa post morbillos petunt decoctum radicis salab, et phlebotomiam.

11 Ex hisce constat, quæ differentia regiminis in morbo varioloso et morbilloso; quibusve hic sit funestus, et cur? Cur ejusdem insitio, et quibusnam, commendanda?

12 Hæc autem fit ope sanguinis ab homine morbilloso excepti, alterique, ut in variolis insitivis, communicati.

Die sexto ab infectione febricula, tussis perpauca, absque peripneumonia; absque effectibus, morbum non insitivum sequi solitis.

SCARLATINA.

1 Variolis et morbillis jungenda febris *scarlatinosa*, non raro epidemica, maxime autumno, hyeme, et vere primo, in ætate tenera, sexu sequiore, et inter viros, queis fibra laxa, illosque, qui eo morbo nondum correpti, eadem habitatione utuntur; contagio, ut videtur, peculiari propaganda.

2 Est febris acuta, continua, à frigore, calore, vomitu bilioso exordiens; nondum sat cognita; cognitas tamen, inflammatoriam, biliosam, putridam, eadem fors tempestate regnantes æmulata; hinc ad earundem leges sananda; cum proprior medicina adhucdum desit.

3 Mitissima subinde; nonnunquam passim funesta; durationis vel in eadem constitutione differentis, nunc intra paucos solum dies, nunc vero plures septimanas conclusa.

4 Die febris incerto maculæ primo conspiciuntur, dein plagæ latiores, rubræ, panni scarlatini colore, morbillis intensius, raro pallidissime rubentes, cum levissimo tumore, calore, pruritu, ardore affectæ partis, papulis albis intermixtis, miliaria referentibus; febre efflorescentiis non judicata, intra paucos tamen dies sopita, si

morbus boni moris, cuticula in farinam fatiscente.

At morbo graviore, accedunt coma vigil, soporosum; convulsio universalis; phrenitis; apoplexia: undè mors præceps, non prævisa, in morbi principio.

Glandularum colli; submaxillarium, parotidum, tumores inflammatorii; angina varia, inflammatoria, suppuratoria, gangrenosa, putrida, maligna, tonsillarum, veli penduli, pharyngis, laryngis; unde mors subita, suffocans, ex cynanche in morbi accessu, cum delirio, orthopnoea, risu sardonio, tetano, opisthotono, epilepsia.

Malo autem hinc in thoracem, illinc, vero per totum tubum alimentarem atque intra viscera abdominis demisso, à materie scarlatinosa vellicante, rodente, inflammante, septica, infinita gravissima symptomata, morbique secundarii, pro natura et officio affecti visceris, et agentis contagii modo.

5 Quo tempore inter juniores febris scarlatinosa grassatur, inter adultos sæpe sola angina comparet.

6 Febre sensim cessante epidermis secedit in manibus, pedibusque per integras lacinias; in reliquo corpore per modum furfurum, squammularum, farinæ.

7 Cuticulæ secessum in morbo gravi, subinde et levi, aere rudiore citius admis-

so, vasis cutaneis obliteratis, perspirationi promovendæ ineptis; secretione lotii perpauci, et subinde subcruenti, nigrescentis, diminuta, aut plane abolita, hydrops, frigidus, calidus, anasarca, demum cavitatum variarum sequitur, curationis laboriosæ.

8 Natura morbi nondum sufficienter intellecta methodum medendi dictat traditam (595. ad 768.) (Aph. 558. ad 726. Boerh.) in moderanda febre, et symptomatibus mitigandis occupatam. In febre, sæpe elatiore, inflammatoria, angina simili, inde abolita deglutitione, encephalo inflammatorie affecto, hirudinum ad tempora, retro aures, adplicatio; nuchæ scarificatus cruentus; rubefacientia gutturi, suris, pedum plantis apponenda; potulenta emollientia, nitrosa, sambucina; morbo his mitigato camphora prudenter data, conveniunt.

9 Hydrops prævertitur, præsens curatur vitando frigus in convalescente; determinando ad systema urinarium, regimine, et medicamentis; sollicitando evacuationes diureseos vicarias, alvinam præprimis; præcavendo relapsum, tonicis, forma remedii, alimenti, exercitio corporis vario, matutino, protracto, ad initium sudoris usque, rusticatione in elatioribus.

Hydropem calidum phlebotomia solvit.

10 An datur contagium scarlatino-

sum, quemadmodum, variolarum, et morbillorum?

An id, semper idem in se, diversimode tamen agit, diversas vires nactum ab anni constitutione, et ægrotantis diathesi?

An ejusdem suscipiendi tantum semel in vita facultas est in eodem homine?

An febris *scarlatinosa*, sine scarlatina æque frequens, tam cum, quam sine angina? et an angina putrida, maligna, contagiosa, ab eodem miasmate, ut scarlatina?

An idcirco pauciores hoc morbo corripi existimantur, et si fortasse paucissimis parcat, diverso schemate occultatus?

Hæc quidem ita videntur.

Si hæc ita se habeant, an tuto inocolari et potest, et debet? præprimis cum inde tam multæ strages?

PLEURITIS HUMIDA,

SEU ANGINA BRONCHIALIS.

Inflammatio subinde bronchia, eorumque ramificationes prehendit; inde febris acuta continua, cum dolore lateris interiori, inflammatorio, tussi et inspiratione aucto, cum sputis croceis, cruentis.

Pleuritidem *humidam* appellant.

Sede difert à pleuritide sicca, quæ pleuram afficit: differentia ab illis non observa-

ta, qui de sede pleuritidis controversiam moverunt.

Causas habet inflammationum generales, et eas quoque, quæ anginas, trachealem præprimis, et peripneumoniam producunt.

Exitus quoque eosdem habet cum iisdem morbis, habita ratione affectæ partis: nempe in sanitatem, morbos alios, aut mortem.

In sanitatem abit, 1. resolutione benigna in morbo levi, à caussis levibus; 2. crisi per sputa, sudores, urinas, alvum, coctione prægressa, et diebus decretoriis quarto, quinto, septimo, nono, undecimo, ut plurimum.

Terminatur quoque materie inflammatoria repente deposita in cava aerea coctione prægressa, et die critico instante, eventu vario.

Morbus exigit methodum antiphlogisticam, inflammationis magnitudini commensuratam, scilicet venæsectiones, potus tepidos, emollientes, nitrosos, balnea pulmonum, vaporibus aquæ dulcis inspiratis.

Exitus reliqui tum ex cognitione inflammationis in genere, tum ex iis, quæ de angina inflammatoria dicta sunt, repetendi.

Ex hucusque dictis colligitur, cur sputa purulenta post *humidam* pleuritidem morbum curatu difficilem notent; insanabilem vero post siccam. Patet quoque, plurima

effata veterum æque ac recentiorum de pleuritide, ad *hanc* præprimis, *humidam* nempè, seu ad *anginam bronchialem* pertinere.

Intelligitur etiam, cur hic morbus tam frequenter cum eo jungatur, de quo nunc agetur (*Peripneumonia vera*) cum eoque pleuroperipneumoniam constituat.

PLEURITIS,

ET PLEUROPERIPNEUMONIA

LATENS, CHRONICA.

Si morbus idem (*ac præcedens*) ad speciem mitis, atque *ortostaden* (seu *situm erectum*) affligat, pleuritis aut peripneumonia *latens* dicitur; ob frequentiam mali, fallacem lenitatem, hinc medelæ neglectum, certumque inde discrimen, hic curatius expendenda.

Febricula per vices, vel et assidua, levissima, aut febriculosa solum diathesis à Medico sæpe, ab ægroto sæpissime non animadversa, utpote obambulante; dolor lateris exiguus, fixus tamen, tussi, aut forti sub inspiratione excitatus, *pleuritidem occultam* notant; *pleuroperipneumoniam* vero *latentem*, si continua, utut exigua, thoracis oppressio simul adsit.

Est sæpe *chronica*, non raro *hæreditaria*, tumque in phthisin terminanda.

Causas habet, 1. pleuritidis, aut peripneumoniæ producendæ idoneas, at mitiores; 2. peculiares quasdam, easque frequentius. Oritur nempe à prægressa pleuritide non ex integro soluta, à catarrho, inflammatorio facto, victu, medicamento, neglectu, anni tempore; à tuberculo inflammato ob causam febrilem quamcumque; à diathesi particulari ad eum morbum originaria, aut acquisita, quam prodit corpus gracile, atque extenuatum, cum ejusdem incremento majori, veloci, ac præmaturo: thoracis configuratio prava ob rachitidem, ejusque ossea compages ob idem olim vitium tenuior, et magis angusta, quam pro corporis reliqui mole, et continens pulmonem minorem infirmioremque; scapulæ alatæ; collum tenue, atque elongatum; vultus amabilis, genæ assiduè rubentes; ingenium præcox, subtile; fibra delicata, summopere irritabilis; sanguis phlogisticus; acrimonia arthritica.

Ita prædispositi, à febre, motu, potu, saltu, nixu, refrigerio sudante corpore, plethora, pubertatis ingressu, &c. *latentem* pleuritidem, aut pleuroperipneumoniam patiuntur, cum sputo cruento, subinde largo. Malo sæpius mitigato, identidem recurrente, per annos, donec ante trigesimum-sextum ætatis annum in phthisin incidant immedicabilem.

Sanguis missus, crusta pleuritica semper tectus, mali levamen à parca, sed frequenter instituta phlebotomia; vivendi ratio mere antiphlogistica hic sola proficua; et curationes hoc modo subinde factæ; vomicæ pulmonum cætera dire inflammatorum in cadaveribus repertæ, et longus decursus morbi pleuritidem, peripneumoniam, pleuropneumoniam *occultam ac chronicam* significant.

Indè liquet, cur tot mortes à catarrho neglecto, et quinam inde magis periclitentur; quænam ejusdem curandi ratio, quæ hæmoptoë, et in quibus sit periculosior: an tunc à frigidis actu, à tonicis, adstringentibus, an vero ab antiphlogisticis sit sperandum auxilium; quanam ratione hæreditarium hoc malum præcaveri, prævertique potius in infante, pueroque possit, quam in adulto sanari; cur superveniens arthritis, aut podagra regularis, aut hæmorrhoidum frequens fluxus, suos à morbo liberet; cur inde phthisici ab equitatione, cortice peruviano, lichene islandico, polygala amara, balsamis, atque universim ab omni impetum augente tantopere lædantur, et quæ mens fuerit Sydenhami, equitationem commendantis, in colliquatione? (Vid. not. in Aph. 906.)

Hucusque Stollius] *in Aphorismis de cognoscendis et curandis Febribus.*

MICTIO IMPEDITA.

DYSURIA : STRANGURIA : ISCHURIA.

TRes hujus mali species distinguuntur, maximam partem gradu inter se discrepantes:

1 *Dysuria.* Quodsi urina non facile exonerari potest, nullæ tamen amplius molestiæ notabiles inde oriuntur, illud *dysuria* vocatur.

2 *Stranguria.* Quodsi urina tantum per stillicidium, et cum dolore emititur, tunc *stranguria* salutatur.

3 *Ischuria.* Hic adsunt conatus mingendi acerbissimis doloribus stipati, nec tamen minimum urinæ emittitur, ubi simul vesica turgescit, sensum gravitatis in abdomine, et sæpe tumorem in ossibus pubis producit.

Causæ aut in viis ipsis urinariis continentur, aut per consensum agunt. Præcipue earum sunt:

1 Inflammatio renum, ureterum, vesicæ, atque urethræ.

2 Congestiones sanguinis ex hæmorrhagiis suppressis, et consuetis.

3 Calculi renales, et vesicæ.

4 Collectio muci, cui aut irritatio calculorum ansam præbet, aut quoque per

dispositionem peculiarem, non secus ut in colica pituitosa, producitur.

5 Spasmi aut è caussis parvis, debilitate hysterica præsenti, aut etiam è vermibus, sordibus in primis viis acribus, arenulis et calculis producti, eo facilius emissionem urinæ supprimentes, si jam vitia topica in renibus adsint.

6 Ulcera, indurationes atque excrescentiæ carnosæ in viis urinariis atque in prostata, quæ omnia sequelæ gonorrhoearum perperam tractatarum esse possunt.

7 Diuretica fortiora, usus ex. gr. cantharidum incautus.

8 Potulenta aut minus recte fermentata, aut adhuc in fermentatione comprehensa.

9 Relaxatio et debilitas vesicæ urinariæ.

10 Pressio uteri in vesicam tempore graviditatis.

In inflammationibus methodus antiphlogistica prorsus observatur. Congestiones sanguinis contendimus per missionem sanguinis, per restitutionem hæmorrhagiarum solitarum et per emollientia atque antiphlogistica tollere.

Ubi mucus adest, inquiritur, utrum is à calculis producatur, an vero è dispositione gignatur peculiari. In priori casu inservit aer fixus, in posteriori pharmaca roborantia atque adstringentia.

In spasmis ad irritationis causas respi-

citur, et simul emollientia atque antispasmodica adhibentur.

In ulceribus, indurationibus et carnositatibus, raro aut nunquam alia ratione, quam mechanice, hoc est, per candelas opitulari licet. In casibus etiam ipsis ubi malum è causis venereis originem ducit, nihil mercurialia juvant.

Ubi cantharides sunt causa, camphora in emulsionibus exhibita vires exerit specificas. Adhibentur præterea, uti, ubi potus fermentati sunt causa, externe emollientia, atque interne demulcentia.

Ubi debilitas vesicæ adest, inquirendum est, utrum hæc debilitas è vitio systematis nervosi universali oriatur, an vero sit tantum localis, atque è retentione urinæ forte nimium diuturna orta. In priori casu sæpe per roborantia et diuretica succurrere licet, in posteriori natura ipsa opitulatur, aut morbus manet insanabilis.

In graviditatibus sæpe obliquitas uteri est causa, ubi opera danda, ut ea secundum artis obstetritiæ leges tollatur.

Quodsi adest ischuria perfecta, nec catheter applicari potest, periculumque imminet, *paracentesis vesicæ* (*a*) est refugium.

(*a*) Operatio ista non nisi in circunstantiis hic propositis suadenda. Catheteris usus absolutè præferendus, ad quem Chirurgus in operatione ista versatissimus advocandus. Si neque iste va-

1 Vitium in renibus adesse potest, quo secretio urinæ tota supprimitur, nec ullum adest molimen urinam mittendi, atque adeo nullus dolor nullaque signa collec-

let, et omnibus aliis frustra tentatis, periculum imminet, ad paracentesim istam deveniendum. Hæc triplici loco potest operari: in intestino recto; juxta perinæum, et supra os pubis. Recentissimi Chirurgiæ Scriptores partem istam ultimam præferunt: inter quos Chirurgus *Chopart* consulendus, qui (An. 1792.) duobus sat grosis tomis de *Morbis urinæ viarum* agit. (Traite des Maladies des voies urinaires. Tom. II. pag. 268.)

Utinam Chirurgi omnes in catheteris introducendi dexteritate assuefierent, et eminerent; evacuatio enim urinæ ita per viam naturalem patulam, et incruentam efunderetur. Si ita non est, ægri misserrimè cruciantur, inflammantur, et vel pereunt, vel tempus operationis procrastinando, ista etiam interficiuntur. Sed tandem ad aliquod auxilium, operationem nempe istam confugiendum. Quæ supra os pubis fit, inquam, præferenda: hæc enim est minus horrida, minus lassans, et expeditior.

Fieri debet juxta lineam albam, et licet ibi adsint tegumenta, aponeurosis musculorum latorum infimi ventris, musculi recti, quandoque unus ex pyramidalibus, et pars vesicæ anterior; hæc omnia partem lacerandam parum crassam efficiunt, hinc operatio prompta, parum dolorifica, et minus periculosa, cum in ea nec nervi, nec vasa notabilia, quorum læssio posset esse ominosa inveniuntur. Ita prædictus Chopart ubi supra pag. 271. apud quem methodus hujus Operationis exercendæ merito videnda.

tionis urinæ in vesicula adsunt. Hoc in casu tumores œdematosi facile nascuntur, morbusque raro est sanabilis, quia renes plerumque sunt destructi. Ea *Ischuria renalis* vocatur. Similes sequelas vitia atque obstructiones ureterum exhibent.

2 In missione urinæ sic satis commoda quoque collectio urinæ præternaturalis in vesica, extensioque ejusdem oriri, ischuriamque ut sequelam post se trahere potest. Hic sentitur tumor in abdomine, et verisimiliter vesica fit scirrhosa atque insensibilis, propterea etiam nullus adest dolor. Curatio hic tantum palliativa per catheterem habet locum.

DIABETES.

Quodsi præternaturaliter magna urinæ copia exoneratur, atque ex ea tabes nascitur, morbus *Diabetes* nuncupatur, qui ceterum longe rarissime occurrit.

Dantur casus, ubi urina quidem non nimium copiosa emingitur, sed qualitatis est præternaturalis; ita ex. gr. potulenta adsumpta nonnunquam sine mutatione dejiciuntur. Auctores hunc morbum *diabetem spurium* appellare solent.

Quædam *diabetis chylosi* species quoque datur, ubi nimirum chylus per vasa lymphatica immediate in vesicam defertur. Plerumque urina est odoris et saporis ex-

pers, in calore minime coagulatur, atque adeo non est lympha, ex illa autem omnino substantia *saccharata* (*a*) secerni potest, et per fermentationem illa fit acida; est ea proinde verosimiliter productum chyli proximum, et sequela vis assimilationis deficientis. Ut plurimum obstructiones pertinaces, atque ulcera clausa, debilitas cutis et systematis lymphatici, et generatim omnes causæ morborum tabidorum, hic etiam sunt causa.

Agitur proinde secundum indicationes diversas, eodem plane pacto, ut superius in morbis tabidis est dictum. Ratio medendi autem ut plurimum est irrita, quoniam constitui nequit, utrum vitium in instrumentis urinæ secretoriis, an vero in prava qualitate universi systematis lymphatici consistat, quod posterius interim verosimillimum esse videtur, quia sæpe multo major copia urinæ exoneratur, quam fluida adsumpta fuere, quare resorptio cutanea nimium magna esse debuit. In priori casu interim cortex chinæ et balnea frigida, ut

(*a*) An diæta non ex vegetabilibus acescentibus, sed eminenter animalis, emetica identidem repetita, et remedia alcalina valentiora productioni acidi saccharini, seu materiæ saccharatæ, causæ hujus morbi forte præcipuæ officient, obstabunt? Ita videtur. Urina enormis diabetica analysi chemicæ exposita magnam partem hujus materiæ saccharatæ offert, quæ prædictis remediis minuitur

in posteriori tinctura cantharidum (*a*), ad relaxationem vasorum tollendam, proficua esse possunt.

SECRETIO LACTIS.

Plerumque die tertio post partum oritur febricula à 18. ad 24. horas, nonnunquam vero etiam aliquot dies perdurans, qua plerumque durante fluxus lochiorum est interruptus.

Quod si lac durante hac febre in mammis colligitur, lochiaque in eadem ratione redeunt, collectio lactis ut crisis febris est consideranda, hinc etiam *febris lactea* vocatur. Atque hoc in casu otiosi manemus.

Quod si vero cum febre lac non colligi-

sensim, imminuitur etiam urinæ copia, et æger jam fere tabidus pinguescit. Videatur Opusculum *Jon. Rollo* Med. Doct. hispanice versum An. 1799. quo morbus iste describitur, et plura chemica Inventa ad Medicinam à Professore Fourcroy translata reperiuntur.

Videatur etiam citatus *Chopart*, P. I. pag. 52. apud quem ex variis Auctoribus laudantur Serum aluminosum, Aqua calcis, Pulvis Dowerii, Diaphoretica, et quando urinæ incontinentia jungitur, vesicatorium regioni lumborum versus os sacrum applicandum.

(*a*) Tinctura cantharidum timenda; imo vitanda. Alia stimulantia *ad relaxationem vasorum tollendam* securiora præferenda.

tur, febris perseverat, lochia non redeunt, *febris puerperarum* non longe abest, de qua inferius. (*a*)

Nonnunquam lac sine omni febre in mammis colligitur, aut illud jam ante partum adfuit.

Subinde neque lac, neque febris comparent, nec aliud ullum symptoma. Nisi hujus rei culpa in defectu alimentorum sit quærenda, qui potu largo lactis cum floribus sambuci cocti aliisque cibis nutrientibus compensari potest, nihil amplius faciendum restat, quam ut de nutrice alia quærenda simus solliciti.

Nonnunquam fluxus lochiorum justo largior est causa, quod lac non secernatur, quo in casu agitur, ut jam superius docuimus.

Nimium lactis quoque in mammas irruere potest, ita ut facile nodi atque indurationes nascantur. Hi nodi quoque produci possunt, si colostrum non satis mature fuerit exsuctum. Diæta tenuis, potus aquæ coctæ nitro imprægnatæ frequens, atque epithemata resolventia sæpe per se juvant. Nisi hoc sufficiat, externe camphora, atque emplastrum de ammoniaco cum mercurio, atque interne laxantia antiphlogistica in auxilium adhibentur.

(*a*) Febris *lactea* et *puerperalis* ex Stollio transcriptæ extant in Appendice Tomi tertii pag. 449, et 452.

Idem quoque plane suscipitur, quod si lac in mammis collectum est, nec puerperæ lactare velint.

Generatim non est consultum, ut mulieres constitutionis hystericæ, scrophulosæ, et scorbuticæ, aut temperamenti valde iracundi lactent, tanto etiam minus, ubi minima suspicio miasmatis venerei locum habet. Mulieres quoque plerumque sunt pro nutricibus ineptæ, quæ insimul fluxum menstruum retinent. Necesse etiam est, ut lac nec nimis sit pingue, nec nimis tenue. Colore gaudere debet non lividulo, sed candido, guttulæ autem singulæ pellucidæ esse debent.

Quod si mater aut nutrix non satis sunt sanæ, nec temperamento gaudent bono, satius semper est, infantes decocto avenaceo tenui cum aliquanto lactis permixto tepideque exhibito alere, in primis si hoc in negotio caute procedatur, et potius in defectu, quam excessu error in alendo infante committatur.

In lacte retropulso respiciendum est: (1) ut minus lactis secernatur. (2) Ut jam secretum atque resorptum non stagnet, sed educatur. Utrumque fit per diætam tenuem, salia media leniter aperientia, atque usum camphoræ externum atque internum.

METASTASES LACTIS.

In puerperis humorum collectiones inveniuntur, qui constitutione lacti simili gaudent, atque igitur à multis Medicis omni jure pro metastasibus lactis existimantur.

Quidam Medici hoc è rationibus sequentibus negant, dicunt:

1 Hanc collectionem humorum lacti similium nihil aliud esse, quam lympham puriformem, quæ est inflammationis sequela, atque è partibus inflammatis exsudat, uti hoc in multis inflammationibus est casus, et tales collectiones quoque in viris inveniuntur.

Ad hoc respondeo:

a Non semper in talibus casibus, ubi tales collectiones fiunt, inflammatio antecedit, sed subito quodam loco talis metastasis sine multis prægressis doloribus oritur.

b Hæc humorum metastasis numquam cum inflammatione gaudet proportione. Sæpe pauca aut nulla ejusdem vestigia observantur, sæpe ea est tantum sequela humorum acre redditorum, et sæpe inflammatio vehementissima sine tali metastasi adest.

c Hæ metastases fere semper cum de-

fectu lactis in mammis sunt conjunctæ, atque ubi hoc non est, nihil ulterius probat, quam redundantiam humorum lacti similium magnam.

d Quoque in viris subinde lac in mammis est secretum, et sic quoque fieri potest, extra lectum puerperarum humores lacteos se colligere, et loco quodam metastatice dejicere posse. Utrique casus ad exceptiones pertinent. In regula inflammationes talibus collectionibus non sunt stipatæ. Quid? quod in puerperis inflammationes intestinorum sine omni vestigio talium humorum lacti similium inveniuntur.

2 Lac esse humorem blandum atque ejusdem resorptionem nullo modo noxiam esse posse.

Responsio.

a Resorptio lactis sani modica quoque est innoxia; hoc nihil contra nos probat.

b Resorptio autem nimia et subitanea omnino tales metastases efficere potest.

c Lac per causas irritantes admodum acre fieri potest. eædem causæ, quæ depositionem efficiunt, quoque simul lac acre reddunt, ex. gr. animi pathemata.

3 Metastases oriuntur sæpe prius, quam lac in mammis adfuit, et sunt sæpe quoque nimis magnæ, quam quod solummodo è lacte in mammis contento oriri potuissent.

Qua ex re nihil ulterius concludere

possemus, quam quod lac jam ante ejusdem introitum in mammas adfuisse debeat, atque hoc revera quoque est longe verisimillimum. Qua de causa in febre lactea metastasis lactis in mammis est critica.

Quum igitur hi humores collecti maxima similitudine cum lacte corrupto gaudent, quum hæ collectiones cum liquore in mammis contento nexum habent, quum hæ prorsus metastatica ratione fiunt, quum hæ sæpe sine omni prægressa inflammatione oriuntur, quum in regula inflammationes extra puerperarum lectum non tales collectiones ad sequelam habent, id gaudet summo verisimilitudinis gradu, quod metastases sint lacteæ.

Ceterum jam HIPPOCRATES metastases lacteas in medium protulit. Inter recentiores primus est *Levret*, qui eas exactius observavit. *Swietenius* sententiæ illius est secutus. Postea *Puzos* hac in re summam meretur attentionem, et mihi descriptio febris puerperarum magis accurata remanet.

Quinto plerumque mense revolutio in mammis contingit, ita ut secretio lactis nonnunquam jam incipiat, ubi tum etiam metastases oriri possunt. Quidam adserunt, se observasse, hujusmodi metastases sero admodum et post aliquot demum annos contingere posse. Sed hic metastasis jam tum contigisse videtur, quum adhuc lac in organis ejusdem secretoriis aderat, quæ

vero nunc demum in conspectum prodit. In muliere defuncta, quæ uno anno ante mortem suam in puerperio lac amiserat, et cum eo quoque rationis usum, inveni suppurationem in cerebro, quæ mihi quam verosimillime sequela metastaseos olim factæ esse videbatur. Casus quoque mihi occurrit, ubi hujusmodi metastasis post duos demum annos per uterum viam sibi aperuerat.

Periodus metastasium lactearum plerumque in priores menses post partum incidit. Eæ sunt, uti dictum, ante partum raræ, atque ulterius, ac in ablactatione partim lac non magis tam superfluum adesse videtur, partim loca, in quibus tales metastases fieri solent, dispositionem ad hoc amiserunt.

Excretiones et metastases præternaturales nunc fiunt.

a Per sudorem, inde sæpe miliares;
b Per alvum et urinam;
c Per os, qua de re *Nucke* et *Puzos* exempla tradunt;
d Per umbilicum, sed hic fere metastasis in peritonæi duplicatura jam facta est;
e Per uterum, inde lochia alba;
f In cerebro, inde melancholia et mania;
g In pectore, inde angina pectoris;
h In abdomine, inde febris puerperarum;

i In pelvi ; quod si ea inter musculum psoam atque iliacum occurrit , dehinc ea per foramen ischiaticum in femora transit;

k Inter musculos abdominales ab inguine usque ad os coccygis;

l In extremitatibus.

Causæ metastasium sunt:

1 Omnia quæ excretionem lactis in mammis contenti impediunt , ut : defectus papillarum , cicatrices , mammæ nimis pingues , aut generatim abstinentia à succione.

2 Omnia , quæ secretionem lactis in sanguine contenti impediunt , atque id corrumpunt , atque huc pertinent omnia irritamenta , uti : impuritates biliosæ , vermes , refrigerium , febris , animi pathemata et quoque inflammationes , quæ autem hic quoque tantum pro causis remotis sunt habendæ.

In curatione igitur nitimur , primum omnes has causas auferre , et secundum metastases factas tollere.

Nonnunquam hæ stagnationes per potus diluentes , diaphoreticos , sublationemque causarum irritantium discuti possunt. Haud raro autem in quandam suppurationis speciem transeunt , atque adhuc sæpius tumores frigidos post se relinquunt, atque eo ipso motum partis adfectæ impediunt. Atque hæc differentia ab indole lactis stagnantis pendet. Refrigerium plerum-

que, humoribus alias sanis et mitibus existentibus, tumores frigidos doloris expertes parere solet, è contrario hic succus alias lenis per acrimoniam reliquorum humorum, et per animi pathemata è vestigio ita corrumpi potest, ut fiat acris et fætidus, atque hoc in casu naturæ maxime est conforme, ut metastases lactis tam corrupti exulcerationes quoque malignas producant.

Ubi proinde redundantia lactis, proclivitasque ad spasmos animadvertuntur, opera est danda, ut per laxantia lenia, potiones diluentes, diætam parcam opitulemur. Idem suscipitur, ubi jam metastasis contigit.

Sæpe hæ metastases neque resolvi, neque in suppurationem mutari possunt, quod partim inde est, quoniam humor per telam cellulosam nimium est diffusus. Hoc in casu consultum est, humores extravasatos per fascias in unum locum cogere, ubi illi facilius inflammationem ad suppurationem necessariam producunt.

Quod si itaque tumor fluctuatione gaudeat, ille est aperiendus, et humor depositus emittendus.

Nonnunquam ejusmodi tumores in vaginam aperiuntur, ubi per remedia refrigerantia et leniter evacuantia resorptio puris impedienda, et denique sanatio partis exulceratæ per corticem peruvianum est promovenda.

Quod si postremo tumor magis durus et frigidus est, et tantum manum aut articulos genu invasit, efficacia in auxilium vocanda sunt resolventia. Emplastrum resolvens fætidum, emplastrum de ammoniaco cum mercurio, frictionesque mercuriales, utilem sæpe hic præstant operam, etiamsi nonnunquam hujusmodi tumores sint longe pertinacissimi.

FLUXUS SANGUINIS PRÆTERNATURALIS É PUDENDIS MULIEBRIBUS.

Huc refero.

1 Quum menses nimium mature comparent, debilitatemque pariunt. Dantur ex. gr. casus, ubi illi jam ante annos octo adsunt, quod sub nostro climate est præternaturale.

2 Quum in quovis fluxu periodico nimium sanguinis effluit.

3 Quum fluxus nimis sæpe, ex. gr. decimo quarto die recurrit.

4 Quum menses supra ætatem debitam perdurant, et debilitatem gignunt.

5 Quamvis hæmorrhagiam, quæ extra fluxum menstruum ab eoque independenter occurrit.

6 Denique hæmorrhagiam lentam continuam, quæ nonnunquam post abortum, aut partum remanet, aut ex aliis causis nascitur.

Causæ harum hæmorrhagiarum præter universales sunt, irritatio partium genitalium singularis per frictiones, saltationem, concubitumque nimis frequentem; incautus medicamentorum pellentium usus, partusque creber, ubi puerperæ non ipsæ lactant, nec impetus sanguinis versus uterum per lactationem satis mature est sublatus.

Hæmorrhagia larga, quæ in valetudine secunda, independenterque à fluxu menstruo comparet, causam plerumque in polypis uteri agnoscit. Hæmorrhagia lenta ut plurimum ulceris uteri carcinomatosi est symptoma.

In utero scirrhoso omnes causæ spasmum excitantes pariter hæmorrhagias subitas atque largas parere possunt.

Ubi fluxus menstrui præmature imminent, plerumque proclivitas ad phthisin adest. Ubi illi ultra tempus præscriptum perdurant, facile nascitur hydrops. Si fluxus menstruus nimis creber simul est inordinatus, pejoris est sequelæ, quam si is simul tempus suum statum observat; in priori casu facile exulceratio uteri oritur. Hæmorrhagiæ à fluxu menstruo independentes semper sunt pessimæ, et plerumque vitia uteri topica supponunt.

Methodus medendi in essentialibus ab universali nihil differt. Ubi fluxus menstruus tantum nimium frequens adest, non est hæmorrhagia prorsus supprimenda, sed tantum moderanda.

Ubi hæmorrhagia nimis larga est, ordinantur epithemata ex aqua frigida abdomini imponenda, similesque in vaginam injectiones. Sæpe etiam scarificationes siccæ mammis applicatæ ad congestiones versus partes inferiores impediendas prossunt. Nonnunquam cum proclivitate ad hæmorrhagias ex utero adest siccitas cutis, transpiratio imminuta, ubi balnea calida utilia esse possunt.

Lex jam in superioribus præscripta, non nimis mature et cito, sed sensim esse roborandum, hic in primis locum habet, quia vasa pudendorum magni roboris sunt indiga, ut minimis etiam congestionibus resistant.

Quod si polypus uteri adest, deligatione tantum illi mederi licet.

DE GRAVAMINIBUS

HÆMORRHOIDALIBUS.

Congestiones sanguinis aut alterius cujuscumque humoris versus intestinum rectum appellantur *hæmorrhoides*. Dividuntur illæ in *cæcas et fluentes*.

Fluentes sunt aut *hæmorrhoides sanguineæ*, aut *mucosæ*.

Cæcæ sunt vel inflammatoriæ, nec ne. In posteriori casu illæ *Varices* vocantur.

Causa omnium hæmorrhoidum congestio sanguinis in systemate venæ portarum esse videtur, quod è sequelis colligi posse videtur. Præterea acrimonia plerumque rheumatica in corpore adest, quæ verisimiliter suas partes ad hæmorrhoides producendas confert. Hæc congestio sanguinis in abdomine salutatur *plethora abdominalis*. Causæ remotæ earundem sunt præcipue:

1 Debilitas systematis venæ portarum.
2 Sanguis viscidus atque acris.
3 Obstructiones vasorum ejusdem.

In methodo medendi igitur præcipue ad has causas remotas est respiciendum, et venæ-sectio, atque hirudines ibi tantum sunt applicandæ, ubi congestio per ejusdem durationem noxia fieri potest.

HÆMORRHOIDES SANGUINEÆ FLUENTES.

Fluxus hæmorrhoidalis sanguineus omnium gravaminum hæmorrhoidalium optimum esse videtur; nunquam tamen is cum fluxu menstruo est comparandus, etiamsi ille sæpè, ut hic, sit periodicus.

Symptoma semper est præternaturale, et sanitatis vitiosæ signum, in primis si is maturè incipiat.

A dysenteria et fluxu hepatico in eo discernitur, quod sanguis non sit cum excrementis permixtus, sed semper post fœces, easque ut plurimum duras prodeat.

Causa proxima non est sola plethora, quia primo sæpè homines ea tentantur, qui minime sunt plethorici, et secundo missio sanguinis sæpe mala non tollit, quæ post fluxum comparentem sistuntur.

Sæpe dispositio quædam naturalis adesse videtur, quo in casu fluxus facile redit, atque eo minus est supprimendus, quo magis sanitas ab eo pendere videatur.

Sæpe autem etiam tantum oritur post exæstuationes, obstructionem alvi, excrementaque durissima, errores diæteticos, purgantia acria, atque in mulieribus in graviditate et post fluxum menstruum emanentem et suppressum. Atque hoc eo facilius, quod si jam antea tumores cæci adfuerunt.

Proclivitas ad fluxus hæmorrhoidales singularis ex eo cognoscitur, si fluxus sine omni causa manifesta se stiterit, si anxietates, lassitudo, cephalalgia et vertigo, spasmi ventriculi, dolores in intestinis atque in regione ossis sacri, et calor atque pruritus circa nates præcesserint, et nunc per fluxum hæc symptomata fuerint sublata.

Hoc in casu fluxus præsens non est supprimendus, quia per hoc congestionibus periculosis in alias partes occasio præberi posset. Nisi is forte nimius esset, enervaretque, ubi vero per remedia refrigerantia interna, atque externa in auxilium veniendum.

Quod si cognitum est, symptomata proxime enumerata è proclivitate ad fluxum hæmorrhoidalem oriri, simulque congestiones versus pectus esse pertimescendas, enitimur fluxum per pediluvia calida, ac fomentationes promovere. Cum remediis pellentibus major hic, quam in fluxu menstruo, cautio est servanda, et potius per hirudines intestino recto impositos, aut missionem sanguinis in pede susceptam sanguis est educendus, congestionesque per hoc tollendæ.

Dantur interim casus, in quibus è fluxione hæmorrhoidum utilitas manifesta speranda est, uti hoc ex. gr. in tympanitide haud raro obtinet. Et hic enemata *ex aere fixo* præstantissimi sunt usus.

Quod si vero fluxus è causis occasionalibus cognitis oriatur, contendimus huic per remedia refrigerantia, evacuationem primarum viarum, solutionem alvi, atque per resolventia et roborantia pro re nata occurrere.

HÆMORRHOIDES MUCOSÆ FLUENTES.

Mucus ex intestino recto effluens nonnunquam aliqua ex parte est criticus, nec tunc simpliciter est impediendus. Quod ex eo cognoscitur, si ægri, quibus talis effluxus est consuetus, emanente illo, congestionibus humorum serosorum versus partes superiores tentantur. Contendimus hic acrimoniam singularem per remedia sanguinem purificantia atque exercitationem tollere, quod vero non semper succedit.

Nonnunquam fluxus talis mucosus è sola intestini recti debilitate nascitur, atque hic clysteres ex aqua frigida eximii sunt usus.

HÆMORRHOIDES URETHRÆ.

Hæ differunt à mictione cruenta per simplicem, et cum urina non permixtum sanguinis effluxum, præcipue autem per earundem ortum è congestionibus hæmorrhoidalibus, qua de causa illæ quoque pro anomaliis hæmorrhoidum existimantur. Hic per hirudines intestino recto applicatos, per remedia attenuantia et leniter diuretica,

et generatim per congestiones hæmorrhoidales tollendas juvamus.

HÆMORRHOIDES CECÆ.

Hæmorrhoides cecæ nonnunquam cum fluentibus sunt conjunctæ, easdemque agnoscunt causas, nisi quod plerumque in cæcis plures adsint causæ obstructionum viscerum abdominis pertimescendarum. Nonnunquam illæ interea solummodo prolapsus ani, et pressionis mechanicæ sunt sequela.

Varices aut è stasi sanguinis in venis, aut ex humoribus in telam cellulosam extravasatis oriri videntur. Pressioni cedunt, nec dolent. Ubi proclivitas ad fluxum hæmorrhoidalem adest, semper fere per hunc solvuntur, qui proinde promovendus est. Si vero non hic casus obtineat, illique nimium diu maneant, verendum est, ne denique inflammentur: atque hoc in casu, enitimur eas per aquam frigidam, aut si hoc minime sufficiat, illique ansam hæmorrhagiis præbeant, per cultrum tollere.

Tumores inflammati tractantur ut quævis alia inflammatio. Si vero resolutio non statim contingat, mature sunt aperiendi, quoniam alias humores obstructi facile acres redduntur, fistulisque dant occasionem.

In mulieribus haud raro tumores labiorum vulvæ occurrunt, qui apertæ anomaliæ hæmorrhoidum, et fluxuum menstruorum sunt, atque ut plurimum in suppurationem transeunt, quæ statim in initio est promovenda.

OPHTHALMIA.

Inflammatio oculi vocatur *ophthalmia*. In sequentes distinguitur species.

1 *Taraxis*. Sic appellatur levis inflammatio conjunctivæ, quæ nonnunquam usque ad palpebras extenditur, sed nulla est febri stipata.

2 *Chemosis*. Inflammatio hic tam est vehemens, ut sæpe tunica adnata supra totam corneam promineat, eamque obtegat, ubi simul febris acris, doloresque atroces adsunt.

3 *Phlegmone oculi*. Ita vocatur inflammatio partium internarum oculi, quæ ex febri magna simul præsenti, sensibilitate oculi adversus lucem præternaturali, atque è dolore in interioribus oculi pulsanti cognoscitur.

4 *Exophthalmia*. Sic salutatur inflammatio tanto cum tumore stipata, ut bulbus oculi à palpebris tegi nequeat.

5 *Blepharophthalmia*. Ita inflammatio palpebrarum nuncupatur.

6 *Hordeolum.* Sic tuberculum in tarsis oculorum inflammatum salutatur.

Chemosis et phlegmone oculi facile suppurationes oculi post se trahunt, atque hæ sunt extimescendæ, si dolor per caput versus occiput vires suas exerit. Si pus pone corneam interque lamellas ejusdem colligitur, vocatur *Hypopium.* Quod si in cornea abscessus nascitur solitus, is *Onyx* nuncupatur, et si hic abscessus ulcus formăt, illud *Helcoma* salutatur. Si tuberculum quoddam in tarsis induratur, illud *Chalacion* appellatur.

Causæ inflammationis oculi sunt:

1 Læsio externa violenta.

2 Nimius oculorum usus.

3 Corpora aliena aut physice, aut mechanice irritantia, ex. gr. vapores acres, pulvis.

4 Diathesis inflammatoria.

5 Sordes in primis viis biliosæ.

6 Vermes in intestinis.

7 Irritatio è dentitione infantum inflammationi in illis ansam præbere potest.

8 Acrimonia rheumatica, scrophulosa, venerea, et cancrosa. Hordeolum pertinet inter signa acrimoniæ scrophulosæ. Ophthalmiæ ex acrimonia scrophulosa et miasmate gonorrhœæ multa gaudent similitudine, quod plurimum ad affinitatem duarum acrimoniarum ostendendam ponderis habet. Ab utraque distinguitur illa

species ophthalmiæ venereæ, quæ symptoma luis est venereæ. Ophthalmia è miasmate gonorrhœæ oritur plerumque à dejectione metastatica materiæ gonorrhœæ, et semper fere cedit soli methodo antiphlogisticæ. Ophthalmia è miasmate venereo cancroso (*chanchre*) requirit mercurialia.

9 Diathesis metastatica materiæ exanthematicæ, ex. gr. variolarum, morbillorum.

10 Relaxatio partium oculi singularis, quæ sæpe ophthalmiam sic dictam habitualem fluentem producit, quæ à nonnullis etiam *Lippitudo* vocatur.

11 Dantur etiam ophthalmiæ periodicæ.

12 Denique symptomaticè per alios morbos oculorum produci potest.

Curatio interna instituitur secundum indicationes. In chemosi et phlegmone festinandum est cum remediis, ut suppurationi præveniatur. Vesicatoria in cervice et temporibus sunt ubique et plerumque multo cum fructu adhibenda, in primis si illa per emplastrum vesicatorium perpetuum satis diu aperta serventur. Externe ad oculum in inflammationibus acutis, quæ febres habent comites, tantum fomentationes emollientes prosunt, quem in finem decocta malvacea commodissima sunt. Ubi ophthalmia à congestionibus sustentatur, hirudines quam proxime applicati prosunt.

Incisiones quoque in conjunctiva sæpe magni sunt usus. In dentitione infantum lenit opium interne, atque externe adhibitum sæpe inflammationem. In acrimonia venerea solutiones mercuriales lenes externe in auxilium vocari possunt. Mercurialia tanto sunt efficaciora, quod si inflammatio è miasmate venereo cancroso est nata. Generatim ubi adsunt acrimoniæ, laxantia mercurialia prosunt. In ophthalmia habituali inservit aqua frigida, in qua aliquantum vitrioli albi solvere licet. In multis etiam inflammationibus aqua benedicta Rulandi diluta in oculum utiliter instillari potest, in primis ubi inflammatio magis est indolis chronicæ atque ab acrimonia alitur scrophulosa. A medicamentis externis generatim plurimum sperare licet, ab emollientibus atque antispasmodicis.

Infantes recens nati sæpissime inflammationibus oculi sunt expositi, quæ facillime in suppurationem oculorum exeunt. Mature proinde exhibenda sunt laxantia mercurialia, emplastrum vesicatorium applicandum, et fomentationes emollientes adhibendæ.

SURDITAS.

Surditas apud multos Auctores appellatur *Cophosis*, multi autem eam tantum surditatem ita vocant, quæ è vitio partium internarum auris sequitur.

Causæ sunt:

1 Destructio partium organicarum, ex. gr. caries aut anchylosis ossium auditus, paralysis nervorum.

2 Diatheses metastaticæ in febribus.

3 Stases acrimoniæ scrophulosæ, venereæ, et rheumaticæ, quibus non solum glandulæ, sed etiam ossa in margine foraminis auditorii interni turgescunt, atque adeo organa auditoria comprimuntur.

4 Concussiones ex explosionibus tormentorum fortibus, quibus verisimiliter species quædam paralyseos in nervis acusticis producitur.

5 Obstructio tubæ eustachianæ, cerumen inspissatum, et mucositas partium externarum.

Primum casum adesse colligendum est è causis prægressis. Ex inefficacia remediorum adhibitorum mox quoque se prodit.

Diatheses febriles raro sunt periculosæ. Surditas ut plurimum crisi imminente est bonum omen, et symptoma ipsum transitorium.

Contra acrimonias singulares pharmaca illis opposita exhibentur.

Indurationes muci et ceruminis nitimur per oleosa, atque emollientia, atque ubi hæc minime sufficiunt per injectiones resolventes è sapone, felle tauri, aqua benedicta Rulandi tollere. Nonnunquam sola aqua calida optimam præstat utilitatem.

In tubæ eustachianæ obstructionibus est consultum, hæc per os spargere, quod autem habet difficultates.

In congestionibus pertinacibus subinde *Electricitas* præclaram exerit virtutem. Ægro cuidam, qui altera aure è tormenti bellici explosione per octodecim annos surdus erat, atque altera procul dubio è congestione rheumatica ab aliquot annis difficulter audiebat, per electrisationem octies repetitam spatio duodecim dierum auditum fere penitus restitui. (*a*)

LEPRA.

Species quædam scabiei humidæ, seu herpetum est ea, quam Græci *Lepram* appellarunt. Ab aliis exanthematibus tantum in eo distinguitur, quod non solum totum corpus, sed etiam facies crusta crassa furfuracea est obducta, sub qua plerumque cutis cruda jacet.

Vitiligo, morphœa, alphus, leuce,

(*a*) De Morbo isto extat Opusculum *Wenceslai Trnka* sub hoc titulo: *Historia COPHOSEOS, et Baryecoiæ.* Vindobonæ. An. 1778. in 8.

Alterum extat opusculum ejusdem Auctoris super Morbo proxime tractato sub hoc titulo: *De DIABETE commentarius.* Ibidem, et eodem anno. Utinam ambo hæc opuscula particularia rem totam exhaurientia typis nostris hispanicis in communem hic utilitatem recuderentur.

et melas Auctorum species hujus morbi esse videntur.

Hoc genus lepræ haud raro apud nos occurrit, ac indoles exanthematis vitiliginosa, seu herpetica esse videtur. Homines ab ea invasi ut plurimum glandulis scrophulosis gaudent, atque horum ego quosdam hepate sulphuris interne atque externe illud adhibendo sanavi. Sed nonnunquam etiam consequitur tabes letalis.

Bona diæta, balnea calida, et decoctum è ligno sancto concentratissimum mane et vesperi haustum, ita ut sudor producatur largus, insignis sunt pariter utilitatis, præcipue si usus horum remediorum satis diu continuatur.

ELEPHANTIASIS.

Hic etiam morbus quidem lepra appellatur, ab ea tamen discernitur per plura symptomata maligna, et per hoc, quod cutis fiat dura, insensibilis et nodosa, ita ut ea similitudinem quandam cum cute Elephantorum obtineat. Pedes in primis tam deformes fiunt, ut etiam illi pedibus Elephantorum similes esse videantur, unde igitur etiam nomen enatum.

Præterea labia intumescunt, alæ nasi redduntur patulæ, et nodi cutis plerumque in ulcera degenerant malignissima.

In initio suo difficillima est cognitu, color tamen cutis, in locis, ubi malum erupturum est, mutatur, atque ea fit insensibilis. Color capillorum pariter in iisdem locis mutatur.

Morbus in Arabia est endemicus, et idem, quem *MOSES* in Legibus descripsit Leviticis. Quod si is proinde lepra nominatur, à priori in eo distinguitur, quod hæc *Lepra Arabum* appelletur, è contrario illa dicitur *Lepra Græcorum.*

Causa est miasma peculiare, quod maximopere à venereo distinguitur, nec cum Mercurio sanari potest.

Ceterum eodem tractatur modo, ut Lepra. Externe in India species quædam *cuscutæ* adhibetur, quæ cum succo limoniorum in pultem præparatur, qua maculæ et nodi inunguntur.

Singulare hujus morbi est symptoma lascivia invincibilis. Hic morbus nonnunquam à priscis mortalibus per castrationem quoque est sanatus. Nonne proinde fons mali secretio seminis nimium larga fuerit? Et est forsitan hic morbus mater acrimoniæ gonorrhœæ venereæ?

PESTIS.

Character *PESTIS* consistit in inflammationibus topicis in glandulis, atque in partibus carnosis, et membranosis, quæ

raro in suppurationem transeunt benignam, sed maxime ad gangrænam sunt proclives. Illæ appellantur *bubones*, hæ *anthraces*.

Bubones prodeunt plerumque die morbi tertio in conspectum, et sæpe sunt critici; *anthraces* è contrario semper gravem morbi statum ostendunt. (*a*)

(*a*) *Bubones* in inguinibus . . mali: *Anthraces*, seu carbones, et carbunculi pejores: *Petechiæ* hic omissæ pessimæ. Notandum maxime non semper tria ista veram pestem denotare; *siquidem eadem, et cum febre, et sine febre ab aliis causis gigni, inque externam corporis superficiem erumpere possint*. Ita cum Medicis haud paucis notat Antonius Haen Rat. Med. Part. XIV. Cap. 4. Pag. 219.

»Maxime cavendum ne febres malignæ pro »Peste, hancque pro illis infausto confundantur, »quod in initio experitur communissimum. Hinc »maxima Medicorum angustia, (*sed hinc etiam »evincitur eorum hic scientia necessaria.*) In dubiis »enim rebus non monentes Magistratum in causa »ruinæ Regnorum, hominumque esse possent si »vera tandem Pestis sit: si vero monuerint, nec »Pestis fuerit Principum, Magistratuumque pon»dus iræ, indignationisque omne in se congerent; »eo quod et cunctorum mortalium animos panico »terrore permoverint, et commercium, necessa»rium commeatum, reditusque regios omnino sus»penderint." Ita Haenus ibidem pag. 220.

Tanti interest Medicinæ Professorum hac in re peritia atque discretio! Ad eas exactius dirigendas aliquos Canones ab ipsis sequendos proponit hic Auctor iste, quorum præcipui sunt:

Evictum est, morbum magis quam simplici vice homines invadere, quamvis verisimiliter haud in una eademque Epidemia.

Causa proxima est *Contagium*, quod in Aegypto endemicum esse, et cum austris in Europam transferri dicitur, quod autem adhuc nondum est evictum. Hoc contagium est non admodum volatile, quoniam diu in cistis atque sarcinis manere potest, facillime autem per immediatum contactum propagatur. In systema biliosum, præsertim autem in nervos libenter agere videtur; quod non solum è morbi ipsius con-

Pejus est *veram* pestem sed dubiam celare, quam *apparentem* tantum declarare veram.

In isto casu publicum odium immeriti, atque ut viri probi, qui Deum, conscientiamque omnibus Mundi bonis, commodisque prætulerint, incurrerent; in illo strages immanes, depopulatio, desolatio sequerentur.

Si unus, alterve homo, quem invaserit maligna admodum febris cum symptomatibus pessimis, licet etiam brevi pereat, Medicus expertissimis Collegis casum narret eo fine, ut attendant illi, an similem forsan observent, ut mox inter sese conferant de agendis, et Magistratui renunciandis.

Si vicinus eodem, vel simili modo laborare incipiat Collegis similiter declarandum, et si brevi tertius illi similis daretur ægrotus, unanimi consensu renunciationem facere Magistratui tenentur.

ditione, sed etiam è remediis prophylacticis elucescit, quæ maxime ex diæta roboranti, atque animi alacritate consistunt.

Febris ipsa æque est varia, atque in aliis morbis acutis, interim plane propter maximam miasmatis acrimoniam nunquam est indolis benignæ.

In constitutione aeris bona frigida, et corporis robore, atque in Epidemiæ initio ac fine sæpe non multa adsunt symptomata nervosa, sed febris est sic satis naturæ inflammatoriæ simplicis, bubones in suppurationem transeunt benignam, et raro anthraces superaccedunt. Neque tamen methodus antiphlogistica in toto suo ambitu est adhibenda, atque ubique evacuationes efferæ sunt evitandæ. Missione sanguinis providè instituta contendimus transpirationem per alexipharmaca lenia promovere.

In Epidemiæ medio è contrario, atque ubi qualitas aeris et corporis ad putredinem est proclivis, facile prodeunt anthraces, et discrimen est magnum. Hic etiam cum remediis antisepticis semper roborantia ex. gr. acida mineralia cum vino sunt connectenda. Ad sudorem promovendum propinatur potio alexipharmaca. Quoque frictio cutis cum glacie quam maximum præstitit effectum ad tollendam putredinem atque ad sudores benignos promovendos.

Acrimonia in primis viis biliosa plerumque adest, quæ autem nunquam pur-

gando, sed tantum emeticis subito in morbi initio est ejicienda.

Pestis malignissima jam sæpe die secunda necat, priusquam bubones, aut anthraces prodeant. Ubique bubones tam subito, quam fieri potest, ad suppurationem sunt promovendi. (*a*)

Hucusque Selle in opere citato.

(*a*) Plurima circa Pestes varias et morbos malignos, et contagiosos, qui Peninsulam hispanam devastarunt, Scripta extant vulgaria, atque latina á Medicis propriis longe sapientissimis et eorundem autoptis, seu testibus ocularibus, publici juris facta, quæ à Medicis præsertim nostratibus lustranda, atque introspicienda sunt, ut ita parati flagellum istud, quod DEUS in æternum avertat, prævidere, atque profligare valeant. Quadraginta Auctores à NICOLAO ANTONIO in sua Bibliotheca hispana nova, Tom. II. Pagina 590. memorantur. His Auctoribus addendi quoniam omissi: Estiche, Rosell, Gavalda, Villena, Caldera de Heredia, Zamudius, Peramatus, Valdes, Saavedra, Valdivia, Valcarcel, Salgado, Escobar . . aliique innominati relicti ne nimium excrescat catalogus iste celeberrimus hispanus.

Josephus Fornes in Universitate Barcinonensi Medicinæ Doctor et Professor, circa Provincias Galliæ Peste infectas per Regium Hispaniæ Ministerium delegatus, Tractatum utilem *De Peste Masiliensi* vulgavit. Barcinone. An. 1725. in folio.

HYSTERICA PASSIO.

Uteri affectiones, in primis genus nervosum spectantes, adeo multiplices observatæ fuerunt, ut inde ortæ fuerint convulsiones, et cum illis sæpe Epilepsia (illam enim à convulsionibus distinguimus.)

Hæc ergo non tantum fit ab humorum putredine, scirrhis ibi natis, vel cancro ulceroso, sed quasi ab irritamentis, et uti vulgo vocant, *vaporibus*. Hæc res autem sic se habet:

Mulieres satis sanæ, forte irritatæ, incipiunt angi, motum sanguinis penitus perturbatum habere, cum palpitatione; non ita diu post sentiunt ingentem motum circa hypogastrium sub umbilico; dicunt omnes, uterum motum tunc exorbitare.

Rogatæ quid sentiant, dicunt, se molesti quid volubilis, et rotatilis sentire; non ita diu post dicunt, malum adscendere versus umbilicum, et designant semper latus sinistrum; tunc malum altius adscendit, et ubi pervenit supra diaphragma dicunt, se suffocatum iri, et mox lapsuras esse; sentiunt præfocari gulam, nec ita diu post cadunt cum convulsionibus, et sunt epilepticæ.

Hæc est illa *pnix* (suffocatio) *hysterica*. Veterum: non possumus negare, quod

agant corrupti humores circa uterum, et ibi nervos afficiendo eadem mala producant; sed credimus, quod in illis casibus periodicis, ubi nullus ichor vel virus per genitalia defluit, malum non pendeat ab utero; videtur vero esse convulsio, nata et propagata circa partes abdominales, forte circa intestina, et mesenterium.

Huic malo summum, et fere unicum remedium est constringere abdomen in initio, uti de aliis Epilepsiis deuteropathicis diximus.

Hæc Boerhaavius in Prælectionibus de Morbis Nervorum. Tom. II. Pag. 698.

Hic tradit Boerhaavius Passionem hystericam, ut morbum simplicem ab hypochondriaca Passione diversum: nullam enim hic hujus morbi mentionem facit. Distinctio ista postea à Joanne Astruc, et Cullenio proponitur. Hic has diversitatis inter hos duos morbos notas adducit:

Hysterismus communiter mulieres sanguineas et robustas adoritur, à pubertatis periodo usque ad trigessimum quintum annum: hypochondriasis viros, et præsertim temperamenti melancholici. Insultus spasmodici et epileptici frequentius et violentius in hysterismo, quam in hypochondriasi apparent. hypochondriasis frequenter cum dyspepsia jungitur, Hysterismus non ita, vel rarius. In Hypochondriasi stoma-

chus, hepar, lien, pancreas . . notabiliter afficiuntur : in Hysterismo intestina, ovaria, uterus . . Viri licet rarissimè hysterismo afficiantur ; aliquando tamen hunc morbum experiuntur, ut jam pridem adnotavit Medicus hispanus Gaspar Caldera de Heredia hispalensis in suo Tribunali medico . . Parte altera pag. 36. Post istum idem adnotavit Cullenius (Num. 1518.)

Curatio etiam admodum diversa est. Pro ista in Hysterismo determinanda tres hujus morbi gradus distinguendi.

Primus quando symptomata sunt leviora et ratio, sensus, respiratio, et cordis pulsus parum perturbantur.

Secundus : cum sensum ægræ amitunt, subsultus convulsivi apparent, respiratio et pulsus debiles et inæquales valde . . musculi laryngis, et pharingis afficiuntur : hinc Globus ibi percipitur ut in abdomine.

Tertius : quando partium motus penitus abeunt, respiratio et pulsus pene evanescunt, immobiles fiunt, frigescunt, sensum et rationem amitunt, cadaver æmulantur.

Curatio vel in paroxysmo instituenda, vel extra ipsum ; et an morbus iste sit cum materia vel sine illa considerandum. Remedia prudenter applicanda alibi proposita (Tom II. Aph. 1260. in Nota præsertim.)

Videantur *POMMEJUS*, *WITHIUS* atque *LORRYUS*.

HERMANNI BOERHAAVE

INTRODUCTIO

IN PRAXIN CLINICAM.

1 Medicus, qui apud ægros inventurus est agenda, debet tum temporis ex vasta Medicinæ Doctrina habere Topica, vel ut Rhetores dicunt, *locos communes*, qui faciunt, ut juxta illos omnem suam dirigat Doctrinam.

2 *Clinica* Medicina vocatur quæ ægros decumbentes 1. invisit, 2. agenda ibi discit, 3. Agenda applicat.

3 Primum itaque est *visere* ægrum, videndo ægrum Medicus deprehendit *sexum* quod sit *mas*, vel *fœmina*.

4 In *Mare* deprehenditur, quod sit *puer*, vel *adolescens*, vel *pubes*, vel *vir*, vel *senex*, vel *decrepitus*.

5 In distinguendis his *ætatibus* summa opus est circunspectione, nam gradibus hæ censentur, non mensura temporis, sed effectu vitæ peractæ, et statu vitæ præsentis.

6 Multi sæpe vitam ita instituunt, ut cito senescant: sic vidi, qui jam ante annum trigessimum steriles fuere; et contra fertiles ad annum nonagesimum.

7 Quoad *statum vitæ* respicimus 1. laborem, vel otium, fracta membra labore, ut ait Horatius, qui arant, fodiunt, raro longævi sunt, licet corpora optime constituta fuerint. 2. luxum, vel sobrietatem; nam nihil citius debilitat, quam luxus. 3. voluptatem, ratione indulgentiæ, et abstinentiæ. 4. morbos toleratos, et non toleratos.

8 Primum igitur quod visendo ægrum nosse debet Medicus, est sexus, in sexu ætas, in ætate distinctio.

9 Discit Medicus, quod sit, *fœminal* quæ vel *puella*, vel *puella adolescens*, vel *virgo*, vel *gravida*, vel *parturiens*, ve, *puerpera*, vel *nutrix*, vel *anus*, vel *effœta*.

10 *Effœta* dicitur, quæ amplius concipere, aut parere non potest, quod tempus varium est, sic rarum est, hic videre mulieres, quæ post quadragesimum annum pariunt, tamen vidi, quæ ad annum quinquagesimum secundum fertiles mansere puerperæ.

11 Sed intelligenda illa ætas, ubi *desinentia menstrua* dant signum corpus illud non amplius aptum esse ad concipiendum, nutriendum, lactandum.

12 Unica hic est distinctio, quod mares, quantum scimus semper maneant fœcundi, fœminæ vero non nisi ad certam ætatem. Homo centenario major in Anglia adulterii acusatus, et convictus est. In fœ-

minis hoc non ita apparet, nisi sint miracula, ut de *SARA*, quod in sacris legimus, quæ ridebat ad Angelum, quod impræg-nata esset, ubi matrix ejus jam clausa. (Genes. Cap. XVIII. Vers. 10.)

13 In his distinctione opus est. 1. Ratione *citioris*, vel *tardioris incrementi*. Universalissima est regula: quo mulier citius crescit per paucos annos, eo citius menstrua habebit, et eo citius menstra desinent. Hoc vix fallit.

14 2. Ratione *purgationis uterinæ*, quæ pro incremento corporis varia. Sic visæ sunt fœminæ, quæ fecundissimæ fuerunt, quæ tamen menstrua non habuere antequam viris jungerentur, sed post unum alterumve congressum menstrua prodiere, postea diu fertiles mansere.

15 3. Ratione partus *præcocis* vel *seri*; nam multæ fœminæ, priusquam corpora idoneè formata sunt, et priusquam cartilagines in ossa transiere, pariunt. Sed hoc malo cum successu, nam ut *Tacitus* dicit, apud Germanos erat sera juvenum venus, eoque inexhausta senectus.

16 4. Ratione numeri *Partuum* nam fœmina ubi vigesies peperit, ubi desinit parere longe aliter se habet, quam illa, quæ tantum semel vel bis peperit.

17 5. Ratione desinentis purgationis uterinæ serius, vel ocius. Multæ ultra quinquagesimum annum menstrua habent, ple-

ræque quadragesimo secundo, vel quinto anno non amplius habent, hæc ingens est distinctio, et morbi, qui ab his supputantur annis vel seriores, vel citiores erunt.

18 Dein etiam huc referuntur omnia quæ dicta sunt in viris (§. 7.) nam non tantum dixi singularia, sed omnia ex vita ante peracta in fœminis etiam vera sunt.

19 Præter sexum et ætatem in quolibet sexu multa sunt observanda quæ inquiri debent, intellecta *idiosyncrasia* illa, quæ est cuique homini singularis, et proprius habitus, ratione formatæ compagis partium solidarum, ratione fluidorum contentorum, ratione utriusque simul. Latinis dicitur propria comixtio; hæc mixtio solidi et fluidi, et mixtio elementorum solidi, et fluidi inter se, quæ cuique propria est, *Temperamentum* dicitur.

20 In *solidis* obtinet *laxum*, et *strictum*; si per liquida corpus extensum sit inflatum, et quasi tumens tunc laxum obtinet, quando attenuatum, tunc corpus est strictum, hoc oculus clare videt.

21 In *fluidis* habemus phlegma, bilem, atram bilem, et sanguinem, sed hoc paulo obscurius oculis patet. Nos vero præcipue agnoscimus temperiem 1. *Aquosam*, si aqua prædominatur, quod videmus ex pallore corporis et oculis pallidis.

22 2. *Biliosam*, hæc cognoscitur gra-

cilitate, flavedine, calore majori, urina semper magis flava, si dicis, non est vera bilis, non repugno, sed non opus est hoc inquirere; intelligo, ubi illud oleum excoctum abundat, gracilitas totius, calor naturali major, ariditas quædam, color corporis vergens ad flavedinem.

23 3. *Oleosam*, hæc sponte patet, si omnia plena sint lardo pingui.

24 4. *Salsam* hæc se manifestat sapore acrimoniæ salsæ, et si habitus corporis tenuior apparet.

25 5. *Terrestrem*, ubi siccitas cum torpore, et immobilitate deprehenditur, subniger color cum ariditate.

26 6. *Atrabiliariam*, huc refferre debeo *amorgen tov aimatos*: (hoc est *fæcem sanguinis*) ubi à sanguine bono avolarunt partes tenues mitissimæ, et partes crassæ, oleosæ, salsæ terrestres abundant, illud notat, quod talis homo habeat officinas viscerum obstructas, si in tali homine movere velis materiem non coctam, rumperes omnia vasa, et haberes suppurationem. Hanc idiosyncrasiam monstrat color niger, vasa magna, macilentia totius corporis, cunctatio, et tarditas in actionibus.

27 *Scorbuticam*, et *putridam diathesim*, multi homines his in locis putrescunt, dum adhuc vivunt, halitus ad tres pedes ferri non potest; urina putrida, fœces alvinæ; et sudores fœtent, gingiva putrida est, in-

testina talium hominum dissectorum vix è loco moveri possunt, quin inter manus instar muci difluant, hanc temperiem monstrat putredo oris, ejus fœtor, sitis, et siccitas in ore, si corpus attingis, fit macula rubra, vel purpurea; urina acris, urens, fœtida; inspice gingivas inter dentes, an tabum album putridum adsit; halitus fœtidus; si purgare velis ad mortem usque purgantur, oborta diarrhœa non facile sistenda.

28 Visendo ægrum, inquirit Medicus, an in ægroto ante morbum factum quem examino, aliquid fuit *præexistens* quod facere potuit, vel facere potuisse videtur ad præsentem cognoscendum, et curandum morbum instar *prædisponentis*?

29 Medicus non debet, inquit Hippocrates, turbare ægrum, sed taciturnus accedere, ad lectum se apponere et blandis alloquiis interrogare, et sic discere, quæ ante Morbum hunc fuerunt, non ilico offendere, et metum incutere, non impetu, vel festinando, sed sedate alloqui.

30 Debemus videre, num sit 1. *Plethora*, mirabilis morborum causa, si aliis accedat morbis; corpus plethoricum dicitur, quod non ægrotat, sed quod in tali statu est, ut si humores vel copia, vel motu, vel raritate, vel calore augeantur, et vasa magis distendantur, illud ferre non possit, nec refert an plus ingeratur. Si

Plethora sit, et gravis morbus invadat, novi tum, quid fieri debeat.

31 2. *Cacochymia* : Huc referre debeo, si homo scorbuticus est, et oritur diarrhœa epidemica, omnes inde moriuntur, nam status ventriculi, et intestinorum est instar gingivarum, quæ si paulum comprimuntur, et irritantur statim sanguis effluit.

32 3. *Cachexia*; quæ est habitus corporis tam in solidis, quam in fluidis corruptus.

33 Visendo ægrum, vides qualis sit *aer*, anni tempestas et tempestatis ratio inspiciendo thermometrum.

34 *Locus* statim habetur cognitus, nam ubi ægrum video, scio, in quo loco sum, et omnia, quæ ad illum pertinent, an in illo loco quid endemici vel epidemici adsit, an uliginosum vel humidum in putredinem abeuns, an montana siccitas.

35 *Victus*, nam videndo hominem pauperem, novi quo victu usus fuerit, nempe solo pane, et lacte ebutyrato, nam carnes, pisces, cerevisia bona, vinum non suppettunt.

36 *Vita ante acta, quoad opificia, corporis exercitationes, et vestes.* Sit vir sexaginta annorum, Leydanus, textor; ex circunstantia novi, quod sit vir pauper, rogo reliqua ex signis topicis, noto unum, et sic ilico habeo descriptionem.

37 His indagatis quæritur: *quando Morbus inceperit?* Homines supputant corripuisse morbo, quando non laborare posunt, quamvis sæpe antea fuerint morbosi, sic æger quando scorbuticus jam fuerit, et quartana accedit, rideret, si interrogarem, jam antea ægrotasti, et quando? Nam illud notat infinita, tempestatem, et anni tempus.

38 Rogo, *antequam hic morbus fuerit, quid prægressum*, hic respondere non poterit æger, sed debeo me ipsum informare, percurrendo quatuor classes.

39 1. *Gestorum*: Sic si incipit quartana mense Aprili, inde scio, quod æstiva sit, examino qua hora invadat? An post prandium? An post labores? An post somnum? Examino quid gestum sit corpore, quidve animo ante hunc morbum.

40 2. *Ingestorum*; quid comederit, hujus rei æger semper memor est, incusat autem præcedentia semper vel dicit, quod comederit multum de lardo, vel salsamentis, vel piscibus, vel aliquando voluere prophylacticum capere, et forte fuit venenum, quod datum fuerit; per *ingesta* intelligo aerem, cibum, potum, medicamenta, venena.

41 3. *Retentorum*, *excretorum*: Multi morbi fiunt, quando consueta aliqua excretio desinit tam naturalium, quam nonnaturalium. Vid. Hippoc.

42 4. *Applicatorum* ; Hoc nunquam negligamus ; hæc qui examinat invenit plurimorum morborum causas. Sic Sidenhamus dicit, quod vix unquam febres autumnales epidemicæ oriantur, nisi ea ocasssione, quod homines vestes hybernas nimicito mutent, vel sero induant, valde frigidum biberint, postquam valde incaluere, vel sudantes cito rifrigerati sint. Ego accersitus ad puellam curandam, quæ febre continua putrida laborabat, orta à Mercurio, sicuti fœtor Mercurii peculiaris mihi notus manifestabat, vidi quod morbus esset exulceratio gingivarum à Mercurio (Mercurius vivus erat adhibitus ad vermes enecandos.) Si Medicus hoc negligat, æger perderetur titulo promissæ salutis in perniciem Artis, si tractassem ut scorbutum, vel gangrænam et spiritum salis cum melle rosaceo applicassem, nocuissem.

43 Hæc dum aguntur ordine omnia prosequor, intellecta enim causa remota, facilius tunc erit, causam morbi proximam accurate investigare.

44 Rogo, *quomodo morbus inceperit*, et quod æger primo molestum senserit? Hoc nescit æger, sed si rogo, an habebas dolorem, debilitatem, nauseam, vomitum? Hoc novit, inquiro igitur, qua actione læsa inceperit, percurrendo omnes *actiones*.

45 1. *Vitales* an facile respirabas? An multum calebas? An ilico valde debilis eras? Intelligo statim, quid in functionibus defuerit, si ilico, quasi sydere ictus erat intelligo vitalia affici.

46 2. *Naturales*, an appetitus statim deletus fuerit? An statim sitis magna? An adhibitum cibum horreat?

47 3. *Animales*; facile hoc scio, nam adverto, an sensibus constiterit? An deliraverit?

48 *Intellecta actione læsa*, inquiro, quomodo, dum morbus hic incepit, *qualitates sunt statim mutatæ.* Sic incipiente morbo, statim erat *color* flavus, vel statim albissimus, si flavus, scio impeditum esse bilis transitum. Scio ex *odore*, an statim, ac morbus incepit, fœx alvina, quasi cadaver oleat. Hoc etiam docet *tactus*, an statim maxima asperitas, siccitas? An summus calor in externis?

49 Post hæc examino *excreta naturalia, et morbosa*, magnus ille campus hic venit. Excreta naturalia sunt; perspiratio, sudor, fœx albi, urina, menstrua, lac, cerumen aurium.

50 *Excreta morbosa* sunt. 1. excreta naturalia mutata, et facta præternaturalia, vel sunt; sudor, lacrymæ oculorum, mucus narium, oris, faucium, œsophagi, laryngis, asperæ arteriæ, bronchiorum.

51 2. *Sanguis*; cum sudore sæpe exit, ut toties contingit, uti hic in puella visum est, in qua linteamina, quibus detergebatur corpus, madebant sanguine, tale quid sæpe etiam fit ex naribus, oculis, faucibus, sine, vel cum magno malo.

52 3. *Excreta vomitu*: vomitus est ingestorum, pituitæ, muci, bilis, lymphæ, sanguinis, bilis atræ, fœcis alvinæ, (quæ aliquando cum vomitu rejicitur), puris, ichoris.

53 4. *Alvo excreta* deorsum ægestorum, uti est in lienteria, muci, bilis, lymphæ, sanguinis, bilis atræ, puris, ichoris, hæmorrhoidum; hæc exeunt alvo, quæ singula, si negligantur, faciunt incertum de Morbo Medici judicium.

54 5. *Urina* aquosa, biliosa, flava sine fætore, nephritica, mucosa, phlegmonodes, qualis in febribus ardentibus, fœtida, spumam continens diu, putrida, sanguinea, purulenta, ichorosa, gonorrhoica.

55 6. *Excreta utero*; fluor albus à sola mucosa dispositione cryptularum, qui à Gonorrhœa venerea distinguitur, hæc semper cum ardore urinæ, et lancinationibus circa urethram: pus, ichor, sanies, virus cancrosum.

56 En sic inquiro quibus *Sympthomatibus* stipatus fuerit morbus, et si coram ægro incipio vacillare, et habeo talem ca-

talogum, et subdole inspicio, et respicio urinam, ilico habeo quod volo. (*a*)

57 Porro *inquiro*, quomodo morbus increverit constiterit, et decreverit, et mutatus sit usque in præsens; hoc est compendiosissimum, et utilissimum, quod hic communicari potest quoad regulas.

58 Postquam hæc omnia indagavi, rogo me ipsum, quodnam huic morbo 1. nomen conveniat, sed verum nomen scire debeo, an sit apoplexia, an paraphlegia, an parapoplexia; tunc non poteris falli.

59 2. Quis status ejus morbi *præsens* an sit *arche* vel initium? An *anabasis* vel adscensus? An *acme* vel vigor? An *meiosis* vel imminutio? An *telos* vel finis? An *lysis* vel Sanatio? An *metastasis* in alium morbum mutatio? Non enim suf-

(*a*) Documentum istud apochriphum absdubio est, à probitate, atque severitate boerhaaviana alienissimum. *Vacillatio* ista scientia vera præcavenda. Si Medicus revera morbum in initio non agnoscit, vel paulisper expectet, aliqua remedia levia adhibens, vel alium Professorem si gravitas atque necessitas expostulet, accersiri jubeat. Ægri confidentia in Medico illi præsertim utilissima; iste tamen eam scientia vera, atque probitate immaculata adipisci, et conservare nitatur.

Opusculum istud præstantissimum posthumum est, Anno uno post Boerhaavii mortem editum Leidæ An. 1740. Hinc non mirum aliquid minus exacti in eum irrepsisse.

ficit morbi nomen tantum cognoscere, sunt enim in pleuritide multi status, vel est in statu inflammatorio, vel suppuratorio.

60 Cognoscatur 3. pars affecta 1. an viscus, vel cerebrum et contenta cranio, vel pulmones, cor, viscera chylopoietica, cholopoietica, spermatopoietica. Rogo quænam pars affecta sit? Si viscus, rogo quodnam viscus?

61 2. An glandula, nam ad viscera sunt magnæ glandulæ, ut magna compages glandularum sialogogarum, mesenterii, pancreatis.

62 3. An sit affectio *Rheumatica.*

63 4. An hæreat in *articulis.* Hic occurrunt omnes morbi articulares, ut arthritis, rheumatismus, arthritis vaga, fixa, podagra.

64 5. An sint *Arteriæ*, nam multi morbi hærent in arteriis, ut sunt febres ardentes.

65 6. An sint *venæ*, ut in varicosis, et œdematosis malis, et diathesibus.

66 7. An *loca colligentia*, cava cordis, sinus, auriculæ, sinus in capite, in hepate, vesicula fellea, pelvis?

67 8. An loca *excernentia.*

68 9. An *nervi* sint affecti, nam multi horrendi morbi in solis nervis hærent, reliquo corpore integro.

69 10. An *humor vitalis* sit affectus?

An cacochymia sit nata venerea, scorbutica, vel et hypochondriaca?

70 Inquiritur: quænam sit *materies peccans* in parte affecta?

71 Hæc est vel 1. solida, ut polypi, vermes, puls, pingue solidescens in atheromate, liquor meliceridis, durum scirrhosum, durum cancrosum, durum condylomatosum.

72 2. Vel fluida, tum ob oculos versare debet vel inflammatoria, vel purulenta, ichorosa, saniosa, virosa, ut in cancro, venerea, scorbutica, podagrica.

73 Postquam hæc examinavi, rogo de *diagnosi* Morbi, tum elicitur morbi nomen, gradus, pars affecta, materia afficiens.

74 Tunc rogamus *prognosin* quando ex præcedentibus scimus sexum, ætatem, idiosyncrasiam, prægressa, cacochymiam, plethoram, cachexiam: scitur an absoluta spes sit, an dubia sit, aut an nulla spes sit.

75 De tribus generalibus tum definitur quid agendum sit, nam tum morbus est visus, et cognitus.

76 Hinc non debemus otiosi esse, nec festinare: quæcumque tamen exhibeantur prudenter, atque possibili securitate fiat. In dubiis legendum, meditandum, et consulendum. Confidentia ægri scientia vera inquam, atque asistentia necessaria, et

afabili concilianda. Ita illi erit gratissimum cardiacum.

(*Quæ alia hoc numero continentur apochrypha revera sunt.* Vid. n. 56 *et ejus annotationem.*)

77 Quando constat de prognosi, definitur *indicatio*: hæc est vel *vitalis*, vel *præservatoria*, vel *curatoria*, vel *mitificans.*

78 In indicatione vitali ordino 1. Aerem communem, calidum, frigidum, humidum, siccum, vel purificatum, ventis, et medicamentis, ut in Nosocomiis ubi plurimi decumbunt.

79 2. Cibum *vegetabilem*, *crudum*, *cerealem*; ut avenam, fagopyrum, milium, oryzam, triticum, secale. Cruda cocta dant cibum non fermentatum, vegetabilem. Crudum voco non ratione coctionis, sed fermentationis.

80 *Oleraceum*; hic habetur titulus in Materia Medica; brassica rubra, beta, spinachia, lactuca, endivia.

81 *Fructum tenue.* Batavis illa hodie nota terræ tubera solani esculenti, terræ glandes decocto præbent cibum simplicem, et in febribus ardentibus optimum remedium, addito sale, saccharo, melle pro grato sapore.

82 *Fructus horæos*; omnes baccæ, uvæ, cerasa, mora, rubi idæi, poma, pyra, melones, pepones.

83 *Fermentatum* ; panis , et omnia inde facta huc pertinent , panificia culinaria fiunt , si subigo farinam tritici , cum aqua fermentationi commito , coquo hoc voco fermentatum , tum minus est flatulentum. Si nolo triticum habere , sumo frustum panis , torreo leviter , coquo ex aqua , habes panadam , vel panatellam Italorum.

84 Sic diversa potestis sumere , et ilico formare formulas , quot vultis , et quater in die mutare et manere in eodem proposito , et grato cibo placere ex fructibus horæis. ex. gr. si decoquis poma cum saccharo , vino , et cinamomo.

85 *Animalem* : caro assa , elixa , numquam damus frixatam in morbis , assa plus ad bilem accedit , elixa minus , hæc possunt temperari succo limonum , et sic melius aptari ; ova , pisces marini , fluviatiles , crustacei ibi conveniunt , ubi acidum prædominat , et putredo bilis abest hæc vel assari , vel elixari possunt. Longo citius piscis putrescit , quam caro , excipio piscium pingue ut hepar , et pisces fibrosas fibras habentes , ut salmo , asellus major , et minor , raja , crustacei pisces , tanti ab Hippocrate æstimati , qui summas inde curas dieteticas commendat , in summis quoque morbis , ubi homo caderet præ debilitate magni usus sunt jura cancrorum fluviatilium. Si cancrum heri coxeris , hodie ferit nares alcali-

tas. Porro lac recens, hydrogala, serum lactis. En nunc cibos simplices, medicamenta cardiaca replentia.

86 *Potum* 1. non fermentatum, ut aqua vel aqua cum vegetabili crudo cereali, vel fructu horæo cocta; tractatur homo variolis laborans, coquo ribesia, colo, admisceo paulum sacchari, et cinnamomi, erit potus omnium gratissimus, sitim sedans, putredini resistens; poma coquo, poma tero, per pannum comprimo, pultam hanc cum saccharo, et vino Rhænano condio.

87 *Fermentatum*, hydromel, vel mulsa fermentata, vinum de uvis, pomis, pyris, grossulariis, hinc intelliguntur cardiaca replentia. Jam primæ indicationi satisfactum.

88 Quid jam vos detinebit, si ægri vel Amici vos rogant quid licet bibere? Si scis morbum esse biliosum, salinum, vel aquosum, scis potum debere esse oppositum. Si homo acido obrutus vult potum, et dives est, totus quantus debilis, inertia undiquaque laborans, sumo decoctum album Britanicum, ebur in scobem rasum, et cornu cervi decorticatum rasum; coquo cum aqua per horas, facio ut gelatinæ quid in aqua dilutum sit, hoc gratissimum est, odorem, et saporem nullum habet, sed adversissimum est omni acido. Si pauper est æger, in tali casu aqua simplex ejusdem

est effectus, vel confugio ad cardiaca roborantia, vel cardiaca stimulantia, spiritibus similia, illa odoratissima vid. Mat. Med. in classes offendentes, et non offendentes digesta. Ultra non possunt quærere ægri, amici, Medici.

89 *Indicatio præservatoria*, quæ causam morbi tollit, triplex est; 1. *correctio*, 2. *enervatio* 3. *Mitificatio.*

90 Indicatio *præservatoria* agit vel per *Diætam* antea explicatam, vel per *Chirurgica*, huc recensentur venæ-sectio, scarificatio, hirudinum applicatio, vesicatoria, fonticuli, setacea, clysmata, fotus, epispastica, frictiones, &c. vel per medicamenta evacuantia, et corrigentia (barbari dicunt *alterantia.*)

91 Indicatio præservans in unam vel alteram causam morbi agit tantummodo, non agit in ipsum morbum. ex. gr. laborat quidam pleuritide sævissima cum phlegmonode diathesi sanguinis: hic causa est triplex: 1. diathesis inflammatoria, 2. strictura in arteriis intercostalibus. 3. febris violenta urgens, hæc tria simul sumpta sunt ipse morbus. Quomodo nunc curabo pleuriticum prophilactice ex arte Hippocratica. Sumo ex causis unam, diathesin sanguinis inflammatoriam, hujus causa proxima est compressio, hanc curat missio sanguinis corpus debilitans, vel potu diluo, quod

densum est, sed si omnia sustuli therapeutice curavi.

92 Indicatio *curatoria* morbi indole, causa, sede cognita involvit complexum omnium causarum, quæ auxilium petunt. Hæc auxilia agunt vel corrigendo acre, per oppositum; sit acidum extra primas vias, do salem volatilem; si in primis viis, do lapides cancrorum, vel cretam, vel maturando. *pepainein* (coqui.)

Quod acre est, ne motum noceret, prius mitificandum est; eroduntur nares, mones ut aquam calidam ex vola manus educat, das decocta pultacea ex malva, hordeo, scorzonera; abstineat æger à salsis spirituosis; loco coryzæ acris habebis mucum, quæ materia matura est, et educi potest per loca idonea; hoc fit victu, manu, medicamentis, si nunc scis, quid prophylactice conveniat, scis etiam quid therapeutice, quod est omnes causas simul tollere.

93 Indicatio mitificans in eo consistit, ut videam ex omnibus, quæ in ægro sunt quid quammaxime periculosum sit, vel per se, vel per effecta. Vides dolorem intolerabilem vel magnam evacuationem, sisto illam; sanguis cum impetu ex arteria exeat, mitto omnia, sisto illam; si per alvum fertur materia sanguinolenta, applico clysma opiatum. Sic dolor summus, evacua-

tio summa, pervigilium requirunt citam curationem, vel mitificationem.

FINIS.

Cum ad Ægrotum deveneris, interrogare oportet, quæ patiatur, et ex qua causa, et quot jam diebus, et an Venter secedat, et quo victu utatur. Hipp. Lib. de Affectionibus, Sect. II. Text. 36.

Mirum absdubio videri debet Boerhaavium Hippocratis supremum veneratorem et redactorem in Introductione ista hujus textus hippocratici non meminisse. Quinque capita in eo continentur, ad quæ reduci possunt quæsita fere omnia præcipua, quæ à Medicis ad cognoscendos morbos facienda sunt. *Julius Cæsar Claudinus* Bononiensis Medicinæ Professor librum scripsit, cui titulus: *De Ingressu ad infirmos*, in quo *auream et æterna dignam memoria sententiam istam* Hippocratis nominat. (Cap. I. pag. 2.) Quinque istos cardines sive principia commentatur, et ex professo explicat, et in Tironum gratiam hujus Auctoris expositionem contractam adjiciam.

Quæ patiatur erat interrogatio prima,

quæ versari debet circa illos affectus, de quibus æger conqueratur, qui ab ægro, et adstantibus rudi licet Minerva expositis, morbi essentia, species . . ipsaque sedes sagaci Medico innotescent.

Secundum quæsitum erat: *Ex qua causa.* Per istam indagare debet Medicus causas externas, procatarcticas, primitivas, ut inde internas, proximas, conjunctas .. perspiciat, ut si possibile sit eas auferat, vel enervet, ita ut morbum vel præcaveat, vel mitiorem reddat.

Quot jam diebus tertium erat interrogatum. Hoc in acutis diversam ideam principii, augmenti . . offert, quam in chronicis: symptomata enim in istis tardiora, in illis velociora apparent, quod pro cognitione, atque sanatione animadvertendum.

An alvus secedat. Adstrictio, et laxitas ventris valde considerandæ. *Alvi stupor omnium confusio*, ex Hipp. (VI. Epidemior. Sect. III.) Ventris laxitas debilitat, remedia alias efficacia contraindicat, hinc considerandа.

Quo victu utatur æger. Hic innuitur indicatio vitalis, quæ maxime attendenda præpositis indicationibus curatoriis, et præservatoriis. Loquitur etiam Hippocrates de victu, tanquam alimento, et etiam, ut materia medicinali morbo opposita.

Ista pro Tironibus sufficiant.

HIPPOCRATIS COI

APHORISMI

VERSU HEROICO EXPLICATI

Á JOANNE BAPTISTA CONDÉ

MEDICO BRUXELLENSI.

Numerus, qui Aphorismum præcedit Sectionem; qui illum claudit ordinem ejus in Sectione significant.

PROŒMIUM.

I. *Ars longa est, et vita brevis, occasio præceps,*
Judicium quoque difficile, experientia fallax,
Nec proprio Medicum satis est bene munere fungi,
Ritè suo jussus pariter nisi fungitur æger,
Astantesque suo, sintque extera ritè parata. 1.

SECTIO I.

De his quæ ad Diætam instituendam spectant.

II. *Victus paulò quidem pejor, sed gratior, illi*
Qui melior, verùm gratus minùs, anteferendus. 38.

II. *Insuetis assueta solent minùs esse molesta,*
Hæc licèt indubiè sint illis deteriora;
Hinc et ad insolitum fieri mutatio debet. 50.

V. *Quæ citò frigescit, calefitque, levissima lympha est.* 26.

I. *Bruma et vere solet plus venter habere caloris,*
Et somni minùs esse breves, plus postulat ergo
Tunc natura cibi, siquidem tum fervet abundè:
Ætates atque athletæ testantur id ipsum. 15.

I. *Autumno graviter, nec non æstate ciborum*
Copia digeritur; meliùs fit coctio bruma;
Verna locum retinent post brumæ tempora primum. 1

I. *Qui crescit, plus ille calet, plus postulat ergo*
Nutrimenti, aliàs corpus consumitur illi:
At calor in senibus cum non nisi paucior adsit,
Hos modicè nutrire sat est; nam copia lædit:
Atque ideo quia languet iis præ frigore corpus,
Rariùs in senibus febres oriuntur acutæ. 14.

I. *Præ cunctis ætas jejunia ferre senilis*
Absque labore potest, huic ætas proxima constans,
Post hanc succedit juvenilis, at omnibus illis
Longa minùs possunt pueri jejunia ferre,
Præsertim ingenio qui sunt meliore potiti. 13.

II. *Assueti licèt invalidi sint, et seniores,*
Promptiùs insuetis possunt sufferre laborem,
Sint licèt hi fortes, mediæque in flore juventæ. 49.

II. *Quod citò corpus alit, solet id cito corpore pelli.* 1

II. *Non saties, non ipsa fames laudanda, nec ulla*
Naturæ solitum quæ sunt transgressa tenorem. 4.

II. *Fas omnem, dominante fame, vitare laborem.* 1

II. *Esuriem vini generosi potio solvit.* 21.

VII. *Humidiore quibus sunt corpora prædita carn*

onvenit esuries, siquidem siccantur ab illa. 59.
II. Magna cibi nimiùm producit copia morbos. 17.
I. Cum nunquam chronicis in morbis absque periclo
t tenuis victus, tum non securus acutis
laud quibus expetitur. Rursum tenuissimus ægro
ictus, ut ad summum repletio ducta, molestus. 4.
I. In tenui victu delinquunt sæpiùs ægri,
uio sibi plus obsunt: nam factus quilibet error
lus solet in tenui, quàm pleno lædere victu,
dcirco tenuis victus, præscriptaque certò
lensa, solet sanis etiam persæpe nocere,
uòd gravius errata ferant; ideòque pericli
lus, tenuis nimiùm quàm paulò plenior adfert. 5.
I. Protinus extremus, si morbus sit peracutus,
entitur quacumque dolor; tenuissimus ergo
roderit his victus: quod si non sit peracutus,
as erit à tenui tam se subducere victu,
Quàm procul extremis morbus censetur abesse. 7.
I. Quando viget morbus, victus tenuissimus esto. 8.
I. At num cum tali victu exspectare vigorem
at poterit, nec ne, ex infirmo conjiciendum. 9.
I. Mox quibus ergo vigor fiet, mox victus iisdem
ervetur tenuis; si verò tardius adsit,
Tum demum, quando vigor instat, subtrahe victum:
nte tamen plenè, quo sit satis æger, alendum. 10.
I. Est opus à mensa sese subducere, quando
Morbus acerbatur; siquidem nutrire nocivum,
Atque novos per circuitus quæcumque gravescunt,
emper in accessu fas est exhorreat æger. 11.
I. Queis per circuitus morbosa accessio certos
re, redire solet, dare nil, neque cogere fas est,
Verum his ante crisim consuetum subtrahe victum. 19.

I. *Cum victus ratio febrientibus humida cunctis,*
Tum solet assuetis puerisque perutilis esse. 16.

I. *Advertendum etiam, quos bisve, semelve cibare*
Partitimve decet, quibus et concedere largam
Proderit, aut parcam potius præscribere mensam:
At ratio vitæ simul est nonnulla peractæ,
Temporis, ætatis, nec non regionis habenda. 17.

VII. *Si quis eum victum, quem sano, febricitanti*
Exhibet, in sano fit robur, morbus in ægro. 65.

V. *His sublata quibus præcordia murmura reddun*
Quique sitire solent, cerebrove, aut febre laborant,
Lac nocet, his etiam quos febris vexat acuta,
Queis bilis, vel multa fuit dejecta cruoris
Copia: lac contrà juvat hos qui tabe laborant,
Nec multùm febriunt, prout hos quos languida febr
Et perlonga tenet (modò dicta his omnia desint)
Et multum notis sine causis extenuatos. 64.

II. *Quæ defecerunt paulatim corpora, sensim*
Restaurare decet, breviter maciata, repente. 7.

II. *A morbo comedens si robora nulla resumat,*
Quòd nimius detur cibus illi significatur;
Si verò parcè comedat, vacuare necesse est. 8.

II. *Promptiùs atque cibus liquidi dant robora potus.*

II. *Esto malum gracilem, comedit qui ritè, manere.*

II. *Qui malè dispositi, comedunt per initia multu*
Proficiuntque nihil, subit illos nausea tandem:
At quicumque cibum primò vehementius horrent,
Atque deinde fament, degunt felicius illi. 32.

II. *Impurum corpus, quo plus alis, hoc magè lædis.*

II. *Corporis in quovis motu, simul atque laborem*
Sentiat, extemplò requies solatia præstat. 48.

II. *Et dormire nimis, nimis et vigilare, nocivum.*

VII. *Sunt mala, præ multo rigor, et deliria, potu.* 7.

SECTIO II.

De his, quæ spectant ad Prædictionem generalem, in febribus præsertim.

II. *Laxa quibus, facilisque fluit junioribus alvus,*
is ætate solet magis esse adstricta senili:
contrà, queis sicca fuit junioribus alvus,
se senectutis consuevit tempore laxa. 20.

II. *Queis facilis concessa fuit junioribus alvus,*
imò ritè valent; at verò ætate senili
ejus habent, tum namque solet minùs humida reddi. 53.

II. *Sponte fatigari, morbi prognosticon esto.* 5.

IV. *Si morbum pars ante dolet, fit morbus ibidem.* 33.

IV. *Si qua post morbum revalescens parte laboret,*
ac, qua sentitur labor, apostemata fiunt. 32.

II. *Sæpiùs in morbis prognosis fallit acutis,*
ve ea sit mortis prænuntia, sive salutis. 19.

II. *Intra bis septem spatium plerumque dierum,*
udicio morbis contingit finis acutis. 23.

II. *Si quæ dent aliquod, non pro ratione, levamen,*
lis fide parum; mala nec vehementiùs horre,
uæ non legitima fieri ratione videntur:
amque incerta solent hæc esse, brevique perire. 27.

II. *Nox solet ante crisim, quàm post, magis esse molesta.* 13.

II. *Index septenæ quarta est, octava sequentis*
rincipium hebdomadæ, pariter spectanda videtur
ndecima, hebdomadæ nam lux est quarta secundæ,

Septemdena dies memori quoque mente tenenda,
Post decimam quartam, nam quarta hæc esse notatu
Et post undecimam præcisè septima lucem. 24.

II. *Mens ubi per morbos constat, et ad omnia ritè*
Sese æger quæ dantur habet, sunt signa salutis;
Si verò se contrà habeat : mala denotat illi. 33.

II. *Per morbos sufferre minus solüere periclum,*
Quorum naturæ, ætati, stationibus anni,
Vivendique modo morbus respondet obortus,
Quàm quibus in nullo fuerit cognatus eorum. 34.

I. *Morbi et circuitus, cum tempestatibus anni,*
Sive hi quotidiè fiant, aliisve diebus;
Naturam morbi nos, accessusque docebunt;
Nec minus ex illis quæ sese postmodo produnt
Sumitur indicium : sic quæ in pleuritide fiunt
Sputa, brevem morbum declarant esse futurum,
Si cito procedant : tardam, si tarda, salutem,
Urinæ quoque, sudores, cum fæcibus alvi
Judicio facilis sit, difficilisne futurus,
Num brevis existet morbus, nec ne, manifestant.

IV. *Principio morbi si bilis prodeat atra,*
Sive infrà fuerit, seu suprà, perniciosum. 22.

IV. *Si queis per longos, vel acutos corpora morb*
Vulnerave, aut aliis de causis, extenuata,
Bilis nigra, velutve cruor secernitur ater
Postridie tales passim de corpore migrant. 23.

IV. *Qualiscumque cruor suprà processerit, omni*
Est malus, infrà autem, bonus est, si prodeat ater.

VII. *Si quibus in longo contingat nausea morbo,*
Et sincera alvi dejectio, perniciosum. 6.

VII. *Externum in morbis, mala dicit frigus acutis.*

V. *In muliere rigor passim primordia ducit*

lumbis, et per dorsum petit indè cerebrum;
c non in sexu retro magis ille virili,
mpè è femoribus, cubitisque assuevit oriri,
num est rara cutis, quam crinis denotat ipsum. 69.
VI. Num verò ex oculis quidquam sub tempore somni
paret, spectare decet, nam si quid in illis
n rectè clausis palpebris, prominet albi,
od neque purgantis potu, neque fluxibus alvi
ntigerit, pravum est signum, multumque timendum. 52.
II. Corpus non leviter febrientis, semper in uno
durare statu, neque vix deperdere quidquam,
t etiam plus, quàm ratio petit, extenuari,
bo mala: illud enim longum prædicere morbum,
c solet immodicam testari debilitatem. 28.
IV. His quibus accessus fieri solüere febriles,
, quà dimissit febris horà, deinde recurrat,
lis judicium consuevit habere molestum. 30.
IV. Quæ subit alternis, febris exquisita, diebus,
tem intrà reditus, ad summum, fine potitur. 59.
IV. In febre lassatis, abscessus articulorum,
saque præcipuè propè maxillaria fiunt. 31.
IV. Terna febris, si continuet non absque periclo est,
intermittat, censetur abesse periclum. 43.
VII. 62. idem.
IV. Abscessus in febre, crises quoscumque priores
n persanarint, longi præsagia morbi. 51.
IV. In febre, vel morbis aliis lacrimare, volenti,
mina, non est absurdum, sed lumina, præter
ere voluntatem, absurdum magis esse videtur. 52.
IV. Febre laboranti si quando obnascitur humor
cidus ad dentes, febris est vehementior illi. 53.

IV. *In febre queis multus profluxerat undique sangu*
Illis humidior fit sanescentibus alvus. 27.

IV. *Dimissa in paribus febris, est reditura, diebus.6*

IV. *Queis cunctis, in febre, rigor solet esse diebus,*
Solvitur his etiam sub tempore febris eodem. 63.

IV. *Si prope ventriculum vehemens in febribus æstu*
*Et stomachi morsus fuerit, mala denotat ægro.*65.

VI. *In causo tremor adveniens deliria solvit.*26.

IV. *Surditie bilis dejectio cessat oborta,*
Contra uti surdities dejecta bile recedit. 28.

IV. *In febre surdities fuerit quæcumque suborta,*
Hanc alvi fluxus, hæmorrhagiave sanat. 60.

VII. *In febre continuâ, si frigent exteriora,*
Interiora flagrent, sitiantque, id perniciosum est. 7

IV. *In febre continua, si quando lumina, labrum,*
Sive supercilium, nasusve invertitur ægro,
Si non ritè videt, non audit, quidquid eorum
Contigerit, vi jam fractâ, mors imminet illi. 49.

VII. 73. idem.

IV. *In febre continâ, si respiraverit ægrè,*
Et delirarit febriens, letale tenendum. 50.

SECTIO III.

De his, quæ ad purgationem spectant.

II. *Incolumes, pravoque cibo qui corpora pascu*
Purganti cito deficiunt medicamine sumpto. 36.

II. *His qui ritè valent, ægrè medicatio fertur.* 37.

IV. *Si cui contigerint cordis, sine febre, dolores,*
Nausea, vertigo tenebrosa, atque oris amaror,

Talia purgandum demonstrant esse supernè. 17.

I. *Athletarum habitus summo si quando plethoræ*
Vertice constiterit, consuevit lubricus esse:
Ille diu cum namque statu nullatenus uno
Perdurare, nec in melius procedere possit,
Est opus in pejus recidat; mox plenior ergo
Hic habitus deplendus erit, quo corpora pastum
Incipiant captare novum: non attamen usque
Dum collabantur venæ, vacuare licebit;
Sed quantum athletæ satis est natura ferendo,
Non aliter siquidem quàm formidanda plethora est
Si summa extiterit, vacuatio summa timenda. 3.

I. *Purgetur si quale decet, conducit, et ægri*
Absque labore ferunt, si non, contra evenit illis. 25.

IV. 3. idem.

IV. *Tale per assumptum fas est educere purgans,*
Quale juvat, dum sponte sua de corpore prodit,
Quod verò excretum profert incommoda, sistes. 2.

I. *In fluxu ventris, vomituque suapte subortis*
Purgetur si quale decet; conducit, et ægri
Absque labore ferunt: si non, contra evenit illis:
Sic et venosi depletio facta cruoris
Si sit conveniens morbo, conducit, et illam
Non ægrè tolerant; si non, contra accidit ipsis.
Ad morbos igitur, regionem, tempus, et annos
Spectandum, in quibus hæc debent contingere, nec ne. 2.

IV. *Inferior brumæ purgandus tempore venter,*
At melius ventrem purgare æstate supernum. 4.

IV. *Sub Cane, et ante Canem, purgans solet esse molestum.* 5.

IV. *Corpore qui graciles, minimoque labore vomentes,*
Purgandi, præsens fuerit nisi bruma, supernè. 6.

IV. *At contra modicè carnosi, ægrèque vomentes,*
Æstas ni fuerit, infernè sunt vacuandi. 7.

II. *Quæ post judicium remanent in corpore factum,*
Hæc consueverunt recidivos gignere morbos. 12.

VI. *Si quibus aut purgans, aut venæ sectio prosit,*
Hos purgare juvat, vel venam tundere, vere. 47.

VII. *Sectio queis venæ conducit, vere secanda est.* 53.

IV. *Si suprà diaphragma dolor, purgantia poscens,*
Adfuerit, sursum purgandum denotat esse,
Si verò fuerit infrà diaphragma, deorsum. 18.

IV. *Si quibus et genuum gravitas, et torsio ventris,*
Nec non lumborum fuerint sine febre dolores,
Hæc opus esse docent infrà purgantibus uti. 20.

IV. *Qui sumpto modico, dum purgant corpora, potu*
Non sitiunt, his usque sitim purgatio durat. 19.

I. *Si quæ judicium subeunt, bene vel subierunt,*
Hæc medicamentis, aliisve movere caveto. 20.

I. *Coctum non crudum, nisi turgens sit, medicato.* 22.

II. *Ut purges, corpus prius illud fluxile reddas.* 10.

VII. *Ut purges corpus prius illud fluxile reddas;*
Id verò suprà si fluxile reddere quæras,
Secessum impedies, sin infrà, conciliabis. 70.

I. *Noxia quà vergunt, si sit via commoda, purges.* 21.

I. *Copia quantumvis de corpore prodeat ampla,*
Est curanda parum; verùm si qualia debent
Corpore pellantur, promptèque id sufferat æger.
Atque ubi defectum usque animi vacuare necesse est
Id quoque præstandum, modò robur sufficit ægri. 23.

I. *Rarius in morbis purgans præbebis acutis,*
Idque in principio, nec in hoc temerarius esto. 24.

IV. *In morbis, humor si turget, prorsùs acutis,*
Mox purga; siquidem cunctari incommoda profert. 10.

IV. *Fas purgare melancholicos vehementius infrà,*
Oppositam sic nempe viam vacuando tenentes. 9.

IV. *Qui veratro sumpto, non absque labore, supernè*
Expurgantur, iis diuturno corpora somno
Convenit, et pleno, prius humida reddere, victu. 13.

IV. *In sanis non absque gravi solet esse periclo*
Elleborus, siquidem spasmum producit in illis. 16.

V. *Ortus ab helleboro spasmus, letalis habendus.* 1.

VII. *Mortifer, à poto spasmus purgante subortus.* 25.

IV. *Corporibus veratro motus, plùs convenit hausto*
Quam sopor, aut requies, siquidem qui navigat æquor
Indicium præbet turbari corpora motu. 14.

IV. *Si veratri vires magis accelerare peroptes,*
Exagita corpus, si verò sistere mens sit,
Concilia somnum, corpusque movere caveto. 15.

VII. *Et quibus alvinæ fæces, dum ritè quiescunt*
Subsidunt quasi strigmenta (et si pauca pusillus
Est morbus, contrà fuerint si plurima, magnus)
Illis infernè purgari convenit alvum:
Quod si Purgata minimè, sorbitio detur,
Plus data quo fuerit, plus hoc offenderit ægrum. 67.

VII. *Qualia prodierint per ventrem, lotia, carnes,*
Aut alibi corpus num peccet, dispiciendum:
Parvus enim est morbus modicè si peccet, at ingens
Si multum, valdè si multùm, perniciosus. 79.

IV. *Nigra excreta alvi, nigrum referentia tabum,*
Et quæ sponte fluunt, seu cum febre, seu sine febre,
Pessima sunt; tantoque quidem pejora tenenda,
Plures pejores quò cernis adesse colores:
At medicamento vacuari talia præstat,
Idque videbuntur quo plures esse colores 21.

VII. *Sunt à bile nigra, subeunt quæ cruda deorsum,*

Quod si pauca, minor morbus, si plurima, major. 68.

V. *Singultus, spasmusve malum denuntiat ægro,*
Qui post immodicum fuerit purgamen obortus. 4.

VII. *In sene singultus malus, à purgante subortus.* 41.

SECTIO IV.

De his, quæ spectant ad Urinas, Excreationes, Sudores, Rigorem.

VII. *Quæ per vesicam redduntur, conspicienda,*
An, quæ prodierant, sint qualia ritè valenti
Excernuntur, ab his siquidem si longius absint,
Sunt morbosa magis, contrà, si qualia sanis. 66.

IV. *Crassas, grumosas, et paucas, febre suborta,*
Urinas prodire, bonum, si postmodò contra
Urinas tenues, multasque excreverit æger,
Præcipuè verò tales redduntur in illis,
Queis à principio morbi sedimenta fuere,
Aut post principium non multo tempore visa. 69.

IV. *Si febriens, instar jumenti, turbida reddat*
Lotia, ei capitis adsunt, aderuntve dolores. 70.

IV. *Judicium quibus est septena luce futurum,*
His quarto rubicunda die nubecula, sese
Præbet in urinis, et cætera pro ratione. 71.

IV. *Alba quibus, nec non pellucida lotia fiunt,*
Sunt mala, præcipuè simul existente phrenesi. 72.

IV. *Hos, quibus abscessus iri speratur in artus,*
Urinæ crassæ, & simul albæ copia major,
Liberat abscessu, qualis sub febre quibusdam,
Quæ cum lassitie est, quarta procedere luce
Incipit; at si etiam sanguis de naribus ægro

Erumpat, solet esse brevi sanatio morbi. 74.

IV. *Si veluti crinis, vel parva caruncula, orassis*
Innatet urinis, illud de renibus exit. 76.

IV. *Si qui cum crassis, quædam quasi furfura, reddunt*
Urinis, illis scabie vesica laborat. 77.

IV. *Si quibus ad fundum matulæ subsidit arena,*
Lithiasi renes his, aut vesica laborat. 79.

VII. *Bile quibus tinctum sedimentum lotia reddunt,*
Quod, supra tenue est, morbum testantur acutum. 32.

VII. *Queis varia urina est, turbatio magna fit illis.* 33.

VII. *Queis urina facit bullas in parte suprema,*
His morbus renum diuturnus significatur. 34.

VII. *Pinguia queis verò, confertaque, lotia summa*
Extiterint, renum morbum testantur acutum. 35.

VII. *In febribus crassam matulæ sedimenta farinam*
Queis referunt, longi sunt hæc prognostica morbi. 31.

IV. *Si quibus urinæ sit fistula tubere clausa,*
Hoc suppurato, ruptoque, solutio fiet. 82.

VII. 57. idem.

IV. *Secessum minuit nocturni copia mictus.* 83.

IV. *Si quando sanguis, vel pus per lotia prodit,*
Ulcera vesicæ, vel renum significantur. 75.

IV. *Queis inopinanter sanguis per lotia prodit,*
His quòd renalis sit venula rupta tenendum. 78.

IV. *Si quando grumos quis minxerit, atque cruorem,*
Et sua guttatim dumtaxat lotia reddit,
Inter-fœmineo, atque inferno ventre dolente,
His ad vesicam quæ sunt sita membra laborant. 80.

VII. 39. idem.

IV. *Si cui squama, cruor, vel pus per lotia prodit,*
Et gravis adsit odor, vesicæ denotat ulcus. 81.

IV. *Si quando assiduis in febribus excreet æger*
Quod livet, fœtet, vel bile, aut sanguine tinctum est,
Omne malum, contraque bonum, si prodeat aptè,
Sive id contigerit per lotia, sive per alvum,
Hac verò prodire, malum, quod non juvat ægrum. 47.

VII. 69. idem.

IV. *Si fluat in somno multus de corpore sudor,*
Quòd nimio pascat se victu significatur,
Si verò parcè comedat, vacuare necesse est. 41.

IV. *Et qua parte fluunt sudores, morbus ibidem.* 38.

VII. *Immodicus semper manans de corpore sudor*
Frigidus, aut calidus, quod sit purganda superne
Humiditas in forte docet; in debile, contrà. 61.

IV. *Immodicus semper manans de corpore sudor,*
Morbum majorem, si frigeat, indicat ægro,
Si caleat, morbi signum solet esse minoris. 42.

IV. *Sudores illi sunt febricitantibus apti,*
Qui terno, quinto, septeno, sive noveno,
Undecimo, decimo quarto, septemdecimove,
Aut quarto à septendecimo, decimove sequenti,
Aut primo supra triginta, aut denique quarto,
Cœperunt manare die: nam solvere morbos
Hi consueverunt; reliqui plerumque laborem,
Aut reditum, longosque; solent prædicere morbos. 36.

IV. *Si quando fuerit febrienti sudor obortus*
Febre manente, malum, siquidem fit longior indè
Morbus, et ingentem denunciat humiditatem. 56.

IV. *In febribus mortem, sudor qui friget, acutis,*
In reliquis longum solüit prædicere morbum. 37.

V. *Queis sicca est, & dura cutis, hi tempore mortis*
Non sudant; contrà queis laxa est, raraque sudant. 71.

IV. *In febribus, sexta si fiant luce rigores,*

Judicium plerumque solet his esse molestum. 29.

IV. *In febre continua rigor ægrum debiliorem*
Sæpiùs invadens, signum letale tenendum. 46.

IV. *Atque ubi contingit mutatio corpore toto,*
Ut si frigescat corpus, rursùmque calescat,
Muteturve color, longi præsagia morbi. 40.

VII. 60. idem.

IV. *Ardentis, rigor adveniens, sanatio febris.* 58.

SECTIO V.

De Morbis, qui ad Aerem, et Anni tempora referuntur.

III. *Auditum minuit, visumque obnubilat Auster,*
Languida membra facit, caput et gravitate fatigat;
Hæc ubi crebrescit, patiuntur debiliores:
At contra Boreas tusses movet, asperat ora,
Supprimit urinam, siccam quoque procreat alvum,
Horrores, variosque parit thorace dolores:
Hæc itaque infirmos tunc expectare necesse est. 5.

III. *Roborat et densa Borealis corpora ventus,*
Ad motum leviora facit, confertque colorem,
Auditum reddit meliorem, supprimit alvum,
Pectoris exacuat cruciatus, lumina mordet:
Contrà Auster gravitate caput, vertigine visum
Afficit, humectat corpus, nimiumque resolvit,
Languida membra facit, liquidam quoque procreat alvum. 17.

III. *Sanior assiduo tempestas siccior imbre.* 15.

III. *Temporibus siccis febres oriuntur acutæ;*
Talia si verò durent, qualis solet anni

Esse status, tales fas est succedere morbos. 7.

III. *Hi sunt assiduus morbi quos procreat imber;*
Attonitus morbus, putredo, angina, caducus,
Longa febris, ventrisque fluor, squalloribus autem
Immodicis, mictus stillatio, tormina ventris,
Arthritis, tabes, nec non opthalmia fiunt. 16.

III. *Tempora cùm justum servant perubique tenorem,*
Morbi judicio faciles, certique vagantur;
Cùm verò inverso procedunt ordine, contra. 8.

III. *Præcipuos anni causat variatio morbos,*
Quæque in eo fieri tam frigoris, atque caloris
Temperies diversa solet, et cætera quævis,
Queis cum præmissis est certa proportio rebus. 1.

III. *Sanior his bruma est, contrà illis sanior æstas.* 2.

III. *Quivis quoque valent suboriri tempore morbi,*
Nonnulli certis tamen in stationibus anni
Plus irritari morbi, fierique videntur. 19.

III. *Hi fieri verno solüerunt tempore morbi,*
Lepra, melancholiæ, raucedo, gravedo, furorque,
Sanguinis effluxus, tussis, angina, caducus,
Asperitas diversa cutis, vitiligo, lichenes,
Denique in articulis dolor, ac tubercula multa. 20.

III. *Æstivo nonnulli horum quoque tempore fiunt,*
Continuansque febrisque, et quæ vehementiùs ardet,
Quæ terno, quartove die redit, ulcus in ore,
Opthalmia, aurisque dolor, putredo pudendi,
Sudores, vomitus, nec non profluvia ventris. 21.

II. *Æstatis quartana brevis, diuturnior orta*
Autumno, idque magis si bruma supervenit illi. 25.

III. *Cùm similis fuerit veris stationibus æstas,*
Tunc solet in febribus multus prorumpere sudor. 6.

III. *Ast quando Boreâ perflata, et siccior æstas,*

Autumnus verò australis fuit, et pluviosus,
Ad brumam tusses fiunt, capitisque dolores,
Multaque raucedo solet atque gravedo vagari,
Nonnullis etiam tabes contingit oriri. 13.

III. *Si verò contrà Boreæ subjectus, et absque*
Imbribus autumnus fuerit, mulieribus ille
Proderit, atque viris erit humidioribus aptus,
At reliquis febres, vel acutas, vel diuturnas,
Aut opthalmias siccas contingere fas est,
Atque melancholicus quosdam malè morbus habebit. 14.

III. *Autumno morbi magis exoriuntur acuti,*
Letalesque magis: statio sanissima veris. 9.

III. *Æstivi autumno quoque multi, et volvulus, hydrops,*
Quartanæ, dubiæque febres, splenisque tumores,
Tormina, difficiles urinæ, levior alvus,
Et dolor in coxis, angina, epilepsia, tabes,
Asthma, melancholiæ, nec non vesania mentis. 22.

III. *Autumni tempus nocet his qui tabe laborant.* 10.

III. *Quando calor, frigusque die sentitur eadem,*
Tunc autumnales fas est succedere morbos. 4.

III. *At brumæ tales fiunt sub tempore morbi,*
Phlegmone pulmonum, pleuræ, raucedo, gravedo,
Lethargus, capitis vertigo, apoplexia, tussis,
Thoracis quoque lumborum, cerebrique dolores. 23.

III. *Si quando fuerit borealis, siccaque bruma,*
Ver autem austrinum fuerit pluviisque rigatum,
Tunc æstate crebri febribus vexantur acutis,
Atque opthalmiis, fluidi quoque tormine ventris;
Fœmina præ reliquis, et mares humidiores. 11.

III. *Si verò australis contrà, pluviosaque bruma,*
Ver autem boreale fuit, mulieribus illis

Queis verno fortasse cadet sub tempore partus,
A minimâ passim causâ continget abortus;
Quæ verò pariunt, morbosos edere fœtus
Consuevere, statim sic ut de corpore migrent,
Vel tenues semper vivant, minus atque salubres,
Sicca sed in reliquis opthalmia, tormina ventris,
Rheumataque in senibus mox interimentia fient. 12.

VI. *Veris & autumni podagræ plus tempore fiunt.* 55.

VI *Quicumque; à podagrâ vexantur, phlegmone sanâ*
Intrà quadraginta dies, absolvitur illis. 49.

SECTIO VI.

De his, quæ spectant ad Morbos ex diversa Ætate, et temperie natos, et etiam à calidorum et frigidorum usu.

III. *Morbi diversi diversa ad tempora, sese*
Ægrè aut ritè gerunt, ætates denique quædam,
Ad loca, tum victùs rationem, ac tempora certa. 3.

III. *Vere magìs pueri, primâque æstate salubres*
Esse solent, nec non pueris ætate vicini;
At meliùs æstate senes, primâque valere
Autumni pro parte solent, restantibus autem
Temporibus, constans illi queis ducitur ætas. 18.

III. *Illa per ætates parvis natisque recenter*
Eveniunt pueris, umblîci phlegmone, tussis,
Ulcera serpentina oris, privatio somni,
Aurium & humiditas, subsultus, atque pavores. 24.

III. *Ast ubi cœperunt teneri perrumpere dentes:*
Pruritus gingivarum, convulsio, febris,

Et liquidi vexare solent profluvia ventris,
Maximè ubi incipiunt dentes prodire canini,
Præsertim in crassis, & queîs est durior alvus. 25.

III. *His verò paulò quibus est provectior ætas:*
Vertebræ occipitis intrò luxatio, vermes,
Propendens verruca, paristmia, lythiasisque,
Asthma, priapismi, strumæ, diversaque multa,
Præcipuè prædicta tamen, tubercula fiunt. 26.

III. *At jam puberibus dictorum plurima fiunt,*
Et diuturna febris, fluxusque è nare cruoris. 27.

III. *In pueris morbi, vel quadraginta diebus,*
Aut intrà septem menses, intràve tot annos,
Aut propè pubertam solüerunt fine potiri;
Qui verò constant, neque circa menstrua prima
In muliere, nec in puero jam pubere facto
Desierint, plerumque solent veterascere morbi. 28.

II. *A morbo juvenes victûsque, locique, caduco,*
Præcipuè verò ætatis mutatio sanat. 45.

V. *Solvitur Herculeus, in necdum pubere, morbus:*
Post annos verò viginti quinque subortus,
Supremam vix ante diem de corpore migrat. 7.

VI. *Non nisi post veneris podagrâ puer acta laborat.* 30.

III. *Ast ubi sunt facti juvenes, his febris acuta,*
Sanguineum sputum, tabes, epilepsia fiunt,
Ac varii morbi, quorum pars maxima dicta est. 29.

III. *Ultra hanc ætatem provectis asthmata fiunt,*
Phlegmone & in pleura, pulmonibus, atque cerebro,
Lethargi, nec non ventris profluvia longa,
Tormina cum cholerâ, crudi dejectio pastûs,
Ardentesque febres, fluxusque hæmorrhoidales. 30.

III. *In senibus verò vertigo, apoplexia fiunt,*

Rheumata cum tussi , dolor artubus , atque nephritis,
Asthmata , dysuriæ , calidi stillamina mictus,
Pruritus , fœdique habitus , rarique sopores,
Nec non humiditas oculorum , ventris , & auris,
Auditus gravior , glaucoma , minutio visûs. 31.

II. *Sæpiùs esse solent juvenes senioribus ægri,*
At quicumque senes diuturni affligere morbi
Cœperunt , non ante necem plerumque recedunt. 39.

II. *Decrepitis raucedo coqui nequit atque gravedo.* 40.

VI. *Si quod vesicam , renesve ætate senili*
Detineat vitium , gravis hoc solet esse medelæ. 6.

II. *Longa statura quidem juveni speciosa videtur,*
At minùs apta seni , & pejor brevitate tenenda. 54.

II. *Naturâ immodice crassi plerumque minori,*
Quàm qui sunt graciles naturâ , tempore vivunt. 44.

VI. *Queîs à naturâ nares , genituraque sicca,*
Saniùs hi degunt , quàm queîs sunt humida contrà. 2.

IV. *Et quà parte calor, vel frigus, morbus ibidem.* 39.

VII. *Si cui sit febris , non flavâ ex bile suborta,*
Huic aqua multa calens capiti suffusa medetur. 42.

V. *Talia per crebros calidum mala procreat usus:*
Mollitiem carnis , nervorum debilitatem,
Torporem mentis , profluvia magna cruoris,
Defectusque animi, post quæ comes ultima mors est. 16.

V. *Quod calet , id tutum est , ad pus si promovet ulcus*
Indicium , spasmos , tetanos levat , atque rigores,
Extenuat , mollitque cutim , tollitque dolores,
Alleviat cerebrum , fractis est ossibus aptum,
Præcipuè verò nudatis carne , magìsque
In capite , his etiam confert queîs frigida mortem,
Aut ulcus causare solent , rodentibus item

Herpetibus, vesicæ, utero, genitalibus, ano;
Omnibus his calidum prodest, criticumque tenetur,
Contrà, quod friget, perimens est, atque nocivum. 22.

V. *Quod friget, tetanos, spasmos, cutis atque nigrores,*
Febrilesque parit, usu crebriore, rigores. 17.

V. *Denti, ossi, nervo, cerebro, spinæque medullæ,*
Id quod friget, obest, contrà, quod fervet, amicum. 18.

V. *Illis concilia, quæ frigida facta, calorem,*
Ni fundant, fuerintve brevi fusura cruorem. 19.

V. *Frigido in his autem fas uti est, unde cruoris*
Fit fluxus, fietve brevi, non partibus ipsis
Imposito, verùm super has, unde affluit illuc;
Et si quâ forsan sit deflagratio parte,
Efflorente novo, vel phlegmone, nata cruore,
Quæ subsanguineum rubeat, huîc commoda præstat;
Denigrat siquidem veteratas: ulceris expers
Sanat erysipelas, at sacrum pejorat ignem. 23.

V. *Frigida utì glacies, vel nix est, pectora lædunt,*
Rumpunt & venas, dant tusses, atque catharros. 24.

SECTIO VII.

De his, quæ spectant ad medendi Methodum generalem.

II. *Omnia si cuiquam rectà ratione gerenti*
Non benè succedat, tardi curatio morbi;
Ad nova non ideò subitò transire licebit,
Si quæ à principio fuerant conspecta, supersint. 52.

II. *Confertim, et subitò replere, aut evacuare,*
Et subitò frigus producere, sive calorem,

Aut utcumque aliter corpus agitare, nocivum
Naturæ si quidem nimium quodcunque repugnat;
Quod verò sensim procedit, tutius esto,
Maximè ab hoc si quis paulatim transit ad illud. 51.

II. *Non secus ac vacui morbos repletio curat,*
Sic etiam pleni morbos vacuatio sanat;
Nec non in reliquis prosunt contraria cunctis. 22.

VII. *A vini potu, parilis cui portio lymphæ*
Mixta sit, anxietas, oscedo, cessat, & horror. 56.

V. *Obdormire siti vehementi nocte, salubre.* 27.

II. *Incipiente move morbo quæcumque movenda;*
Dum verò præsens vigor est, requiescere præstat. 29.

II. *Circa principium, finemque levissima cuncta;*
Omnia præsenti plus sunt metuenda vigore. 30.

II. *Cùm duo non unâ vexant in parte dolores,*
Qui magis est vehemens, solet obscurare minorem. 46.

VI. *Quæcumque è dorso cubiti descendit ad artus*
Ruptio, huîc certam dat phlebotomia medelam. 22.

I. *Extremis extrema juvant medicamina morbis.* 6.

SECTIO VIII.

De his, quæ ad Chirurgiam spectant.

II. *Et dolor & febris confecto pure remittunt.* 47.

VI. *Nulla sui sanies latitans si signa revelet;*
Hoc ob crassitiem fit partis, vel saniei. 41.

IV. *Si quos affligant diuturno tempore febres,*
His circa articulos dolor, aut tubercula fiunt. 44.
VII. 63. idem.

VII. *A longâ queîs febre dolor, vel tubera, circa*

Articulos fiunt, nimis illos crede voraces. 64.

IV. 45. idem.

V. *Tubera in articulis, & spasmos, atque podagras,*
Et quibus ulcus abest majori ex parte dolores
Frigida larga levat, minuit, solvitque dolorem;
Hunc siquidem modicus potus est quoque solvere torpor. 25.

IV. *Febres ex bubone malæ, nisi sint ephemeræ.* 55.

VII. *Est malus ob capitis, stupor, aut insania, vulnus.* 14.

VII. *Queîs fuerit vehemens cerebri concussio facta,*
Protinus his vocis fieri privatio debet. 58.

VI. *Queîs cerebrum fuerit persectum, febris iisdem,*
Et vomitus flavæ debet succedere bilis. 50.

VII. *Hi quibus invasit cerebrum syderatio, ternos*
Si possint superare dies, sanantur ab illâ. 50.

VI. *Plus cruciant humiles quàm celsi in ventre dolores.* 7.

VII. *Propter os ægrotans, caro livida, perniciosum.* 2.

VII. *A sphacelismo, collectio puris in osse.* 77.

VII. *Ex ossis plagâ, vacuum penetrante, furores.* 24.

VI. *Si quando exciderit, fas est putrescat, omentum.* 58.

V. *Si cum vulneribus magnis pravisque tumores*
Sint nulli, prægrande malum denuntiat ægro. 66.

V. *Tubera cruda, mala; at bona sunt, quæ mollia contrâ.* 67.

VI. *Pustula non magnâ prurigine lata laborat.* 9.

VI. *Persectum tenue intestinum non coalescit.* 24.

VI. *Si cui ventriculus, vel cor, vesica, cerebrum,*
Aut jecur extiterit persectum, vel diaphragma,
Aut intestinum tenue, id letale tenendum. 18.

VI. *Os cui persectum fuerit, præputia, nervi,*
Vel cartilago, vel portio parva genarum,
Huîc non augeri solet, aut coalescere vulnus. 19.

VII. *Os, cartilago, nervusque in corpore sectus,*
Hic aut augeri solet, aut coalescere nunquam. 28.

VI. *Ulcera quæ circùm circâ sunt glabra, maligna.* 4.

V. *Quod friget, spasmos, tetanos, febriumque rigores*
Inducit, duratque cutem, nigrat, ulcera mordet,
Non suppurantem solet & causare dolorem. 20.

V. *Hi quibus ulcerei cernuntur adesse tumores,*
Non multùm spasmo, mentisve furore laborant:
A tergo verò, queis tubera rubra repentè
Disparent, illos tetani, spasmique prehendunt;
Queis à fronte, furor mentis, collectio puris,
Tormina, & ingentes laterali in parte dolores. 65.

VI. *Hydropicis exorta gravis sunt ulcera curæ.* 8.

VI. *Annua si quando, magè longa vel, ulcera fiant,*
Fas ut os abscedat, cava fiat & inde cicatrix. 45.

VII. *Si quando vehemens spectetur in ulcere pulsus,*
Sanguinis hinc fluxus passim consuevit oriri. 21.

V. *Quæ sequitur vulnus convulsio, perniciosa.* 2.

VI. *Esto bonum quodcumque foras de parte profundâ*
Migrat erysipelas, contrà quod vertitur intrò. 25.

VII. *Qui fit nudato, malus est, sacer ignis ab osse.* 19.

VII. *Si sacro, puris collectio, fiat ab igne,*
Aut putredo, malum patienti denotat illud. 20.

VI. *Occultos cancros ne cura: namque relicti,*
Quam qui curati, longo magè tempore vivunt. 38.

VI. *Si, postquam fuerat dolor in coxendice longus,*
E femoris prolapsa loco fit coxa supremo,
Ac rursùm recidat, mucus progignitur intrò. 59.

VI. *Ischia queis longo fuerant affecta dolore,*
Si coxâ femoris caput excidit, ustio fiat,
Aut aliàs crus tabescet, claudique manebunt. 60.

VI. *Non magni varices calvis oriuntur, at orti*
Si fuerint, rursus caput his crinitur ut antè. 34.

VI. *Calvitie eunuchus nunquam, podagrâve laborat.* 28.

VI. *Esto bonum lippis profluvia ventris oriri.* 17.

VI. *Balnea, thorexis, purgantia, sectio venæ,*
Aut fomenta, solent oculi sanare dolores. 31.

VI. *Ex ani venis profluvia longa medendi*
Una nisi è cunctis semper teneatur aperta,
Hydropis, aut tabis magnum solet esse periclum 12.

VII. *A magno spasmus, malus est, tetanusve calore.* 13.

VII. *Post vini potum, & calefactæ balnea lymphæ,*
Phlebotomiâ oculi fas est curare dolorem. 46.

SECTIO IX.

De his, quæ spectant ad morbos Capitis.

VII. *Quæcumque ob capitis fit sternutatio causam,*
A cerebro nimiùm calefacto assuevit oriri,
Aut humectato capitis contingit inani:
Namque foràs qui clausus erat profunditur aer,
Et strepitat, latus quia non datur exitus illi. 51.

VI. *Si bene dispositis subitò cephalalgia fiat,*
Mutescantque statim, stertantque, è corpore migrant,
Intrà septenam, fuerit nisi febris oborta. 51.

V. *Si quis privetur subitò post pocula voce,*

Convulsus moritur, subeat nisi febris eundem,
Aut hac vox redeat, qua crapula solvitur, horâ. 5.

VII. *Est malus ob vigiles furor, aut convulsio noctes. 18.*

II. *Esto bonum, somno tolli deliria, signum. 2.*

II. *Quo facit in morbo somnus, letale laborem;*
Quòd si profuerit, minimè letale tenendum. 1.

VI. *Si quando exierit, per nares, ora, vel aures,*
Pus, aqua, vel sanguis, cephalalgia cessat acuta. 10.

V. *Parte quibus cerebrum pro posteriore laborat,*
His rectæ frontis prodest incisio venæ. 68.

II. *Fortior haud ullis mediis Apoplexia mortem*
Evitare potest, sanatur debilis ægrè. 42.

VI. *Attonitus verò morbus consuevit ab annis*
Quadraginta ferè usque ad sexaginta subire. 57.

II. *Pars cui certa dolet, nulla ferè parte dolorem*
Si sentit, talis malesanâ mente laborat. 6.

VI. *Tuta magis, quæ cum risu deliria fiunt;*
Quæ vero studio contingunt, deteriora. 53.

VI. *Si quando varices, hemorrhoidesque furenti*
Contigerint, sanam soliterunt reddere mentem. 21.

VI. *Et metus, & mœror, sine causâ tempore longo*
Si perseverent, sunt atræ nuntia bilis. 23.

VI. *Esto melancholicis humorum lapsio morbis*
Suspecta; hæc siquidem spasmi, privamina visus,
Aut apoplexiæ, aut maniæ significantur. 56.

VII. *Exstasis, aut hydrops, fluidi vel tormina ventris*
Maniæ si succedant, bona signa tenentur. 5.

V. *Singultus, spasmusve, malo est, à sanguine fuso. 3.*

VII. *A fuso, furor aut spasmus, mala signa cruore. 9.*

V. *Mors intrà quatuor tetano succedere soles*
Consuevit, quos si possint superare, valescunt. 6.

V. *In tetanis quandoque tamen, quibus ulcera desunt,*
Nec non eusarco juvene, æstatisque vigore,
Frigida nativum large profusa calorem
De centro revocat: calor autem talia sanat. 21.

VI. *Singultus causis oritur, queis spasmus, iisdem,*
Scilicet à nimiùm replendo, vel vacuando. 39.

II. *A spasmo febris melior, quàm spasmus ab illa.* 26.

IV. *Et spasmum & tetanum, febris super addita solvit.* 57.

IV. *Si spasmus, pariterque dolor prope viscera magnus*
Acciderint in febre malum testantur, acuta. 66.

IV, *In febre per somnum spasmus malus, atque pavores.* 67.

IV. *Spiritus offendens malus est in febre tenendus,*
Correptum siquidem spasmo denunciat ægrum. 68.

V. *Vix convelluntur quartâ qui febre laborant,*
Quod si convulsi fuerint, hæc liberat illos. 70.

SECTIO X.

De his quæ spectant ad morbos Pectoris.

VII. *Lingua quibus titubans, vel pars syderata repente*
Evadit, bilem nigram denuntiat illis. 40.

II. *Quando dolent fauces, aut se tubercula produnt,*
Excreta inspicias: nam si sint bile referta,
Ægrotat corpus simul; at si sana videntur,
Absque metu tutò corpus nutrire licebit. 15.

VI. *Si tumor angina correptis, exoriatur*

In cervice, bonum : nam morbus vertitur extrâ. 37.

VII. 49. idem.

IV. *Si subitò, nullo per fauces tubere viso,*
In febre supprimitur spiratio, perniciosum. 34.

IV. *Torqueri subitò collum, & vix posse vorare,*
In febriente, tumor si nullus, perniciosum. 35.

V. *Queis ex angina in pulmones vertitur humor,*
Intrà septenas abeunt è corpore luces,
Quas si transierint, his suppuratio fiet. 10.

VI. *Si quando in morbo, cui juncta est febris, acuto*
Contigerit gemebunda malum spiratio signum. 54.

II. *Ex his, queis fuerat suppressus anhelitus, ægris,*
Nec periere tamen, spes illis nulla salutis,
Spuma quibus fuerat circa os collecta, superstes. 43.

VII. *Quæcumque in summum fit destillatio ventrem,*
In pus viginti spatio migrat illa dierum. 38.

VI. *Quicumque ex tussi gibbosi, aut asthmate fiunt,*
Hos mors antè pubertatis præoccupat annos. 46.

IV. *In causone, diu queis durat, sicca, parumper*
Irritans, tussis, sitis hos non afficit ingens. 54.

V. *Queis cruor exspuitur spumans, pulmonibus exit.* 13.

VII. *Esto malum, puris sputum, post sputa cruoris.* 15.

VII. *A puris sputo tabes, & fluxio fiunt,*
Ast ubi subsistit sputum, de corpore migrant. 16.

VI. *Pectoris, & lateris, aliave in parte dolores,*
Num multa inter se teneant discrimina, disce. 5.

VI. *Ructantes acidum pleuritis rara prehendit.* 33.

VII. *Est mala pulmonum, pleuritide, phlegmone nata.* 11.

VII. *Est mala, pulmonum de phlegmone nata phrenitis.* 12.

VI. *Phlegmone queis pleuræ fuit, aut pulmonis oborta,*
Si fluxus ventris succedant, perniciosum. 16.

V. *Inflammata quibus pleura est, nisi pectoris, intrà*
Bis septem fiat sursum vacuatio soles,
In suppuramen solet illis phlegmone verti. 8.

V. *Si qui finita empyi pleuritide fiunt,*
Ni post rupturam se quadraginta dierum
Expurgent spatio, solet his succedere tabes. 15.

II. *Fortiter atque crebrò sine causâ qui manifestâ*
Delinquunt animo, pereunt plerumque repentè. 41.

VII. *Syncope cum vomitu fit ab intrò tubere rupto.* 8.

V. *A decimo octavo quintum trigesimum ad annum*
Majori pro parte solent contingere tabes. 9.

V. *Si phthisicus sputum per tussim tale rejectet,*
Quod prunæ immissum graviorem reddat odorem,
Et crines capitis labantur, perniciosum. 11.

V. *In phthisicis si quando cadunt de vertice crines,*
Succedente solent profluxu ventris obire. 12.

V. *Letale est, phthisico profluvia ventris oriri.* 14.

IV. *Ad tabem pronos caveas purgare supernè.* 8.

VII. *A vomitu, tabes, & puris sputa, cruento.* 78.

VII. *Si quando empyis secto thorace, vel usto*
Pus album, purumque fluat, sanatio, contrà,
Si subsanguineum, cænosum, & odore molestum. 44.

SECTIO XI.

De his, quæ spectant ad morbos ventris.

II. *Partes quæ ventrem concernunt inferiorem,*
Quolibet in morbo nonnullam præstat habere

Crassitiem ; nam si tenues sint , perniciosum:
Inferiora etiam minùs ad purgamina tutum. 35.
IV. *Si , sublata cui reddunt hypochondria murmur,*
Lumborum accedat cruciatus , venter eidem
Redditur humidior , nisi mingat multa , vel infrà
Erumpant flatus : atque hæc in febribus adsunt. 73.
VI. *Si dolor infestet præcordia phlegmonis expers*
Hic à febre solet superadveniente repelli. 40.
VI. *Si cruor in ventrem rupit , pus fiat oportet.* 20.
VII. *Colligitur sanies , post longum in ventre dolorem.* 22.
VII. *Si quando à valido , membrorum in ventre,*
Frigus in extremis fit partibus , exitiosum. 26.
IV. *Intestinorum quibus est contorsio facta,*
Et circa umblicum cruciant , lumbosque dolores,
Qui neque purganti possunt , aliisque sedari,
His tandem siccum firmatur in hydropa morbus. 11.
VII. *Si vehemens, albo vexatum phlegmate, ventris*
Corripiat fluxus , à morbo liberat illum. 29.
VI. *Si ductu venarum illi , quem detinet hydrops,*
Fluxerit in ventrem serum , illud liberat ægrum. 14.
VII. *Hydrops post album solüit succedere phlegma.* 74.
VI. *Hydropico tussis succedens , exitiosa.* 35.
VII. *Hydropico spes nulla subest, si tusse laboret.* 47.
VI. *Hydrope detenti , vel pus thorace legentes,*
Omnino intereunt , urendo , sive secando
Sin aqua , vel sanies confertim effluxerit omnis. 27.
VII. *Queis inter stomachum phlegma est, diaphragmáque clausum,*
Quod cruciat, neutrumque potest invadere ventrem,
His in vesicam per venas phlegmate verso,

Acciuat illius perfecta solutio morbi. 54.

VI. *Singultum adveniens mox sternutatio solvit.* 13.

VII. *A vomitu, mala, singultus, oculique rubentes.* 3.

VII. *Si quibus acciderit vomitus, sine febre, cruoris,*
Est bonus, econtrà malus est cum febre subortus,
Frigida cum verò simul astringentia sanant. 37.

VII. *Ingentes hepatis solvit febris orta dolores.* 52.

VII. *Est malus à jecoris, singultus, phlegmone natus.* 17.

VII. *Si suppuratum quibus est hepar, ustio fiat,*
Pusque album, purumque fluat, sanatio morbi,
In tunica jecoris siquidem concluditur illis,
Intereunt verò queis prodit qualis amurca. 45.

VII. *Si queis turget aqua jecur, atque irrupit omentum,*
Illis venter aquâ distenditur, & moriuntur. 55.

V. *Flatibus haud multis, suffusi felle, laborant.* 72.

VI. *Si durescat hepar suffusis felle, timendum.* 42.

IV. *Ante dies septem, mala, febri aurigo suborta.* 62.

IV. *Si quibus icterus fuerit febrientibus ortus*
Septena, nonâ, undecimâ, quartadecimâve
Luce, bonum, modò non sint dura hypochondria dextra,
Namque aliàs minimè esse bonum censebitur illis. 64.

VI. *Splene laborantes, ventris queis tormina fiunt,*
His longos alvi post fluxus, levior alvus,
Aut hydrops oritur, tandemque è corpore migrant. 43.

VI. *Tormina spleneticis super advenientia prosunt.* 48.

VII. *Ex ilei morbo vomitus, deliria, spasmus,*
Singultusve, malum patienti denotat omen. 10.

VI. *Longa magis balbos infestat fluxio ventris.* 32.

II. *Excreti speciem variari in fluxibus alvi,*

Ad pravum nisi commutetur, proderit ægro. 14.

VII. *Excrementa quibus spumosa in fluxibus albi*
Extiterint, illis cerebro delabitar humor. 30.

VII. *Fluxibus alvinis succedunt tormina ventris.* 75.

IV. *Tormina, quæ bilis nigra protulit, exitiosa.* 24.

IV. *Si, qui difficilis patitur profluvia ventris,*
Dejiciat carnis quasi frustula, perniciosum. 26.

VII. *Sincero ex alvi secessu, tormina ventris.* 23.

VII. *Torminibus ventris succedit lævior alvus.* 76.

VI. *Nausea torminibus, mala confert nuntia, longis,*
Et pejora, simul si febris detinet ægrum. 3.

VI. *Ructus succedens acidus, qui non fuit antè,*
Fausta lienteriis denuntiat omnia longis. 1.

VI. *Longum alvi fluxum vomitus spontaneus aufert.* 15.

IV. *Bruma lientericos prohibet purgare supernè.* 12.

VII. *Si vero prædicta, illis qui rene laborant,*
Signa superveniant affliganturque dolore
Musculi ubi spinæ residènt qui vergat ad extrà,
His & in externis abscessum crede futurum;
Sin intrò vergat, credas quòd fiet ab intrà. 36.

V. *Recti intestini, aut uteri si phlegmone fiat,*
Aut suppurentur renes, succedit eidem
Stranguria, at jecoris singultum phlegmone gignit. 58.

VI. *Queis ex stranguria fit volvulus, hi moriuntur*
Intrà septenam, nisi cum febre plurima mingant. 44.

VI. *Dysuriam internæ sanat pertusio venæ.* 36.

VII. *Difficilem mictum, nec non stillantia sanat*
Lotia thorexis, internæ & sectio venæ. 48.

VI. *In renum vitiis, bilisqae affectibus atræ,*
Sanguinis ex ani venis profluxio prodest. 11.

SECTIO XII.

De his, quæ ad Mulieres spectant.

VII. *Esse ambidextram mulieri haud accidit ulli.* 43.

V. *Sanguineus vomitus per menstrua cessat oborta.* 32.

V. *Menstrua queis desunt, hæmorrhagia salubris.* 33.

V. *Menstrua, quæ tempus variant, pravique coloris*
Extiterint, fas esse docent purgantibus uti. 36.

V. *Si quæ nec peperit, neque gestat fœmina, mammis*
Lac habeat, signum est, quod eidem menstrua desint. 39.

V. *Si cupias nimios mulieri sistere menses,*
Huic appone cucurbitulam circa ubera magnam. 50.

V. *Mensibus adveniens malus est cum syncope spasmus.* 56.

V. *Et nimia, & suppressa, suos dant menstrua, (morbos.* 57.

V. *Fœminea educit grati suffitus odoris,*
Et grave ni faceret caput, esset pluribus aptus. 28.

V. *Si cruor ad mammas tumeat sunt signa furoris.* 40.

V. *Si num concepit mulier dignoscere quæras,*
Huic mulsam præbebis aquam sub tempore somni;
Nam si concepit, patietur tormina ventris,
Sin minùs, à ventris requiebit tormine tuta. 41.

V. *Quæ non concepit, non conceptura deinceps*
Sit, si nosse velis, huic undique veste ligatæ
Suffito, & si corpus odor pervadat ad ora,
Et nares, de se sterilem non esse memento. 59.

V. *Hæ non concipiunt queis densa, & frigida matrix,*
Aut humecta nimis, nam sperma extinguitur illis,
Et queis sicca nimis fuerit, fervensque vicissim;

His alimentorum nam sperma penuria perdit:
Quæ verò fuerint mediocres, prole beantur. 62.
V. *In sexu similis ratio solet esse virili,*
Immodicus siquidem vel spiritus evolat illis,
Perraræ ratione cutis, dimittere semen
Sic ut non valeant, aut his non exsilit humor
Propter densitiem, vel non accenditur illis
Ob frigus, sic ut cumulari possit ibidem,
Aut hæc ob nimium fieri solùere calorem. 63.
V. *Si nulla immodicè crassis conceptio fiat,*
Illis os uteri nimis angustatur omento,
Nec nisi macrescant, prægnantes efficiuntur. 46.
V. *Si suppuretur matrix, quâ parte vicina*
Est coxæ, hanc litu curabis convenienti. 47.
V. *Mas dextra plus parte jacet, mulierque sinistra.* 48.
V. *Os uteri durum quibus est, his clauditur arctè.* 54.
V. *Os uteri, fœtum gestanti, clauditur arctè.* 51.
V. *Si multum in gravidis lac effluat ubere, fœtum*
Indicat infirmum, si dura his ubera, fortem. 52.
V. *Quæ corrupturæ sunt fœtum, his ubera parva*
Evadunt, contrà si dura his ubera fiant,
In coxis, mammis, oculis, genibusve dolores
Corripient, illis neque fiet prolis abortus. 53.
V. *Menstrua si sistant, nec fit febris ulla, nec horror,*
Fastiditque cibum, quod gestet fœmina credas. 61.
V. *Ritè valere nequit fœtus, si menstrua currant.* 60.
V. *Similiter, fœtum gestans, si febre laboret,*
Et multum notis sine causis extenuetur,
Est ægrè, & non exiguo paritura periclo,
Aut formidandum ne fiat prolis abortus. 55.
V. *Pharmaca da gravidis, fuerit si turgidus humor,*
A quarto usque ad septenum purgantia mensem,

Sed minùs atque aliis ; dum verò grandior infans,
Aut minor est , timidè sese gestare necesse. 29.

IV. 1. idem.

V. *Letale est , gravidam morbus si vexet acutus.* 30.

V. *Phlebotomia utero gestanti causat abortum,*
Atque id præcipuè fuerit si grandior infans. 31.

V. *In gravidis fluxus ventris minitantur abortum.* 34.

V. *Altera si geminos gracilescat mamma ferenti,*
Denotat alterius quòd fiet prolis abortus,
Et si leva quidem , mulieris , dextera , maris. 38.

V. *Si quando in gravidis subitò gracilescere mammas*
Contigerit , fieri solet illis prolis abortus. 37.

V. *Sternutare , bonum histericæ , & quæ parturit ægrè.* 35.

V. *Præter naturam tenuis si fœmina gestet,*
Donec pinguescat , semper patietur abortum. 44.

V. *Si verò modicè carnosis , mense secundo,*
Vel terno , nota sine causa fiat abortus,
Illis sunt uteri mucore ligamina plena, (*tum.* 45.
Rumpunturque , quia haud tolerant præ pondere fœ-

V. *In gravidis melior , fuerit si masculus infans,*
Est color , contrà fuerit si fœmina , pejor. 42.

V. *Si quando fœtum mulieri ventre gerenti*
Fiat erysipelas uteri , letale tenendum. 43.

VII. *Tenesmus , gravidis succedens , causat abortum.* 27.

V. *Si cupias segnes citò deturbare secundas,*
Da sternutificum , dein nares , oraque claude. 49.

VI. *Fœmina non patitur podagram , nisi menstrua dèsint.* 29.

VII. 71. Vid. II. 3. pag. 588.

IV. 48. Vid. VII. 72. pag. 592.

1 *Qui supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non admodum sanantur. Minus enim periclitantur, quorum naturæ, et ætati morbus similis fuerit.*

2. *Quibus in febribus quartanis existentibus sanguis ex naribus fluxerit malum.*

3. *Sudores in diebus criticis oborientes, vehementes, et veloces, periculosi: et qui expelluntur ex fronte, velut guttæ, et aquæ salientes, et frigidi valde, ac multi. Necesse enim est talem sudorem prodire cum violentia, et laboris excessu, et expressione diuturna.*

4. *Ex morbo diuturno alvi defluxus malum.*

5. *Quæ medicamenta non sanant, ea ferrum sanat. Quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat. Quæ vero ignis non sanat, insanabilia existimare oportet.*

6. *Lingua nigra atque cruenta, si quid horum signorum abest, non valde malum: morbum enim minorem declarat.*

7. *Testis dexter frigidus, et convulsus, letale.*

8. *Ungues nigri, et digiti manuum et pedum frigidi, contracti, vel remissi, mortem in propinquo esse ostendunt.*

9. *Labia livida aut etiam resoluta et inversa, et frigida, letalia.* (*sunt.*

10. *Aures frigidæ, pellucidæ, contractæ, letales*

11. *Et tenebricosa vertigine laborans, et lucem aversans, et somno, ac ardore multò detentus, desperatus.*

12 *Et qui in rabiem actus fuerit intrepidè, et non agnoscit, et neque audit, neque intelligit, jam moribundus est.*

13. *Morituris signa hæc magis fiunt manifesta, et ventres attolluntur, atque inflantur.*

14. *Terminus vero mortis est, si animæ calor supra umbilicum ad locum septo transverso superiorem ascenderit, et omne humidum fuerit combustum. Postquam pulmo, et cor humorem amiserint, calore in mortiferis locis coacervato, caloris spiritus confertim exhalat, unde totum cum toto consistit. Rursus partim quidem per carnes, partim vero per spiracula in capite, unde vivere dicimur, relinquens anima corporis tabernaculum, et frigidum, et mortale simulacrum, una cum bile, et sanguine, et pituita, et carne, deditione tradit.*

Aphorismi isti interjecti ex JOANNE GORTERO transcripti sunt. Cel. LORRY eis sequentes addit:

1 *Quibus in infirmitatibus oculi ex proposito* (i. e. ob causam) *lacrymantur, bonum. Quibus vero sine causa, malum.*

2 *Tabes maximè fiunt ab anno octavo decimo usque ad quintum et tricesimum.*

3 1. *Quæ secundum naturam ad tabem disposita* sunt, *omnia quidem vehementia; quædam vero etiam letalia.* 2. *Secundum autem, si quidem in* eo *tempore ægrotet,* cum *tempus ipsum una cum morbo impugnat, velut cum febre ardente æstas, cum hydrope hyems. Natura enim longè superior est: lieni vero plus affert timoris.*

FINIS.

INDEX CAPITUM.

PÁG.

MORBI ACUTI FEBRILES 1
Phrenitis 3
Angina 14
Angina aquosa 17
Angina scirrhosa 19
Angina inflammatoria 20
Angina suppuratoria 34
Angina gangrænosa . . . . ibid.
Angina convulsiva 36
Peripneumonia vera 39
Peripneumonia notha 75
Pleuritis 82
Paraphrenitis 110
Hepatitis, et Icterus multiplex 114
Ventriculi inflammatio 145
Intestinorum inflammatio 151
Aphthæ 162
Nephritis 173
Apoplexia 181
Catalepsis 198
Carus 202

DE MORBIS CHRONICIS 204

Paralysis 210
Epilepsia 222
Melancholia . . Hypochondriasis 236

Mania 254
Rabies canina 260
Scorbutus 272
Cachexia 293
Empyema 297
Hæmoptoe . . Phthisis pulmonalis . . . 302
Phthises aliæ 318
Hydrops 328
Podagra 355
Morbi virginum 368
Morbi gravidarum 375
Partus difficilis 381
Morbi puerperii 386
Morbi infantum 395
Variolæ 417
Morbi epidemici 437
Calculus 441
Lues venerea 451
Rachitis 471
Rheumatismus 486

APPENDIX.

Tussis vel catarrhus 493
Tussis convulsiva 497
Asthma 499
Imbecillitas vel resolutio ventriculi et Intestinorum 503
Colicus dolor 507
Cholera morbus 509
Iliaca Passio, Ileus, seu Volvulus . . . 511
Morbilli 514

Scarlatina..... 518
Pleuritis humida, seu Angina bronchialis..... 521
Pleuritis, Pleuroperineumonia latens chronica..... 523
Mictio impedita: Dysuria: Stranguria: Ischuria..... 526
Diabetes..... 530
Secretio lactis..... 532
Metastases lactis..... 535
Fluxus sanguinis præternaturalis è pudendis muliebribus..... 541
De Gravaminibus hæmorrhoidalibus.. 543
Hæmorrhoides sanguineæ fluentes.... 544
Hæmorrhoides mucosæ fluentes..... 547
Hæmorrhoides Urethræ..... ibid.
Hæmorrhoides cæcæ..... 548
Ophthalmia..... 549
Surditas..... 552
Lepra..... 554
Elephantiasis..... 555
Pestis..... 556
Hysterica Passio..... 561
HERMANNI BOERHAAVE Introductio in Praxim clinicam.... 564
HIPPOCRATIS COI Aphorismi... 585